Digitized by Google

4ª = 11228

Digitized by Google

11

FCC
3770

299.512
C71

~~64.1.B.~~

~~So 2 no. 73499~~

Digitized by Google

Digitized by Google

3770

CONFUCIUS SINARUM PHILOSOPHUS,

SIVE

SCIENTIA SINENSIS

LATINE EXPOSITA.

Studio & Opera { *PROSPERI INTORCETTA, CHRISTIANI HERDTRICH, FRANCISCI ROUGEMONT, PHILIPPI COUPLET,* } *Patrum Societatis* JESU.

JUSSU

LUDOVICI MAGNI

Eximio Missionum Orientalium & Litterariæ Reipublicæ bono

E BIBLIOTHECA REGIA IN LUCEM PRODIT.

ADJECTA EST TABULA CHRONOLOGICA SINICÆ MONARCHIÆ AB HUJUS EXORDIO AD HÆC USQUE TEMPORA.



BIBLIOTECA DE FILOSOFIA
MADRID
BIBLIOTECA

PARISIIS,
Apud DANIELEM HORTHEMELS, viâ Jacobæâ,
sub Mæcenate.

M. DC. LXXXVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

14 ft

Digitized by Google



LUDOVICO MAGNO REGI CHRISTIANISSIMO.

POSTQUAM *ab altero non ita pridem Orbe, Majestatem tuam,* REX MAGNE, *adierunt cum insigni apparatu potentissimi Siamensium Regis Legati, excîti videlicet virtutis ac sapientiæ tuæ famâ, quæ remotissimas in oras jamdudum penetraverat; adest nunc ab extremo procul Oriente Princeps è*

Digitized by Google

Regio Sinenſium Imperatorum ſanguine, Confucium *appellant, uno Sinenſium conſenſu habitus omnium, qui unquam apud eos floruerunt, Sapientiſſimus & Moralis Philoſophiæ pariter ac Politicæ Magiſter & Oraculum.*

Ab hujus ore, ſicuti quondam pendebant tria Diſcipulorum millia, ita modo ex ejus effatis ampliſſimum gubernatur imperium, ſtatuuntur leges, Gentis mores & civilia componuntur officia, denique in ejus doctrina perdiſcenda ſummorum Reipublicæ honorum ac Magiſtratuum obtinendorum ſpes una & ratio continetur. Hujus memoriam, libros, nomen ipſum Sinæ omnes, mirificè colunt, ipſíque adeo imperatores qui ad eas, ubi docebat olim, ædes (quæ tanquam ſapientiæ ſacraria ſervantur) ejuſque gymnaſia venerabundi ventitare non dedignantur: nec ſanè immeritò; quippe qui ab tanto Magiſtro didicerint Summum cœli, ut vocabat ipſe, Imperatorem Regnorum omnium ac Imperiorum moderatorem & arbitrum adorare ac timere, ſubditos ſibi populos æquitate magna & charitate regere, fovere artes, orbem denique Sinenſem domi tot jam annos ac militiæ florentem, ſanctiſſimis inſtitutis legibuſque moderari.

Hic igitur ille Confucius *tibi ſe ſiſtit,* REX MAGNE, *curis tuis & Regia liberalitate in Gallias veluti deportatus, & ad Majeſtatis Tuæ pedes provolutus accedit, palam admiraturus ſapientiam tuam, & ſuam illam, etſi apud populares ſuos incredibili fama & exiſtimatione jactatam, Tuæ tamen nihilo ſecius, quam Soli Stellas, decedere confeſſurus.*

Hærebit ille, opinor, ad primum aditum atque conſpectum, & admiratione ſimul gaudióque defixus repertum ſibi tandem

Digitized by Google

tandem Principem illum dicet, ad quem videndum nequidquam hactenus tanto ſtudio exarſerat. Cum enim egregius ille vir eximium, & qualem informabat animo, Imperatorem ſuis in libris adumbraſſet, ac neminem ſanè votis ſuis parem ex avitis Imperii Principibus reperire potuiſſet, in quem unum omnes regiæ illæ dotes conſpirarent, quíque illam numeris omnibus abſolutam formam ideamque perfectiſſimi Principis referret, tunc in eas erupit voces Tái Kî Gîn Expectandus hic Vir *hic eſt, qui veniet aliquando, & divina quadam & admirabili ſapientia præditus talem ſe exhibebit, in quo nihil noſtra, nihil publica deſiderare vota poſſint.*

Nonne ille, ſi modo reviviſceret, ac Te, REX MAGNE; *contemplaretur, illum ipſum eſſe Te agnoſceret, quem proſpexiſſet animo, & incredibili gaudio perfuſus, voti ſe compotem eſſe factum exclamaret? Nonne tuam in adminiſtrando Regno ampliſſimo ſapientiam regibus omnibus proponeret, exempla tuis è moribus, leges ex effatis peteret? Tuam denique pietatem, clementiam, æquitatem, illam æquabilem in tanta rerum maximarum & negotiorum mole mentis ac vultûs ſerenitatem atque præſentiam cum tanta Majeſtate conjunctam, Principibus univerſis pro norma & regula eſſe vellet?*

Quoniam vero Philoſophus ille ſapientiſſimus, ſolo naturæ ac rationis lumine cognoverat, nihil religione antiquius homini eſſe oportere, ad eumque ſcopum unum ſuam ipſe doctrinam diſciplinamque referebat, ut mortales vitam omnem è ſupremi Numinis legibus præceptiſque componerent, idcirco nihil ipſi prius aut potius fuit, quam ut ſectas & pere-

Digitized by Google

grina dogmata, quæ in populorum exitium, ac Monarchiarum perniciem nata esse dictitabat, penitus profligaret. Hinc ejusdem ea vox, hodieque inter Sinas celebratissima: Cum hu y tuon, Oppugna heretica dogmata. *Quantam igitur afferret homini pietatis amantissimo lætitiam, siquidem ad hæc felicissima legis gratiæ tempora pertingere potuisset, tua illa Rex tutandæ & amplificandæ Religionis, extirpandæ hæreseos, pietatis propagandæ cura? Quibus Te laudibus efferret, cum hæresim, hostem illam avitæ fidei ac regni florentissimi teterrimam, proculcatam & attritam, edicta, quibus vitam ducere videbatur, abrogata; disjecta templa, nomen ipsum sepultum, tot animarum millia pristinis ab erroribus ad veritatem, ab exitio ad salutem, tàm suaviter, tàm fortiter, tàm feliciter traducta, Galliam denique universam sub Rege Maximo & verè Christianissimo Christianissimam aspiceret?*

Non ille tantùm profectò miraretur ac prædicaret cætera Galliæ tuæ miracula, non tot arces omnibus & artis & naturæ præsidiis permunitas partim à Te dejectas & captas, partim extructas & erectas; non potentissimas & numerosissimas classes quibus Asiæ & Africæ terrorem attulisti; non tot victorias de hostibus reportatas, quibus coronidem gloriosissimam imposuisti publicæ trophæum pacis: non visenda illa, in quibus Regium splendorem & magnificentiam tuam explicas, Palatia; non flumina ultra montes transvecta; aperta & juncta maria; non tot artium & scientiarum gymnasia & seminaria: hæc, inquam omnia, tantam admirationem sapientissimo Philosopho non injicerent, quantam hæc una Religionis, duce Te atque auspice, de Hæresi triumphan-

Digitized by Google

tis victoria, quam nec tentare quisquam antea sic ausus erat, nec sperare; credere vero vix olim poterit sera posteritas, admirari quidem certe ac prædicare nunquam satis poterit.

Ego vero hujus unius rei & victoriæ tam incredibili famâ præcipuè perculsus huc ab ultimis Sinarum oris adveni, magnum me longissimi Oceani feliciter emensi opera pretium feciſſe ratus, quòd his oculis ea videre mihi contigerit, quæ fama ubique sparserat, quam tamen ipsa re minorem esse deprehendi. Quam dulce mihi jam accidet, favente Deo, renavigare tot maria, revisere optatissimam Sinam & illic ista miracula, quorum testis oculatus extiti, prædicare! vel eorum certe recordatio tot laborum ac periculorum absterget sensum, memoriam delebit, viam redeunti efficiet faciliorem, & quasi complanabit. Jam mihi videor in medio Neophytorum ad me convolantium lætissimo consessu, atque ipsorum etiam Ethnicorum, renarrare, quæ hic viderim, illos arrectis auribus animisque adstare suspensos, obstupescere ad rerum magnitudinem ac novitatem, simulque Tibi, REX MAGNE, *Religioni, & Galliæ congratulari.*

Quibus porro incedent lætitiis, cum accipient suum illum Confucium *tanto à Te in pretio & honore habitum fuisse, ut ei cæteros inter Bibliothecæ Regiæ libros locum esse volueris? eumdem latio sermone donatum, ejus effigiem ac libros necnon etiam & acta principum suorum, non ligneis tantùm illis, quibus Sina utitur, tabulis, sed æreis & elegantissimis excusos; eum denique, qui Sinico tantum in Imperio hactenus erat cognitus, jam per Galliam atque ex Gallia per omnem latè Europam brevi spargendum, ac tanti ab omnibus, quanti par est, ubique faciendum. Quas illi tum Ma-*

Digitized by Google

jestati Tuæ gratias agent, quibus Nomen tuum laudibus universi, quam fausta comprecatione prosequentur! qua vota Neophyti certatim pro tua incolumitate; pro felici rerum omnium, quascumque fueris aggressus, exitu; pro florentissimi Regni ac Religionis Catholicæ secundissimo illo cursu nuncupabunt? Et audiet illorum vota fortunabitque Deus Optimus Maximus, talemque Te Gallis & Orbi Christiano diu servabit, qualem Catholica res & Ecclesia tota, qualem probi omnes tam tui, quam exteri vovent ac precantur, atque imprimis, qui prater cæteros esse amat gloriaturque

MAJESTATI TUÆ,

Devotissimus atque addictissimus;
PHILIPPUS COUPLET
Societatis Jesu.

OPERIS

Digitized by Google

Digitized by Google



Prouincia **PEKIM** Continet Vrbes Metropolitanas 8. Ciuitates 335. familias 489889. Collegiũ et 2 Templa Regio fauore erecta. extra aulam templa 4. et missiones.

Prou: **XANSI** continet Vrbes 5. ciuit. 92. famil 589659. Templa 5. Residentias 3. oratoria et missiones 29.

Prou: **XENSI** continet Vrbes 8. ciuit 107. famil 831051. Templa 6. Residentias 2. Oratoria et missiones 27.

Prou: **XANTUM** continet Vrbes 6. ciuit 92. famil 770555. Templa 2. Residentiam 1. Oratoria et missiones 11.

Prou: **HONAN** continet Vrbes 8. ciuit 100. famil 589296. Templum et Residentiam.

Prou: **SUCHUEN** continet Vrbes 8. ciuit 124. familias 464129. Templa 3. Residentias olim 2.

Prou: **HUQUAM** continet Vrbes 15. ciuit 108. familias 531686. Templa 4. Resid 1. Missiones 8.

Prou: **NANKIM** continet Vrbes 14. ciuit 110. familias 1969816. collegium, Resid 5. intra Vrbes et ciuit: Templa 18 in pagis Templa 103. Miss 65.

Prou: **CHEKIAM** continet Vrbes 11. ciuitates 63 familias 1421135. collegium, tyrocinium Templa 5. olim item alia Templa 2. et Resid.

Prou: **KIAMSI** continet Vrb: 13. ciuit 67 famil 1363629. Templa 7. Residentias 3. missiones 15.

Prou: **FOKIEN** continet Vrbes 8. ciuitates 48. familias 509200. Templa 24. Resid 5. et missiones.

Prou: **QUAMTUM** continet Vrbes 10. Ciuitates 73. familias 483360. Templa 7. Residentias olim 3. et Missiones.

Prou: **QUAMSI** continet Vrb: 11. ciuit 99. familias 1867119. Templum olim et Residentia.

Prou: **YUNNAN** continet Vrbes 22. ciuitates 84. familias 132958.

Prou: **QUEYCHEU** continet Vrbes 8. ciuit 10. famil 45303

XV Prouinciæ Summatim continent Vrbes Metropolitanas 15. Ciuitates 1312. Præter oppida militaria 2357.

Familias 10128789.

Virorum capita 5891678.

Templa a Societate Iesu prima sæculo erecta circiter 200. Residentias publico sigillo notatas 24. præter tria incho Collegia, oratoria, Missione

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

P. Philippus Couplet S.J. Sinen Missionis Procurator.

Parisijs, apud Joannem Nolin viâ Jacobeâ sub Signo Plateæ Victoriarum. Cum Priuilegio Regis.

Digitized by Google

OPERIS ORIGO ET SCOPUS NEC-NON SINENSIUM LIBRORUM, INTERPRETUM, SECTARUM, ET PHILOSOPHIÆ, QUAM NATUTALEM VOCANT, PROËMIALIS DECLARATIO.

VENIAM nobis dabit Europæus Lector, uti ſpero, ſi toto hoc opere, ſed hîc in primis dum totius operis quaſi fundamenta jacimus, multa ſolicitè perſequamur, & quidem minutiùs fuſiuſque quàm perſpicacia multorum ingenia, & talia cum ſint, brevitatis quoque ſtudioſa fortaſſe deſiderent: Quamvis enim placere his lucubrationem noſtram ſanè optemus, & verò ſperemus eruditæ multorum curioſitati non diſplicituram, præſertim cùm de tantâ tamque politâ & ab oculis terriſque ſuis adeò remotâ antiquitate agatur; quoniam tamen (ut hoc ſemel clareque profiteamur) propoſitum nobis eſt non tam ſervire oblectamento & curioſitati eorum qui in Europa degunt, quam utilitati eorum qui ex Europa lucem Evangelicam ultimis hiſce terris allaturi navigant; prolixitatem quampiam, quæ alias vitio daretur, in hac Laconicæ peregrinæque gentis tanta caligine, non modo veniâ dignam; ſed planè neceſſariam eſſe duximus, & minimarum quoque rerum habendam nobis eſſe rationem; eò etiam magis, quòd placuit non huic tantùm explanationi, ſed omnibus quas in hoc genere alii deinde ſuſcipient, facem præferre, & ea jacere fundamenta, quæ ſubſtructionem iſtam, quantumvis aliorum deinde operâ

Digitized by Google

vel educatur altè, vel amplificetur, ſuſtinere queant. Ad quæ priſquam progrediamur, non injucundum Lectori fuerit, occaſionem ſuſcipiendi operis cauſaſque cognoſcere.

Quo primùm tempore Societas JESU aditum ſibi aperuit in Sinarum Imperium (anni ſunt centum eóque ampliùs) conati ſumus, eo planè modo quo apud alias omnes Nationes Evangelici Præcones uſi fuerant, Evangelium apud Sinas quoque promulgare; homines ſcilicet Religioſi, more, habitu, rituque religioſo: Verumtamen uſus ipſe ac ſucceſſus rerum haudquaquam votis reſpondens, brevi nos docuit, aliam planè viam, ſi quod operæ pretium vellemus facere, tenendam eſſe; propterea quod apud hanc gentem, cum Religio omnis jaceat, tum verò iis qui ſeveriorem quamdam ſanctioremque vitæ rationem noſtratium Cœnobitarum non abſimilem palàm profitentur (profitentur autem plurimi, & Bonzios vulgò nominamus) exiguus honor habeatur, ſintque ipſi ferè ex infima fæce hominum, nec modò litteris nullis, ſed ne iis quidem virtutum ſimulachris, quibus Ethnici gloriantur, inſignes: Fuerunt itaque è Sinis Viri graviſſimi, quos ipſi nobis privatâ jam conſuetudine devinxeramus, quique adeò res noſtras & conſilia propiùs penitiùſque inſpexerant, qui nos magnopere hortati ſunt, ut quando tot eſſemus litteris ſcientiiſque, uti jam ipſi compererant, exculti, ſuo nos literatorum ordini aggregaremus, ſeverioris vitæ ſanctitatem, quam ſuæ gentis Sacrificuli mentiebantur, nos citra externam cultûs aſperitatem ipsâ vitæ morumque ſanctitate ſatis ſuperque tueri & profiteri poſſe; ſic ſpem fore tandem proficiendi, & ipſis quoque Provinciarum Gubernatoribus, Viriſque Principibus perſuadendi quæ maximè vellemus; neque deinceps obnoxios fore vexationibus illis & contumeliis quibus improborum hominum petulantia peregrinos homines, & vel ideo quia Bonziorum ſpeciem referebamus, deſpicabiles inſectari conſuevit, & quas jam tum primi Socii non paucas, nec ullo tamen rei Chriſtianæ emolumento pertulerant.

Haudquaquam difficile fuit perſuadere quod ratio & uſus jampridem ſuaſerat, iis præſertim quibus aliud nihil erat propoſitum quam omnes Chriſto lucrifacere, & hujus rei gratiâ non modò literatæ Sinarum genti literatos, ſed omnibus omnia fieri. Igitur ex illo tempore perſonam induimus cultumque Literatorum hominum; vixque induimus (quod incredibile videri multis poſſit) quando nos ſummi pariter infimique, hi quidem vereri, illi verò colere quaſi novos homines cœperunt, ipſique adeo Magiſtratus ad nos viſendi gratiâ cum ſplendido comitatu crebriùs adire. Sed enim ſolo cultu externo & teſtimonio paucorum, qui familiarius nobiſcum agebant, diu tueri literatorum nomen ac famam difficile erat, maxime

Digitized by Google

quidem apud eos, qui per insignem plenamque superbiæ ignorantiam quidquid esset errarum extra fines suos rudem esse barbariem existimabant : Quocirca necessarium fuit, præter idioma gentis literas quoque perdiscere, & laborem labore cumulare. Est omnino Sinarum idioma, si quod aliud orbe toto, difficillimum : Multis grammaticæ præceptis continetur : vocabulis gens utitur monosyllabis, iisque pauciſſimis, quæ adeò subtiliſſimo linguæ flexu, sibilove, necnon tono (propè musico) modò hoc, modò illo affectæ, vim significandi aliam atque aliam, & sæpè rerum maximè contrariarum, accipiunt : Itaque dici vix potest quantum res hæc negotii faceſſat externis hominibus.

Tanta porrò vocabulorum penuria literarum copiam genuit; harum quippe summâ varietate vocum suarum similitudinem atque identitatem distinguunt : Numerum quæris ? Fidem superat. Unum dixisse satis sit, tantum esse ut nullus dum Sinarum memoriâ tenere omnes valuerit, cùm tamen multi illorum à sexto ætatis suæ anno exorsi vitam deinde totam in eis consumant. Quamquam celare hoc nolim, eum qui quinque aut sex literarum millibus uti noverit appositè, non solùm intelligere posse plerosque librorum, quos Sinæ de moribus, & Officiis, & Republicâ, rebusque olim gestis plurimos conscripserunt; sed ipsum quoque, tametsi Europæus sit, commodè scripturum de quovis argumento, de quo nos inter & Sinenses disputandum fuerit.

Homines ergò justæ ætatis, nec pauci jam provectæ, & patriis in sedibus rude literariâ si non laureâ pridem donati, emensi majorem partem Orbis terrarum repueraſcebant inter Sinas amore Christi, & ab elementis ipsis exorsi cum incredibili labore & constantiâ paucis annis, aspirante semper Numine, eam consequebantur & linguæ & literarum peritiam, ut typis quoque scientias Europæas, ac sanctiſſima Religionis Christianæ mysteria vulgarent, intelligerentque stupentes Sinæ, literatorum utique nomine dignos esse, qui literas suas tam citò perdiscerent, ac tot essent tamque præclaris scientiis ac disciplinis instructi; secumque ipsi statuerent, haudquaquam veras esse suspiciones (quæ ut in gente politica multorum animis principiò insederant) nos veniſse in terras suas specie quidem peregrinæ legis promulgandæ, re autem verà lucri vel honorum cupiditate impulsos, maximè quando de terris adeò longinquis profecti sic inter ipsos vivebamus, ut nulli indigenarum essemus oneri, quin & pecunias muneris loco oblatas constanter repudiaremus, ultrò etiam profitentes nihil rerum ad vitam necessariarum nobis deesse.

In hunc modum primas gentis tenebras ac suspiciones primus ille Sociorum labor atque industria feliciter discusserat, & jam de

Digitized by Google

Europæis, non hominibus modò, sed etiam scientiis ac disciplinis multi sermones erant ; verumtamen non adeò secundi , ut non & nostra plerique ipsorum præ suis adhuc contemnerent , & non tam ad laudem sapientiæ suæ nos accedere, quàm ab inertia & ruditate cæterorum barbarorum longiusculè recessisse dictitarent : Itaque festivè nonnulli, cùm prisco gentis proverbio solos Sinas utroque oculo præditos esse dicerent , cæteros autem mortalium planè cœcos , Europæis tamen hominibus unum jam oculum tribuebant. Placuit ergo Sociis arcana quæque gentis explorare, atque uti jam in terras ipsas tot claustris & custodiis communitas penetraverant , sic in intima quoque adyta tumidæ illius alteque de se sentientis Philosophiæ, si quomodo possent, adytum sibi facere : Eo quidem consilio, ut omnibus eorum placitis, institutis , maximeque vetustis monumentis probè cognitis ac perspectis , si quid inde lucis ac roboris ad annuntiandam ipsis & confirmandam Christianæ Philosophiæ veritatem peti posset, Apostolum imitati, utique peteremus , tumidique homines tandem vel inviti cognoscerent (nisi quos fortè improbus sui amor prorsùs obcæcaret) sibi deesse veriùs quàm nobis, oculorum alterum, quando ipsi penitùs ignorarent nostrates scientias, ad quas nos jam suam ipsorum Philosophiam adjunxissemus.

Re ergo diligenter examinata cognoverunt Socii Philosophiam Sinicam propè totam ; florem certè ac medullam totius Philosophiæ quatuor maxime libris contineri ; hos nullum esse literatorum quin adolescens memoria jam teneret ; ex his quo quisque plus hausisset scientiæ politico moralis, eò citiùs ad gradus literarios, ad honores, ac Magistratus promoveri : Ex his denique præcipua peti gentis oracula, & quasi æternas Sinarum veritates. Itaque maximis animis rem aggressi hoc primùm egerunt, ut intelligerent libros istos , in quo dici non potest quantum laboratum sit ac sudatum ; cumque nihil in eis requirerent quod adversaretur rationi legique Naturæ , multa verò quæ mirificé faverent, ediscere etiam atque in usus suos convertere placuit. Respondit autem labori magno fructus item magnus : Veritates enim Christianas ex principiis (ut opinabantur) suis deductas, suis priscorum Regum & sapientum stabilitas & illustratas authoritatibus testimoniisque , verbis denique & sententiis suis propositas atque adornatas, Sinæ jam non ut peregrinas & barbaras cum formidine quadam vel contemptu, sed ut suas secundis auribus , & quidem venerabundi excipiebant : Neque pauci, quibus divina lux benigniùs affulgebat, promptis animis sequebantur ; & mox cognatis & amicis, ut eidem Philosophiæ nomen darent, hortatores ac duces erant : Alii vero qui avaritiæ libidinumque vinculis implicati, vel studio superstitionum à nobis erant alieniores, suspiciebant tamen ingenium, memoriam , sapientiam Europæorum hominum

hominum : Certatim denique viri Principes, Gubernatores Urbium, & Provinciarum, quin & Colai, quorum dignitas authoritasque prima est ab Imperatoriâ, libros nostros suis Prologis cohonestabant, mirandis sanè præconiis, cùm nostros homines, tum verò legem divinam (quod unum nobis in votis erat) persequentes.

Quandoquidem igitur nulli unquam Philosophorum apud Europæos homines, imo nec ipsi quidem (ut opinor) Delphici Apollinis Oraculo tantum fidei vel authoritatis prisca ætas tribuerit, quantum China tribuit *Confucio* suo, ad hæc cùm Philosophus iste adeò non adversetur doctrinæ lucique Evangelicæ, ut è contrario non vanè putemus futuros qui favere potius dicant, atque ad illam populares suos quodammodo manuducere, quando in libris ejus tot intermicantes rectæ rationis scintillas non sine admiratione & voluptate observabunt : cum ea, inquam, sit *Confucii* authoritas etiam apud vicina Sinarum regna, quis non videt, Evangelico Præconi eximios quosdam usus hinc posse existere, dum is notitiam Veri Summique Numinis allaturus hisce gentibus, doctrinæ suæ veritatem confirmabit, non Poëtarum authoritate (quod tamen Doctor ille Gentium, & quidem apud Athenienses, facere non dubitavit) sed authoritate Philosophi istius, quo nihil ad nostra usque tempora veracius sapientiùsque gentes istæ cognoverunt. Convictos ergo testimonio Magistri sui, suisque ipsorum armis feliciter expugnatos, ecquis non speret (propitio semper Numine) manus Evangelicæ veritati aliquando daturos ? Manus certè is dederat qui sapientiâ quondam Sinicâ, & per hanc partâ dignitate post Imperatoriam supremâ perillustris, sed tamen virtutibus Christianis sapientiâque cœlesti multo illustrior, & nascentis Ecclesiæ columen *sive* Paulus quondam Sinici Imperii Colaus cum ab eo quis sciscitaretur ecquid efficeret nova illa, quam Europæi homines afferebamus, doctrina ? Proprio gentis hujus Laconismo respondens & voce & scripto *Pu ju ; çive fe*, inquit ; hoc est, *Supplet illa & perficit quod Magistro nostro* Confucio, *nostræque literatorum Philosophiæ deest ; nefarias verò superstitiones cultumque dæmonum tollit ac radicitùs extirpat.*

His ergo de causis lucubrationem hanc nostram luci publicæ damus, non ut Europæis hominibus Sapientiam Sinicam ostentemus, sed ut consultum foret Missionum Orientalium Candidatis, ut arma subministrarentur militibus, quibus istæ gentes, Duce Christo & auspice, vinci à vobis non modò possent, sed etiam gauderent ; ut escas haberent in promptu piscatores hominum, quibus inescati Sinę in retia agerentur ; ut denique sacri negotiatores iis instruerentur mercibus, quibus istas nationes vehementer capi & delectari usus centum & ampliùs annorum nos docuit. Et vero in Europa illa, ubi jam Socrates, & Platones, ubi Senecæ, Plutarchi propè vilue-

Digitized by Google

runt, ah ſperemus fieri poſſe ut plauſum referat Sinicus noſter Epictetus ? Niſi tamen Europæi, dum priſci Scriptoris canos attentiùs contemplabuntur non audeant ætatem tantam non venerari. Et ætas certè quidem ſuum rebus etiam vilioribus non raro dat pretium, ſic prorſus ut fragiles quoque teſtas, æreoſque nummos Viris etiam Principibus, & illis qui non minùs ſapientiâ ſuâ, quàm purpurâ reſplendent, in pretio faciat eſſe. Quibus adeò ſi munuſculi loco attuliſſemus nummos cupreos vetuſtiores Sinæ Imperatorum characteribus inſignitos; ſi item inſtrumentum illud magneticum, quod olim *Cheu cum* Sinici Imperatoris frater dono dedit legatis Cochinchinæ Regis, ut hoc auſtrum quò tendebant indicante, ſecuriùs certiùſque in patriam remigrarent, magnum utique munus cultoribus antiquitatis attuliſſe videri poſſemus, quamvis fortè rude & invenuſtum foret inſtrumentum illud, multâque jam ferrugine propemodum exeſum, & nequaquam cum nitore elegantiâque eorum, quibus Europa nunc abundat, comparandum : Sed nimirum juvaret Europæos homines illud videre, quod annis bis mille & quadringentis in ultimo Oriente extitiſſet.

Eſſe rude quid atque impolitum *Confucii* noſtri opus, ſi quidem cum elegantiâ & venuſtate Europæâ conferatur, nec ipſi inficiari poſſumus: Tametſi enim *Confucius* 51. ſuprà 500. ante Chriſtum annis ſit natus, doctrina tamen illa & principia politico-moralia, quæ ab eo poſteritati traduntur, identidem affirmat ipſe non eſſe ſua, ſed à *Yao* & *Xun* Legiſlatoribus accepta; qui Principes cum ante annos ter mille & octingentos vetuſtiſſimam Monarchiam gubernarint (uti etiam Tabula Chronologica, quam huic lucubrationi noſtræ attexuimus, Lectori declarabit) omnino fatendum erit, doctrinam hanc apud Sinas viguiſſe. Atque ita, quam nobis propè certa ſpes eſt lucubrationem hanc noſtram Miſſionariis quidem propter uberrimos quos ex ea percipient fructus, gratam fore acceptamque, tam etiam ſperamus apud eos omnes qui antiquitatem venerantur in aliquo ſaltem pretio futuram. Atque hæc de cauſis ſuſcipiendi operis, dicta ſufficiant.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS PRIMUS.

QUI LIBRI CLASSICI ET PRIMÆ Authoritatis.

NUNC ad ea, quæ instar fundamenti nobis erunt descendamus Libros in primis, & præcipua gentis monumenta, Authores eorumdem atque Interpretes; ut constet Europæis hanc olim culturis vineam, qui librorum primæ, qui secundæ sint classis; ex his quosnam pede propè inoffenso liceat decurrere, quos dubio lentoque gressu seu explorare, quos apocryphorum instar rejicere, quos uti pestilentes impiosque nec eminùs quidem salutare: de Interpretibus similiter (quorum ingens copia, varietas, differentia) quos fugere, quos sequi par sit; quid cuique fidei, quantumque sit tribuendum, & in quibus potissimùm rebus. Etenim cùm ipsis *Confucii* temporibus & fides, & pietas, & familiæ Imperatoriæ majestas à multis negligeretur, & multùm sanè deflexisset de spatio curriculoque suo consuetudo Majorum; nec multò post civilia Regulorum bella alia ex aliis exardescerent, quibus deinde regiæ domus propè omnes implicatæ fuerunt; commune etiam maximeque atrox librorum incendium extitisset, quale nec Alexandria, nec ulla pars orbis vel sensit unquam, vel audivit: Silentibus, uti fit, inter arma legibus, & in magna armorum vitiorumque licentiâ & impunitate, credi vix potest, quot Sectæ, quot errores, & hæreses, quot opinionum monstra, pestesque superstitionum in hoc medio terrarum horto (sic namque Imperium suum Sinæ vocant) ceu inutiles noxiæque herbæ in agro jam neglecto desertoque succreverint, uti infra uberius declarabitur.

In hac gente nec librorum, qui jam scripti sunt, est numerus, nec scribendorum finis: Principes tamen omnium & primæ classis partim ii sunt semperque fuerunt, qui per antonomasiam *U kim*, id est, *quinque volumina* dicuntur; partim qui *Su xu*, id est, *Tetrabiblion*; quatuor illi scilicet libri, de quibus ante fumus locuti, & quorum explanationem Latinitate donavimus: Hi porrò cùm sint Interpretes illorum, tametsi vincantur authoritate & antiquitate, usu tamen atque utilitate vincunt: Jam verò primum, idemque præcipuum inter quinque memorata volumina *Xu kim* dictum, sex libris constat; res trium maximè Regum *Yao*, *Xun*, & *Yu* complectitur; è quibus hic quidem familiæ *Hia*, primæ familiarum Imperialium, Princeps fuit, illi vero Legislatores, & veri Solones gentis Sinicæ.

Digitized by Google

Singulorum itaque præclara plenaque prudentiæ politicæ documenta, leges, instituta; nec non eorum qui à consiliis erant monita sententiasque literis diligenter consignatas fuisse constat, tametsi nunc desiderentur multa. De Operis vetustate nihil attinet dicere, quando fatendum est, ea quæ prioribus duobus libris referuntur, longè ante Moysem fuisse conscripta.

Quæ igitur ab Rege *Yao* gesta sunt & constituta spatio centum annorum (tot namque tenuit Imperium, quod & auspicatus fuerat annis 2357. ante Christum) ii, qui *Xun* Successori à commentariis erant, memoriæ posterorum prodiderunt: Quamquam vitio deinde temporum, interierunt propè omnia, quæ extant, de Kalendario potissimùm agunt, & intercalaris anni usu atque ordine; item de diluvio novennali, cui mederi bonus Princeps conatus est: multa similiter interciderunt quæ de *Xun* Rege Optimates sui litteris mandarunt: Quæ ad nos autem pervenerunt ea ferè sunt, quæ dum lustrat Imperii sui Regiones modo has, modo illas, pio & salubri exemplo observabat; ritè semper castèque *Xam ti Supremo cælorum Imperatori*, necnon nobiliorum montium fluminumque Præsidibus, sed his inferiore ritu, sacrificans. Extant item non pauca quæ ad ritus in Sacrificiis observandos, ad musicam, ad reorum supplicia, & rectam subditorum gubernationem spectant. His autem uberiora quoque sunt quæ de *Yu* Rege traduntur; ac primùm quidem quo labore & industriâ diluvii Sinensis aquas in mare derivavit; quo pacto in Provincias omnino novem diviserit Imperium, & docuerit quæ cuique cælorum Regio, quæ constellationes responderent; quid unaquæque Provinciarum tributi nomine deberet pondere, & alia generis ejusdem; Præter insignia quædam documenta quæ ad subditorum commune solatium atque institutionem tum ipse tum Optimates ejus protulêre. Et hi quidem tres Principes, uti non alio jure vel nomine quam virtutis ac sapientiæ ad Imperium fuerunt evecti, ita sunt ab utrâque laude celebratissimi, & quæcumque posteris suis reliquerunt vel exempla vel documenta Oraculorum ferè legumque vim tenent.

Tertio libro continentur ea, quæ imperante Secundâ Familiâ, seu domo Imperatoriâ, *Xam* & *Yu* dictâ, constituta sunt, præsertim ab illius Conditore *Chim tam*, qui 1776. annis ante Christum Imperium adivit, postquam scilicet vicerat ejeceratque impium *Kie*, cujus quoque facti sui rationem dat in Comitiis operosa gravique oratione. Referuntur eodem libro documenta Colai *Chum hoei* ad ipsum Principem, & ad hujus nepotem *Tai kia*: Alterius item Colai *Yn* monita, digna quæ Principes Europæi meritò audiant & suspiciant, vel hoc nomine, quod annis circiter mille ante urbem conditam prolata fuerint. Exinde legitur Imperatoris ex eadem Familiâ decimi-

decimi-ſeptimi, *Puon Kem* dicti, oratio, qua ſuos aliò commigrandi neceſſitatem edocet, ne ſedes & aula Regia tam crebris eluvionibus fluminis *Hoam ho* tandem obruatur: tranſlatâ verò jam Aulâ, quæ cujuſque ſint officia ſapienter edicit, & ad Priſcorum Regum imitationem cunctos hortatur. His proxima ſunt *Eu yve* Colai documenta, cujus viri ſpecies cùm Imperatori *Vu tim*, aliàs *Cao çum*, Principi religioſiſſimo divinitùs (ut ipſe quidem affirmabat) oblata fuiſſet per ſomnum, effigie coloribus expreſsâ, conquiri hominem, tandemque cæmentarios inter repertum, ſibi à conſiliis & ſecundum ab ſe eſſe voluit, ac plurimùm ejuſdem ſapientiâ prudentiâque profecit. Sequuntur deinde Principis *Vi-çu-ki*, & *çu-y* Colai præclara monita.

Tribus poſteris libris Tertia Familiarum Imperialium, *Cheu* dicta, præbuit argumentum: Referuntur autem maximè illa, quæ ſub primis quinque Principibus, necnon duodecimo, vel geſta ſunt præclarè, vel dicta. Extant itaque variæ orationes, tum à *Vu vam*, qui familiæ fuit Conditor, variis in comitiis pronunciatæ; quarum titulus *Çam xo*, *Chao cum*, &c. tum verò lucubrationes & documenta celebratiſſimi *Cheu cum*, qui cum eſſet *Vu vam* Imperatoris frater & deinde tutor pupilli Principis *Chim vam*, admirabile fidei, prudentiæ ſapientiæque ſpecimen dedit; Libellus etiam Reguli *Ki çu*, qui *Coreæ Rex creatus eſt*; præter multa multorum documenta ad rectam ſubditorum gubernationem, ad Religionem, & alias virtutes ſpectantia quæ dictis libris continentur. Et hæc quidem hactenus de 5. voluminum primo & præcipuo *Xu-Kim* ex quo, quoniam primæ eſt authoritatis in explanatione noſtrâ quædam ſubinde interſe remus.

Nunc de ſecundo, quod ab Odis & Poëmatibus, quibus totum conſtat, (*Xi Kim* dicitur) ſed breviùs agendum. Odarum pleræque imperante tertiâ Familiâ *Cheu*, paucæ, cum domus *Xam* ſive *Yn* rerum potiretur, in lucem prodierunt. Mores hîc & ſtatuta referuntur duodecim ferè Regnorum, quæ uni omnium principi, penes quem erat ſumma rerum, ſic parebant, ut tamen ſuis ſingula ditionibus imperitarent: In eis multa virtutis laus & commendatio: Multa graviter, & ſeverè, ſapienterque dicta; quamquam non diſſitendum non pauca hîc ab Interpretibus reprobari tanquam ſpuria & merè fabuloſa: Ut eſt ridicula nativitas *Sie* & *Heu-cie* (à quibus ortum ducunt binæ familiæ Imperiales) ab Interpretibus pro fabulis habentur, ut nihil hîc dicam de figuris hyperbolicis in gratiam principum ex licentiâ poëticâ inſertis, quin etiam & blaſphemiis in cœlum & Deum tanquam injuſtum & de rebus humanis minimè providum ab impiis ſcilicet evibratis, ex quo non immerito opinantur Interpretes quædam in iis apocrypha & nullius

fidei habenda. Certè Odarum priſca monumenta immunia fuiſſe ab hujuſmodi labe vel unico *Confucii* teſtimonio convinci poteſt dum ait: *Trecentorum Poëmatum doctrinam totam eò dumtaxat reduci, ut* Su Uu Sie, *hoc eſt: Ne quid pravum, aut turpe cogitetur.* Eſt tamen horum Poëmatum magna authoritas; at ſtylus ſanè difficilis & obſcurus; obſcurum facit brevitas ſemper Laconica, & ſæpè metaphorica, & Proverbiis antiquiſſimis ornata: quamquam obſcuritas hæc ipſa reverentiam & authoritatem (uti fanis quibuſdam videmus uſuvenire) Poëſi tam arcanæ priſcæque conciliat.

Tertium volumen (ſi tamen volumen) *Ye-Kim* dicitur, odis quas dixi, multo etiam obſcurius, quippe merum ænigma; omnium omnino voluminum, ſi Commentarios exceperis, antiquiſſimum; quippe cujus Author fertur *Fo hi* Fundator ille gentis Sinicæ, & rudium agreſtiumque hominum primus Magiſter & alter Orpheus. Lineolis & quidem paucis tota res conſtat: Nos eas proximè hîc depingemus, unàque declarabimus, quoties & quomodo variatæ figuras novas, & quaſi nova rerum ſignificata conficiant. Annis mille & octingentis Monarchia ſteterat, cum tandem Oedipus apparuit, Regulus, inquam, *Ven vam*: hic lineolis octo octies inter ſe mutuo commutatis conatus eſt, octo rerum principalium mutuas viciſſitudines exponere: Conatus eſt idem *Cheu cum* filius, & quidem copioſiùs quam pater, ſed reverà tam hic quàm ille perobſcurè omnia myſteriis & ænigmatibus, hieroglyphicis notis, noviſque ænigmatibus ænigmata implicantes, quoad tandem quingentis ferè pòſt annis ipſemet *Confucius* nodum aggreſſus ſolvere; ſic arcanas Fundatoris Lineolas & interpretationes ipſas interpretatus eſt, ut omnia partim ad naturas rerum, maximè elementorum, & quæ cujuſque propriæ ſunt affectiones & qualitates, partim ad mores ac diſciplinas hominum retulerit. Quamvis igitur radix operis, ut dixi, antiquiſſima ſit, quoniam tamen reliqua omnia longo pòſt tempore prodierunt, memorati tres Interpretes Authorum potiùs nomen & authoritatem, quam Interpretum hîc obtinent: Ad hæc, cùm obſcura ſint omnia captuque difficillima, exiſtimavimus, librum hunc nonniſi tertio loco recenſendum eſſe. *Confucius* certè cùm primis illis Commentariis ſuis haud acquieſceret, jam ſenior denuò Commentari ænigmaticum opus cupiebat; ſed mors Viri conatus & vota antevertit.

Cæterùm obſcuritas tam antiqua, & antiquitas tam obſcura vanæ ſuperſtitioſæque poſteritati erroris non unius anſam præbuit: Rati quippe tanto plus ibi myſteriorum latere quantò minùs percipiebant, ad ſortes & auguria Lineolis ænigmaticis abuti cœpere: Nec ad hoc defuerunt ex Sectis *Tao* & *Fe* patroni erroris inſaniæque Magiſtri. Sed de hoc ænigmatico opere infrà copioſior erit agendi locus.

Digitized by Google

Quarti voluminis titulum *Chun cieu*, quæ voces *Ver* & *Autumnum* significant, *Confucius* esse voluit; à quo jam admodum sene conscriptum fuit. Hic ille variorum Principum res gestas, vitia, virtutes, pœnas, & præmia narratione historicâ persequitur: Orditur autem ab anno 49. Imperatoris *Pim vam* ex domo familiaque *Cheu* decimi-tertii, eamque ab *Yn cum* Regulo, qui eadem tempestate Regnum *Lu* (quod & natale solum Philosopho præbuerat) clientelari jure obtinebat, per hujus successores Regulos omnino decem, & annos 241. perducit ad *Ngai cum* Regulum duodecimum; cum quo & historiam terminat. Titulum operis sui petivit ab Vere & Autumno, propterea quod cum virtute sapientiâque Principis, efflorescat, amœnissimi Veris instar, Respublica; uti è contrario cum ejusdem stultitiâ & improbitate, ceu Autumnali cœlo frondes ac flores, diffluere totam, marcescere, & consenescentis instar, tandem emori necesse est. Solebat autem, non defuturos olim qui perlectâ lucubratione istâ se noscerent, id est, studium suum publicæ utilitatis ac veritatis perspicerent; sed & futuros qui odissent ac damnarent; utique non alii quàm qui se & turpitudinem suam vivis istic coloribus expressam, & justas pœnas libidini, crudelitati, tyrannidi suæ propositas vel inviti contemplarentur. Commentatus est hunc librum perquàm eruditè *ço xi*, qui fertur fuisse *Confucii* discipulus, ediditque insuper aliud opus, cui titulus *Que-yu*; id est, *Regnorum Placita* sive axiomata.

Quintum denique Volumen, quod *Li-ki* inscribitur, (quasi dicant) *Rituum* & officiorum *memoriale*, decem libris constat: Collegerat hos *Confucius* ex variis Priscorum libris ac monumentis; sed quoniam trecentis circiter pòst annis, hujus quoque exempla omnia jussu barbari Imperatoris *Xi hoam ti* concremata sunt; neque aliter deinde quam consultâ grandævorum memoriâ restaurari potuerunt; dubium non est (& verò sic affirmant Interpretes) quin desiderentur aliqua; nonnulla etiam senilis memoriæ vitio, ne dicam industriâ quorumdam & malitiâ, irrepserint, quæ aliena sunt & apocrypha. Cautus igitur & prudens Lector apum hîc industriam imitabitur, & quæ ad rem faciant, rejectis aliis, sibi seliget. Agitur autem toto hoc volumine de ritibus tam sacris, quàm profanis: de officiis item cujusvis generis quæ tempore trium Familiarum principum *Hia*, *Xam*, *Cheu*, sed hujus maximè (qua imperante vixit *Confucius*) in usu fuerunt; quæ scilicet parentum sint erga liberos, quæ horum vicissim erga parentes, quæ conjugum inter se, quæ amicorum, quæ hospitum domi, foris, inter convivia, &c. Rursus quæ vasa, quas cœlo victimas, quibus in sacrificiis ac Templis, quæ majoribus jam defunctis fercula, quas dapes ac munera in funebribus eorum Aulis, quo ritu, quove apparatu, vel Reges, vel Opti-

mates, vel ipsum quoque promiscuum vulgus adhibere oporteat; quin & artes liberales, musicam in primis, item militarem jaculandi, regendi currus, studiosè persequitur; & claritatis gratiâ suis singula titulis distincta. Ad extremum miscellanea quædam leguntur à *Confucii* discipulis inserta, quorum Authores tum ipsi, tum Magister ipsorum fuisse perhibentur ab Interpretibus, tametsi ab aliis quoque velut apocrypha rejiciantur, quæ quidem P. Franciscus Xaverius Philippucci singulari tractatu eruditè pertexuit, quo Interpretum judicia & criticas annotationes circa præfatos 5. libros classicos è Sinico Latinè in medium producit.

Atque hæc sunt quinque illa primæ classis & authoritatis volumina, & quasi primi fontes scientiæ politico moralis Sinarum: quibus deinde proximi sunt quatuor libri, *Su xu* dicti, Philosophorum *Confucii*, *Mencii*que opus: Hi portò tametsi reverà censeri possint Interpretes 5. voluminum, utpote ex quibus hauserunt doctrinam suam propè omnem, maximo tamen in pretio sunt eorum libri, & memoratis 5. classicis Priscorum voluminibus, quæ utilitate procul dubio vincunt, authoritate etiam pares sunt, unde & *Lo kim*, hoc est, sex volumina dicuntur, vel *U kim su xu*, id est, 5. volumina & 4. libri. Certè quisquis ad litterarios gradus & laureas adspirat, cum necesse est de quinque voluminibus nonnisi unum dumtaxat, cui pro arbitrio suo operam ipse dederit callere; at verò quatuor hosce libros nullus omnino esse potest, quin totos memoriâ & intelligentiâ complectatur: Cujus quidem legis plures causæ extiterunt; prima, quòd quidquid ferè est succi melioris in Priscorum voluminibus excerpserint, suumque fecerint ambo Philosophi; altera, quod inventis Majorum suorum addiderint ipsi quoque non pauca; tertia, quòd multò planiùs quàm illi, multòque clariùs doctrinam suam proponant; postrema denique, quod expoliverint primævam ruditatem, & stylo cultiore at citra fucum tamen & fastum nudam aureæ ætatis simplicitatem exornarint. Itaque perpulerunt nos eædem causæ, ut hosce libros ex quibus de totâ Sinensium Philosophiâ statuere possent Europæi, potiùs, quàm alios è Sinico in Latinum converteremus; quamquam nec illos sic dimittimus, ut non identidem, quando res postulat, consulamus, & fontes adeamus per nos ipsi, puraque deriyemus aquas in lucubrationem nostram.

Tetrabiblii porrò quatuor omnino sunt partes seu libri: Primus, qui *Ta hio*, id est *Magna scientia* inscribitur; estque reliquorum comparatione minimus; docet Viros Principes ut benè feliciterque imperent; ab animi primum, necnon sui totius curâ cultuque initium sumere, deinde per familiæ suæ Aulæve domesticæ rectam institutionem, ad Regni, ac denique Imperii totius administrationem,

si eò

ſi eò cœlum provehat, gradum facere. *çem-çu Confucii* diſcipulus hunc in lucem edidit.

Alterius libri *Chum yum* dicti, titulus & argumentum eſt, medium ſempiternum ſeu medii vel aureæ mediocritatis conſtantia. *çu ſu Confucii* nepos ex filio, *Cemciique* diſcipulus, idemque Magiſter *Memcii* hunc vulgavit, & quædam de ſuo addidit; ſed & deſiderantur multa; ſic ut fragmentorum veriùs quàm libri ſpeciem habeat, & quia doctrinæ quæ traditur ſublimitas quandoque naturæ ipſius limites videtur excedere, eum Sinæ Magiſtri tanquam ſubobſcurum captuque difficilem, cùm numero ſecundus ſit, poſtremo tamen loco in Scholis exponunt.

Uſus quoque mirificos habet, & hoc ſecundo libro multò facilior, magiſque perſpicuus eſt Tertius 10. partibus conſtans qui *Lun yu* (quaſi dicant *Ratiocinantium colloquia* ſeu ſermones inſcribitur, propterea quod apophtegmatis *Confucii*, necnon diſcipulorum ejus, & variis hinc atque hinc quæſitis ac reſponſis totus conſtet. Itaque multus hîc ſermo de vitiis, de virtutibus, de officiis, de recto regimine; multa etiam, ne dicam juſtò plura, quæ, in Magiſtro ſuo *Confucio* cum obſervaſſent diſcipuli, memoriæ poſterorum, ut hi vel imitarentur, vel certè admirarentur, prodiderunt.

Quartus liber, ſi molem ſpectes, tres reliquos unus æquat; Author illius *Mem-çu*, ſeu *Memcius* jam ſæpiùs à nobis memoratus: de naturâ, ritibus, moribus, officiis diſputat; nulluſque Priſcorum propiùs ad noſtram philoſophandi rationem acceſſit: acutus eſt, multoque copioſior quàm *Confucius*: Et verò vicit hunc ipſe procul dubio facundiâ, at non item vitæ innocentiâ, modeſtiâ, ſeveritate ac probitate. Atque hæc de authenticis ac primæ notæ libris dicta ſufficiant à quibus proximum locum & authoritatem obtinent chronica Sinenſium, & ab his proximum rurſus, ſed longo proximum intervallo, locum obtinent alii libri quos inter *Kia yu*, id eſt, domeſtici ſermones, *Siao hio* parvulorum documenta, *Hiao-Kim* de obedientia, *Chum-Kim* de fidelitate quorum pars *Confucio* & ejus diſcipulis attribuitur, quæ omnia cum grano ſalis legenda, & conſideratè noſtris uſibus accommodanda ſunt.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

DE LIBRORUM CLASSICORUM Interpretibus.

NON poteſt non eſſe copia Interpretum, ubi tanta eſt librorum, qui ſcripti ſunt, & qui ſcribuntur copia. Certè nulla non ætas ſuos habuit. Eorum quidem librorum, qui *U Kim*, & *Su xu*, quinque ſcilicet antà memoratis Voluminibus & Tetrabiblio continentur, & quos deinceps per antonomaſiam *Claſſicos* vocabimus, Interpretes omnino ſexcentos eoque plures extitiſſe fama eſt: Non omnium ſingulos, ſed alios aliorum; ſic, ut hi *Xu Kim*, ſive libros hiſtoriales; illi Odas; alii libros de Ritibus & officiis; alii denique alios; nec pauci partem dumtaxat unius libri interpretati fuerint: Mendacii tamen ſuſpectam faciunt hanc famam qui operis *Sim li ta çiuen*, dicti, hoc eſt, naturalis Philoſophiæ pandectæ, Auctores ſunt; hi quippe claſſicorum Voluminum non plures quam viginti numerant Interpretes, quos imperantibus Familiis *Cheu*, *Han*, *Tam*, &c. vixiſſe perhibent; in quibus ipſis cùm multa rurſus deſiderari doceant, ſugillent multa; eis tandem (quod adulterinos eſſe vel planè cenſeant, vel certè ſuſpicentur) Neotericos Interpretes ætatis ſuæ tanquam legitimos haud dubitanter anteponunt; ſuos interim citant omnino centum ſupra octodecim, qui ſub duabus poſtremis Familiis *Sum* & *Yuen* floruerunt. Enimverò ſi de antiquioribus agatur, iis ſcilicet, qui ſub occaſum tertiæ Familiæ, *Cheu* dictæ, ſcripſêre; quandoquidem *Mencius* qui pertinuit ad eandem familiam & *Confucium* uno pòſt ſæculo ſecutus eſt, ſuorum temporum calamitatem deplorans teſtetur, hæreſes *Yam* & *Me* invaleſcere; Priſcorum verò Regum & Sapientum doctrinam negligi & obliterari: Non injuriâ ſuſpecti nobis ſunt Scriptores & Interpretes illius temporis quo non errores ſolùm graſſabantur, ſed his arma quoque (ſeptem Regnis inter ſe de Imperio decertantibus) licentiam & impunitatem dabant. Duos quidem cæterorum facile principes, quibus *Lieçu* & *Chuam çu* nomen, Interpres poſteriorum temporum, *Chin-çu*, dictus, aliique non diſſimulanter erroris arguunt ac damnant, quod Commentariis ſuis permiſceant haud pauca deliramenta ex *Lao-Kiun*, aliorumque Sectis quæ vigebant eâ tempeſtate deprompta.

Succeſſit Imperiali Familiæ *Cheu* Quarta *çin* dicta, bellatrix in primis & triumphatrix Regulorum omnium, quorum adeò ditiones & Regna tandem in Provincias redegit; ſed eadem de literis &

Digitized by Google

hominibus litteratis peſſimè merita: Quamquam peccatum hoc non tam Familiæ fuit, quam unius hominis cum quo illa dici poteſt & ortum habuiſſe, & pariter occidiſſe: Fuit is *Xi hoam ti*, muri Sinenſis Author, bellis & victoriis nulli Regum Sinenſium ſecundus: Hic furiis neſcio quibus agitatus, & fatali prorſus odio literarum, cremari juſſit per Imperium totum libros omnes, exceptis iis qui de Agriculturâ, de arte medendi, & de fortilegiis agerent, Authore ſcilicet *Lao Kiun*, vel potiùs Sectatorum ejus quibus eo favebat impenſiùs, quò magis impoſtorum deliramentis & mendaciis oblectabatur. Cùm ergò propoſitâ pœnâ capitali imperata fierent, Libri omnes Priſcorum Regum & Philoſophorum, *Confucii* in primis, nec non eorum qui hos interpretati fuerant, cum irreparabili damno rei literariæ flammis ubique terrarum abſumpti; & ne quid immanitati facinoris deeſſet, multi etiam hominum litteratorum collotenus humo defoſſi, partim gladio, partim ſagittis perierunt. Verùm paucis pòſt annis extinctâ cum Principe familiâ, ea quæ ſucceſſit, *Han* vulgo nominata, ordine jam quinta, quamvis & ipſa Sectæ *Lao Kiun* ſtudioſa fuerit: fuere tamen ex eâ Principes qui à literis & dogmatibus moribuſque Priſcorum adeo non fuerunt alieni, ut ſemiuſtas librorum reliquias, ſi quæ uſquam perſiſterent, confeſtim juſſerint colligi; parietibus item & ſepulchris abditos, quamvis jam ſemieſos ſituque perditos in lucem proferri; conſuli præterea grandes natu, ſi qui fortè quæ memoriæ quondam commendaverant pueri, etiamnum tenerent; nihil denique non adhibere operæ vel induſtriæ, quo tantæ literarum jacturæ mederentur. Remedii itaque plus etiam quàm ſperatum fuerat, allatum eſt: Non ſic tamen ut non multa remanſerint vel hiantia fragmentis ſuis & quaſi parte membrorum mutilata, vel alienis verbis atque ſententiis, ſeu relictis à vulnere cicatricibus, deformata, quæ tamen Sinenſis politica voluit manere intacta, ſic ut ne apicem quidem in iis immutare aut addere per leges unquam licuerit.

Sub hac interim Familia floruerunt librorum aliquot Interpretes, *Lieu*, *Cham*, *Pan*, *Kia*, *Chim*, *Vam*, aliique: Quos omnes Interpres, *Hu* dictus, enumerat qui ſcripſit imperante *Sum* Familia ſed antequam ad poſteriorum temporum Interpretes deſcendamus, operæ pretium fuerit præmittere notitiam aliquam duarum ſectarum quæ maximè hoc Imperium infecerunt, & litteratorum quoque ſenſum & animos aut omnino depravarunt, aut ex parte ſaltem corruperunt: Sic enim Europæus facilius diſcernet, qui tandem Interpretes ſint ſequendi, qui verò procul exterminandi.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS TERTIUS.

BREVIS NOTITIA SECTÆ

Li lao Kiun *Philoſophi, ejuſque Sectariorum, quos in Sinis* Tao ſu *vocant.*

UT uberiorem notitiam Lectori demus ſciendum eſt, Authorem Sectæ hujus extitiſſe Philoſophum *Li lao Kiun* vulgo dictum aliàs *Pe yam*, vel *lao tan.* Coævus hic fuit *Confucio* tametſi hoc aliquanto ſenior: fabulantur autem, poſt annos unum & octoginta, quàm eum ſua mater utero geſtaverat, tandem ex ſiniſtro hujus latere viâ ſibi factâ prorupiſſe in lucem; genitricem verò ex tam prodigioſo partu mox periiſſe. Extant illius libri; ſed à ſectariis (uti creditur) haud uno loco vitiati. Nonnulla ſcripſit, quibus dignas Philoſopho ſententias inſeruit de virtutibus, honorum fugâ, contemptu opum rerumque humanarum, & de beata illa ſolitudine qua Animus, humanis rebus ſuperior, frui queat. Ubi verò de productione rerum agit, hanc inter cæteras affert ſententiam, quam tanquam nobiliſſimum Philoſophiæ ſuæ axioma Sectatores aſſiduè decantant, videlicet *Tao ſem ye, Ye ſem ulh, Ulh ſem ſan, San ſem van ve*, id eſt, *Lex*, ſive *ratio produxit unum, unum produxit duo, duo produxerunt tria, tria produxerunt omnia.* Quod hominis pronunciatum, quamvis ambiguum ſit atque obſcurum, uti ferè illa Priſcorum oracula eſſe ſolent; una res tamen certa eſt, primi ac ſupremi cujuſdam Numinis habuiſſe notitiam, quamquam aberrantem reverà notitiam, ut qui exiſtimarit, Numen eſſe corporeum, tametſi aliis quoque Numinibus, ceu Regem ſuis clientibus, dominari fateretur. Eum artis quoque Chimicæ Principem atque Authorem fuiſſe paſſim tradunt.

Cæterum qualiſcunque demum Magiſter ipſe fuerit, hoc quidem extra controverſiam eſt, poſt aliquot deinde ſæcula multos eorum qui diſcipuli illius erant, aut eſſe mentiebantur, pravos ac perditos homines extitiſſe, quippe artis Magicæ vel inventores inter Sinas, vel certè propagatores. Etenim quamvis haud deſint qui Magiæ ducant initium ab Imperatore quartæ Familiæ *çin, xi hoam ti* dicto, famoſo illo literatorum hoſte, adeoque & librorum quos propè omnes concremari juſſit; propterea quod is à Magis & impoſtoribus diſcipulis dicti *Li-Lao-Kiun* perſuaderi ſibi paſſus ſit, immortalitatis pharmacum reverà dari (*Cham ſem yo* dictum) potum videlicet

qui

qui perennem vitam mortalibus conciliaret, quem proinde per insulas conquiri jussit: Magia tamen si non initium, maxima quidem cepit incrementa temporibus proximæ familiæ *Han* dictæ, quando sextus illius Imperator cognomento *Vu ti*, Magistro cui *Li xao kium* nomen erat, totum se nefariis Magiæ studiis dedidit; in Imperatricis fortè gratiam, quæ cum Priscum literatorum & *Confucii* Philosophiam aspernaretur, anteponebat huic alteram Philosophi *Li lao kiun*, atque, ut credibile est, jam depravatam, sed vel hac de causâ fœmineæ curiositati libidinique magis acceptam: Quod uti vulgatum fuit, magnus illico in Aulam concursus extitit eorum hominum qui novam Sectam istam profitebantur: cumque per illud tempus obiisset Reginarum una, quam Princeps deperibat, neque jam ferre posset amissæ desiderium, fuit ex illo Magorum grege qui umbram demortuæ præstigiis suis attonitò pavidoque Regi spectandam obtulit. Irretitus itaque tam pernicioſis artibus Rex, postquam multas insanivit insanias, & hausto sæpius immortalitatis potu, tandem tamen mortalem se esse sensit; morti jam proximus credulitatem suam, seris scilicet lachrymis deploravit, nefarias artes & artium Magistros detestatus. Haudquaquam tamen cum Rege extincta pestis hæc fuit; quinimò si non ex eadem schola prodiit, certè quidem vixit eâdem imperante familiâ nominatus ille *Cham tao lin*, cujus deinde posteri diabolicas artes longè latèque divulgarunt: Quos inter, præcipuum rursus nomen ac famam quidam *Cham tao yven* consecutus fuit. Demandata sunt igitur creditaque amborum curæ jamque adeò tutelæ quotquot extant Imperio toto Sectæ hujus Fana portentis istis consecrata; uti patet ex tabellis atque icunculis passim venalibus, quæ exhibent totum illum unà cum assecla suis dæmoniorum, hominumque gregem quos in deorum numerum conscripserunt & *Sien gin*, hoc est, *immortales* vocitant: Et quidem Sectæ hujus Ministros perhonorifico titulo *Tien su*, id est, *cœlestis Magistri* Imperatorum sub familiâ *Tam* superstitio & insania decoravit. Cujus quidem familiæ conditor Templum *Lao Kiun*, velut idolo, consecravit, & is qui fuit ordine sextus *Hiven çum* Imperator ejusdem statuam in Palatium suum introduxit. Jamque adeo posteri quoque impostorum horum haud in vulgari sunt honore, maximè quidem ii qui oriundi ex prima stirpe primo quoque loco sunt geniti, gaudent enim perpetuâ dignitate Mandarinici quodammodo ordinis, peramplas in habitant ædes ac splendidas in quodam pago Provinciæ *Kiam si* dictæ; frequentant hunc sanè multi, vel morbis suis petentes remedium, vel cupientes fatum suum, vitæque totius seriem edoceri: Quos ille, qui tunc *Tien su* dignitate ac munere fungitur, mendaciis suis atque præstigiis elusos, in syngraphâ suâ hieroglyphicâ aliisque diabolicis artibus instructos, lætos plerumque,

& quamvis nummis, quos longè expendunt, propè vacuos, spei tamen plenos domum remittit.

Cæterùm maximè videntur invaluisse diabolicæ artes istæ temporibus familiæ *Sum* sub tertio hujus Imperatore *Chin çum* dicto, qui anno sui Imperii undecimo, & post Christum 101. præstigiis aliorum somniisque suis illusus, librum à cœlo delapsum credidit, quam impostores ac Magi, vel horum administri cacodæmones, ex nobiliori portâ urbis regiæ noctu suspenderant: Quem adeò librum magis referrum pedes quærivit credulus, & magnâ cum veneratione excepturn atque in interiora sui Palatii regiâ cum pompâ illatum, aureo recluſum scrinio servari jussit.

Ex quibus omnibus sit perspicuum semper in deterius abiisse miserabile Sinarum Imperium, & (quod initio dicebamus) plenos esse superstitionum, ac multiplici dæmonum pacto illigatas artes atque observationes, quibus pestifera ista hominum secta nunc utitur. Tales autem cum sint, non pauci tamen ex Sinis adeo illas non aspernantur, ut post invectam deinde Idololatriam, hâc imprimis magistrâ, multò etiam studiosiùs easdem sectati fuerint, & veteres novarum quoque accessione cumularint; sic prorsus ut crebr & maximè vulgatis earum hodieque apud Sinas sit usus: Quarum si specimen aliquod sibi dari Lector expetat: Illi, modò quidem figuras tum Hæresarchæ sui, tum Idolorum suorum vacuo in aëre spectandas offerunt attonitæ credulæque turbæ modo in prægrandi pelvi aquis plenâ: mutationum imperii & sectatorum suorum dignitates phantasticas & novas præfecturas tunc obtinendas repræsentant. Modò post consultas sortes & invocatos cacodæmones penicillo ex aëre pendulo nescio quæ literarum monstra vel in subjectâ chartâ, vel in ipso pariete, vel in cinere describunt; aliasque hujusce modi præstigias & superstitiones exercent, quas inutile sit hîc pluribus referri.

At profecto tantæ pravitatis, non expers tantùm, sed ignara quoque fuit Priscorum Sinensium ætas. Verumtamen qualiscumque demum illa fuerit; nos certè ab ipsis Sinicæ Missionis exordiis hoc semper egimus, ut omnes omnino tam priscæ, quàm hujus ætatis observationes penitus extirparemus: & idem Christianorum quoque Scriptorum nostro consilio atque hortatu conatus fuit. Et hujus quidem sectæ consilio & industriâ, paulatim jam prisci Reges quidam facti velut numina & alii atque alii spiritus jam antea incogniti prodiere, & quidem sub titulo *xam ti* seu supremi cœli Imperatoris qui singulis præessent singuli elementis, nullâ cum relatione vel dependentiâ ad supremam & unam in cœlo potestatem: Quin imò, quod longè, detestabilius est, hominem (cui *Cham* Y nomen) ex eadem sectâ maximè sub *Han* familiâ celebratum *Yo hoam xam ti*,

hoc est, *precioſi Auguſti ſupremique Imperatoris* titulo condecorare, erectis ubique ei ſtatuis & Templis, non dubitavit familiæ *Sum* (non octavæ ſed ejus quæ fuit decima nona) Imperator numero octavus *Hoei çum* dictus: quo factum eſt ut juſto Dei Judicio domus Regia ruinam agere cœperit, & talem quidem ruinam, ut Imperium, quod ſub principibus patriis jam ſteterat annis quater mille ſupra ducentos, ad alienigenarum Gentium, Tartarorum, inquam, Occidentalium jugum & poteſtatem tum primum tranſierit, cui ſervituti per annos 89. turpiter coactum eſt parere: quod quidem graviſſimis verbis expendit *Kieu Kium xan* Colaus imperante 21. familiæ *Tai min* dum ſcribit in hunc modum; hoc tempore *Hoei çum* Imperator *per ſummam injuriam vili homuncioni attribuit titulum* Xam ti (ſeu ſupremi Imperatoris.) *Hic verò cum ſit omnium cœli ſpirituum ſummè auguſtus & venerandus ſpiritus; utique tam gravi affectus injuriâ non potuit non graviſſimè commoveri, & juſtiſſimis pœnis affligere Principem hunc & familiam denique ipſius funditus extinguere.* Sed de hac Sectâ jam ſatis: nunc ad alteram, quæ dein ſubſecuta eſt, progrediamur

---

PARAGRAPHUS QUARTUS.

BREVIS NOTITIA SECTÆ

Foe Kiao *dictæ, ejuſque Sectatorum.*

DUCENTIS ſeptuaginta pòſt annis quàm *Han* Familia rerum potiri cæperat; poſt Chriſtum verò annis quinque & ſexaginta, teterrima peſtis, & quovis incendio perniciosior, regiâ authoritate, Sinas invaſit, Idoli *Fe* Secta nefaria; ſimul cum Pythagoricâ metempſychoſi, cum plurimis fabulis ac ſuperſtitionibus, cum atheiſmo denique, & plurimis libris, quibus Sectæ principia, placita dogmata continebantur, ex Indiis in Chinam deportata. Quæ peſtis quoniam hoc tempore graſſatur latiſſimè, & libros ferè omnes Sectaſque Sinenſium, ſi Mahometanam fortè excipias, jampridem infecit; imò plurimarum ipſa mater eſt; Ad hæc, Chriſtianæ veritati noſtriſque conatibus vel maximè contraria, neceſſarium eſſe puto brevem hîc notitiam Lectori dare, & quæ illius apud Indos fuerit origo, quæ apud Sinas incrementa, quæ dogmata invexerit, altiùs aliquantò repetere.

Obtinebat Indiæ partem illam & Regionem, quæ Borealem inter & Auſtralem media eſt, & à Sinis *Chum tien cho* dicitur, Regulus *in fan vam*, cujus uxori *Mo-ye* nomen erat: Ex hac natus eſt illi

Digitized by Google

filius, *Xe* primùm, ſive *Xe Kia* dictus (quo etiam nomine tota Bonziorum colluvies ac ſuperſtitio ſignificatur; Japonii tamen corrupto vocabulo Sinico *Xaca* fecere) deinde, cùm trigeſimum attigit ætatis annum, *Fœ* nominatus; qui an reverà homo fuerit, an merum diaboli portentum (quod Apoſtolus Japoniæ Franciſcus Xaverius opinabatur) ancipitis controverſiæ eſt. Certè ſi fabuloſa non ſunt quæ Sectatores de ortu ejus commemorant, cum S. Xaverio ſentiendum erit: Narrant autem Matri per ſomnum oblatam fuiſſe ſpeciem Elephantis albi, qui ſe per os in ejus uterum inſinuarit; unde etiam fama, conceptum fuiſſe ex Elephante; & aliorum multò verior ſuſpicio, ope dæmonis ex humano ſemine aliunde deportato ſub belluæ iſtius ſpecie fuiſſe conceptum. Apud Indos quidem albi coloris Elephas non tantum in pretio eſt, ſed etiam in veneratione, uſque eò ut ſi dubia fuerit illius poſſeſſio, Regna quandoque bellis committat, nec niſi cum multo ſanguine controverſia finiatur. Narrant rurſus in lucem fuiſſe editum ex latere dextro Matris ſuæ, quæ adeò mox à partu interierit: Sic ut Salvator ille (quemadmodum Sectatores jactant) generis humani, ne Matris quidem ſaluti conſulere potuerit: Nimirum vel hinc intelligas, plus viperæ quàm hominis habuiſſe hoc monſtrum hominis. Et vero character *Fœ* compoſitus ex *non* & *homo*, id innuit. A partu mox pedibus conſtitit, & paſſus omnino ſeptem progreſſus, alterâ manu cœlum, alterâ terram indicans, *Tien xam, Tien hia to ngo guei çun*, id eſt, *in cælo, terrâque ſolus ego ſum venerandus*, clarâ voce pronunciavit, ne cuiquam dubium poſthac eſſe poſſit, quo tandem Patre ſit progenitus.

Acciderunt hæc anno Monarchiæ Sinicæ 1909. ante Chriſtum 1026. quo tempore *Chao vam* quartus è tertiâ Familiâ *Cheu* dictâ Imperator rerum apud Sinas potiebatur. Anno 17. ætatis ſuæ *xe kia*, ſive *xaca*, tres uxores duxit. Filium genuit, cujus nomen tribus literis *Lo heu lo* Sinenſes exprimunt: Nec multò pòſt humanis rebus curiſque renuntians, & pœnas ſcilicet daturus extinctæ ſui causâ Matris, conceſſit in ſolitudinem novemdecim jam natus annos. Hîc ſe quatuor Gymnoſophiſtis, qui *Jogues* in India vocantur, inſtituendum tradidit; quoad ætatis ſuæ anno trigeſimo, dum fortè prænuntium Solis boſphorum contemplatur, unico illo ſideris intuitu totam repente eſſentiam Primi Principii perſpectam habuit, & divinitate neſcio qua de repente afflatus, *Fœ*, ſive Numen (in Indiis *Pagode* dicitur) evaſit. Ex diſcipulo itaque Magiſter, ex homine jam Deus, doctrinam ſuam impertiri cœpit mortalibus. Nec defuit hîc filio (certè quidem Miniſtro ſuo) malus dæmon, cujus ope multa patravit quæ detinerent cœcos mortales vel rei novitate, vel miraculo prorſus attonitos: Quæ ipſa multis magniſque Voluminibus & iconibus prorſus elegantibus expreſſa Sinæ vulgaverunt. Annos omnino

omnino novem supra quadraginta dirus impostor dogmata sua longè latèque per Orientem vulgavit, quo ipse tempore *Salomon* Rex fluentis Sapientiæ suæ rigabat Occidentem.

Fidem superat quod de multitudine discipulorum ejus traditur; extitisse scilicet octoginta millia, quorum singulis suus vel Gymnosophiæ, vel Idololatricæ dignitatis gradus fuerit: Atque universim tota colluvies eorum hominum qui impensiùs ac religiosiùs sectantur hunc impostorem, apud Sinas quidem *Sem* & *Ho xam*, à Tartaris *Lamasem*, à Siamensibus *Talepoii* denique à Japonibus, vel potius ab Europæis hominibus *Bonzii* nuncupantur. Narrant autem ex portentosâ multitudine illâ selectos fuisse quingentos; ex his centum; ex centum rursùs alios decem, qui deinde Magnatum nomine & dignitate insignes encomia Magistri sui, postquam is excessit è vitâ, quinque millibus Voluminum complexi sunt.

Etenim sensit tandem aliquando novus hic Deus ex immortalium numero se non esse, cùm 79. ætatis anno deficere se viribus, urgeri morbo fatóque sensit. Cæterùm nunquam pernicioſior humano generi, quàm cùm pernicioſus esse desinebat: Teterrimum quippe virus Atheismi jam moriturus evomuit, disertè professus, se per *annos quadraginta eoque amplius non declarasse mundo veritatem*; sed umbratili & metaphoricâ doctrinâ contentum figuris, similibus, & parabolis nudam veritatem occultasse: At nunc tandem, quando esset morti proximus, arcanum sensum animi sui significare velle: extra *vacuum* igitur & *inane* (*Cum hiu* Sinæ vocant) primum scilicet rerum omnium principium, nihil esse quod quæratur, nihil in quo collocentur spes nostræ. Hæc diri impostoris ultima vox, & Atheismi prima radix; quamvis hodieque mendaciorum ac superstitionum tenebris abdita, ceu humo defossa vulgus imperitum lateat: Hinc etiam celebris illa doctrinæ in *exteriorem* & *interiorem* distinctio, quam mox declaraturi sumus.

Cadaver odoratis lignis pro more gentis concrematum fuit, cineres verò, in homines, spiritus, dracones maris (ut aiunt) dispertiti: Ad Insulæ Ceilani Regem dens unus dono missus: Quem deinde Constantinus Brigantini Ducis frater, dum res & arma Lusitanorum in India procurat, cætera inter spolia fortè captum flammis tradi jussit, ac redactum in cineres in profluentem dispergi, immensâ vi auri, quam ei redimendo per legatum suum Rex barbarus offerebat, Christiano regioque animo contemptâ. Quod autem dicatur à Maffeo cæterisque nostratibus historicis, simiæ cujusdam, quæ magnâ superstitione coleretur, eum dentem fuisse, non errori tribuendum est; sed quod nefarius ille dæmon, cum aliis atque aliis formis ac nominibus alibi colatur, tum in eis terris, unde Lusitani dentem sustulerunt, simiæ figura in veneratione sit. Etenim

Digitized by Google

præter alias ineptiſſimas fabulas hoc quoque Sectatores credulæ multitudini perſuadent, Magiſtrum hunc ſuum per metempſychoſim octies millies natum fuiſſe, modò ſub his, modò ſub illis beſluarum aliarumque rerum formis; noviſſimè verò ſpecie Elephantis albi conceptum, mortalibus opitulandi causâ rediiſſe.

Is ergò præter eam, quàm dixi, diſcipulorum turbam, diſcipulum unum longè ſibi chariſſimum, impietatis ſuæ primum hæredem & propagatorem reliquit; nomen illi *Mo o Kia ye*; cui etiam in mandatis dedit, ut libris omnibus, quos de doctrinâ ſuâ in lucem ederet, præfigeret hæc verba *Ju xi ngo ven: Sic ego accepi:* Neque aliis rationibus aut argumentis uteretur; ut planè videatur, hunc quoque faſtum præter inſanias alias didiciſſe ab hoc Magiſtro quæ quinque circiter pòſt ſæculis ſecuta eſt Pythagoræorum Schola.

Alterius item Magiſtri ſe antiquioris (reverà cacodæmonis) ipſemet *Fœ*, ſive *Xaca*, facit in ſuis libris mentionem; Sinis *O-mi-to*, Japonibus corrupto rursùs vocabulo *Amida* vulgò dicitur. Vixit is in Orientali India, ſive Bengala, Ubi & Elyſios eſſe campos, Sinicè *çim tu*, Bonzii fabulantur. Amidæ vero tanta perhibetur eſſe Sanctitas, & tot ejus tantaque merita, ut quiſquis eum deprecatus fuerit, criminum ſuorum, quamvis innumerabilia ſint, veniam conſequatur: Nihil ergo crebrius in ore plurimorum Sinenſium, quàm duo hæc monſtra *O mi to*, *fœ*, quo ſociatis amborum nominibus ac meritis purgatiſſimi evadant; mox ſcilicet eorumdem impulſu iterum atque iterum priſtinæ libidini, avaritiæ, perfidiæ, nulliſque non flagitiis habenas omnes impunè laxaturi.

Duplicis porro doctrinæ, cujus ante mentionem fecimus, vis hæc & ratio eſt, ut *exterior* ad *interiorem* quaſi manuducat; & tamdiu in uſu ſit illa (quam adeo *ſubſtitutam*, Sinicè *Kiven* vocant) quoad altera, quam *xe*, id eſt *veram* ſolidamque eſſe docent, in animis eorum qui capaces fuerint (ſunt autem è plebe pauciſſimi) firma conſtiterit: ſimili rem declarant: Lapideum fornicem molitur quiſpiam; ligneum procul dubio primùm excitat qui lapideo, quoad is perficiatur ac firmitatem obtineat, fulcri ſit inſtar: illo perfecto firmoque, ligneus utique diſſolvitur & abjicitur; quippe cujus jam nullus ſit uſus.

Exterioris ac ſuppoſititiæ doctrinæ hęc ſumma eſt: Boni & mali, pravi rectique diſcrimen dari: adeoque & præmium & pœnam, & ſedes huic & illi deſtinatas: Beatitudinem triginta duabus figuris, & octoginta qualitatibus obtineri: ipſum *Fœ*, ſive *xaca*, numen eſſe, & Salvatorem mortalium; horum quippe causâ, quod aberrantes à via ſalutis miſeraretur, natum eſſe; horum crimina per ipſum expiari; quibus expiatos ſalutem à morte conſequi, & in altero Mundo feliciùs renaſci: quinque dari præcepta: primum, ne rei viventi

Digitized by Google

dematur vita : ſecundum, ut abſtineatur furto : tertium, flagitio & cupitudine : quartum, mendacio : quintum, vino. Sic nimirum ſalutis noſtræ hoſtis honeſti rectique ſpecie fraudes & inſidias ſuas occultat. Sex item opera miſericordiæ Sectatoribus præſcribuntur : Hoc in primis, ut benignè foveant alantque Bonzios, exędificent eorum Cœnobia & Fana ; ſic quippe non defuturos qui precationibus ſuis pœniſque ſpontaneis debita peccatis ſupplicia exſolvant : papyraceas item maſſas auri vel argenti ſpeciem referentes, (inventum poſterioris ætatis) ad hęc, veſtes ſericas, aliaque id genus in funeribus crement ; fore enim ut in alterâ vitâ tantumdem veri metalli vereque ſupellectilis inveniant, & copia ſuppetat earum rerum quibus ibidem ad amictum victumque opus ſint habituri, & quibus truces illos & alioquin inexorabiles cuſtodes clauſtrorum octodecim (tot namque apud inferos conſtituunt) placare poſſint ac ſibi conciliare : Hæc autem ſi neglexerint, proculdubio ad inferos per ſex viarum unam prępcipites ituros ; & ſic ituros, ut in perpetuâ quadam metempſychoſeos rotâ, modo belluarum ; modo hominum, aliiſque formis innumeris miſere renaſcantur : viarum quoque ſingulas operosè deſcribunt, & multas alias nugas, & anilia planè deliramenta congerunt, quæ longum foret hic commemorare : Prędoni tamen Evangelico perſpecta eſſe prorſus utile futurum cenſeo ; cum magni referat, eorum, quibuſcum tibi perpetua dimicatio eſt, exploratas habere res omnes.

Verùm nunc ad *interiorem* doctrinam, & occultiſſimas fraudes inſidiaſque gradum faciamus ; & dejectâ ſubſtructione metaphoricâ ſpecioſum illum veritatis arcanę fornicem, cujus firmitatem (cùm ſit inaniſſimus, ipſaque inanitas) tantopere tamen deprędicant, ſtudioſius contemplemur. Sed arceatur hinc primùm rude vulgus ; (hæc eſt nequiſſimorum hominum prima cautio) ſimplex enim & credula multitudo tartari metu ſimilibuſque fabulis utique debet in officio contineri : Soli nobiles ac literati ſpectatum veniant ; atque ex cœnobitis ipſis ac Bonziis illi dumtaxat qui ſecreti capaces ſint ac perſpicacitate ingenii cęteris antecellant.

Summa doctrinę, quam vocant *interiorem*, ſolidam, veram, hęc eſt, *ſam hiu*, *vacuum* neſcio quod, & *inane* ; principium eſſe finemque rerum omnium. Ex hoc primos humani generis parentes originem duxiſſe ; in hoc, ubi vivere deſierunt, reverſos eſſe ; neque aliam totius eſſe generis conditionem. Imo vacuum ipſum (inquiunt) noſtrum eſſe, noſtraque ſubſtantia eſt, ſic, ut ex illo pariter & elementis quidquid uſquam rerum eſt producatur ; & in idem per interitum deinde reſolvatur ac redeat : omnino ſolis figuris & qualitatibus diſtingui ac differre omnia, ceu aquam vaſis aliis atque aliis impoſitam : Nunc item per floccos in nives extenuatam, nunc ci-

Digitized by Google

nerum instar effusam in nebulas, aliquando procusam in loricas congelascentium aquarum, aliquando in lapides grandinis sese constringentem; similiter quoque ut æs, & aurum, ex quo modo hominem modò leonem, modo quamcumque aliam supellectilem conflet Artifex, utique diversa; verumtamen liquefacto dein metallo, prorsus unum quid idemque. Sic ergo quæcumque existant, vitâ, sensu, mente præditâ, quamvis inter se usu & figurâ differant; intrinsecè tamen unum quid idemque esse, quippe à principio suo indistincta.

Hoc autem principium; cum doceant esse prorsus admirandum quid, purum, limpidum, subtile, infinitum quod nec generari possit, nec corrumpi, quod perfectio sit rerum omnium, ipsumque summè perfectum, & quietum, *negant* tamen, *corde*, *virtute mente potentiave* ullâ instructum esse. Imo hoc esse maximè proprium essentiæ ipsius; ut nihil agitet, nihil intelligat, appetat nihil. Quocirca quisquis benè beatèque vivendi sit cupidus, huc assiduâ meditatione, suique victoriâ eniti oportere, ut principio suo quamsimillimus affectiones omnes humanas domet ac prorsus extinguat; neque jam turbetur, vel angatur re ullâ, sed extatici prorsus instar absorptus altissimâ contemplatione, sine ullo prorsus usu vel ratiocinio intellectûs, divinâ illâ quiete, qua nihil sit beatius, perfruatur: quam ubi nactus fuerit, communem vivendi modum, & doctrinam tradet aliis, & ipsemet specie tenus sequatur; clam vero sibi vacet ac veritati; & arcanâ illâ quiete, vitæque cælestis instituto gaudeat. Hæc mysterii summa. Nulla interim pravi rectique mentio, nulla præmii vel pœnæ, nulla divinæ providentiæ, vel immortalitatis animorum. Unum loquuntur *vacuum*, & reale *nihil*; idque, ut vidimus, confusissimum: ad hoc rerum ortum interitumque referunt; imo hoc ipsum esse res omnes, in quas assiduè transmigret ac transformet sese per quatuor viarum unam, vel *uteri*, vel *ovorum*, vel *seminis*, vel *mutuæ conversionis*: Sic ut unum idemque chimæricum principium sit homo, leo, lapis, omnia. Ex illius ergo contemplatione chimæræ tota (quemadmodum narrabam) beatitudo petitur: cui contemplationi qui vacant impensiùs, censentur ad propriam novamque rursus Sectam pertinere.

Hæc alio nomine *Vu guei Kiao*, sive nihil agentium secta dicitur, nec multum dissimilis ab ea cujus jam meminimus, quæ quidem cum diu antè viguisset inter Gymnosophistas Indiæ, tùm apud Sinas quoque florere cæpit imperante *hoei ti*, qui fuit secundus è septimâ numero Familiâ, *çin* dictâ, ducentis nonaginta circiter annis post Christum: Quod autem magis admireris, Optimates ipsos Imperii, & Summos quosque Viros invasit exercuitque hæc insania, sic prorsus ut quò quisque propiùs ad naturam saxi truncive accedebat, horas complures sine ullo corporis animique motu persistens, sine

ullo

ullo vel ſenſuum uſu vel potentiarum, eò profeciſſe feliciùs, propiorque & ſimilior evaſiſſe principio ſuo aërio, in quod aliquando reverſurus eſſet, putaretur.

Ferunt itaque, *Ta mo* ipſiuſmet *Xa cæ* ex ſtirpe vigeſima octava nepotem annos omnino novem conſediſſe obverſum parieti; quo omni tempore nihil præter chimæricum illud principium ſuum *vacuum* & *nihil*, contemplatus fuerit; eique tandem conformatum, Numen evaſiſſe: Numinis certè venerationem apud Sinas jampridem obtinuit, extructis ei Fanis peramplis atque magnificis: Quamquam honores longè præcipuos, & cognomentum *Fœ*, duobus maximè deferunt, *Amidæ* ſcilicet ac *Xacæ*, quod eos extitiſſe dicant imagines quaſdam primi principii planè perfectas, numeriſque omnibus abſolutas. Alios, qui ejuſdem principii unum dumtaxat Attributum referant, *Pu ſa* nuncupari volunt: talis eſt *Quon in pu ſa*, quod Idolum ſpecie Matris ſimul & virginis parvulum complexæ filium, *miſericordiæ* ſolius imago eſt: His rurſus inferiores, & priſcis apud Romanos Diis minorum Gentium haud longè abſimiles, *Lo han* vocant.

Oppugnavit interim contemplantium Sectam ſcripto volumine Colaus *Poei guei Confucii* Sectator, & copioſè probat Ariſtotelicum illud *ex nihilo nihil fieri*; ex quo deinde conficit, extitiſſe procul dubio diu antè principium illud à quo tot res, quas maximè videamus exiſtere, profluxerint. Cæterùm non ita refellere potuit vir egregius errorem iſtum, ut non manarit latiſſimè, & multi noſtra quoque ætate, contemplationibus tam inſanis vacent. Amplius dico Literatorum plurimos tam patrio *Lao Kiun* quam Indico *Xacæ* toxico afflatos fuiſſe & etiamnum eſſe: multi ipſorum è ruſtica & ſuperſtitioſa plebeiorum fœce progeniti educatique, tametſi ingenio ſuo ad ſumma quæque in Republica munia & dignitates emergant, vix aut ægre ſanè exuunt nativas illas ac domeſticas ſuperſtitiones, quas à teneris unà cum materno quodammodo lacte ſuxerunt, præcipuè cum etiam principum ſuorum, quorum gratiam aucupantur, exemplis provocentur & confirmentur. Damnant alii quidem peregrinam novitatem, & gravibus verbis atque ſententiis hæreticam & perniciоſam eſſe docent; reverà tamen mihi non tam videntur, lapideum fornicem, quàm ligneum cenſuris ſuis demoliri velle: Et cum *exterioris* doctrinæ placita, rituſque plurimos, & carnis vinique abſtinentiam, & tot idololorum monſtra, & otioſam inutilium Reipubl. Bonziorum turbam odiſſent; *interiorem* tamen & arcanam doctrinam non pauci amplexi, in profundam Atheïſmi voraginem, in quam ſuperbi tumoris ac vitiorum ſuorum pondere proni jam pendebant, tandem præcipites abiviſſe.

Quamquam voraginem hanc ipſam & præcipitium ſpecioſo rur-

Digitized by Google

ſus *Sim-li* nomine, *naturalis* ſcilicet *Philoſophiæ*, quaſi viæ cujuſdam jam olim tritæ, planæ, regiæque occultant improbi; & cum hallucinentur errentque graviſſimè, adeò tamen expertes erroris omnis videri volunt, ut tanquam Cenſores ac Judices non ſuæ modo ætatis, ſed omnis etiam retrò antiquitatis cum intolerabili quadam arrogantiâ per vim, & nefas Claſſicos gentis libros ad ſententiam ſuam temerè exponant, nec dubitent authoritate Majorum ſuorum, quorum tam eximia virtus fuit ac ſapientia, impietatem ſuam ſtultitiamque confirmare.

Qui in hoc genere, non quidem primi, ſed plurimum tamen peccaverunt, *Cheu*, *Cham*, *Chim*, *Chu*, quatuor Interpretes, cum imperante Familiâ 19. *Sum* (ut tandem revertamur, unde fueramus digreſſi) Claſſicos libros illuſtraſſent commentariis ſuis, aut veriùs multa ex iis obſcuraſſent ac fœdè contaminaſſent; eos tamen veluti Magiſtros ſecuta deinde poſterior eſt ætas: Et in exordiis quidem *Taimingæ* Familiæ nova perniciosaque doctrina mox prodiit, non aliorum magis, quam quatuor iſtorum Interpretum ſententiâ & authoritate ſtabilita.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

DE SECTA LITTERATORUM,

ſeu Philoſophorum propriâ, quod illius fundamentum aut principium veteres, quod moderni Interpretes conſtituerint.

PRISCA Sinarum ætas, ſapientiæ, prudentiæ, ac reliquarum virtutum ſyncera cultrix & Magiſtra, cùm admirabilem cœli terræque ordinem & conſtantiam ſemper admirata fuit, tum etiam perquam ſollicitè ſtudioſéque conata eſt imitari: Hinc petivit illa Monarchicum ſuum regimen, quod annos quater mille jam viguit; hinc infimorum per media, mediorum per ſumma, tam aptum facilemque gubernandi modum: prorſus ut videantur Priſci gentis Reges ac Sapientes in hoc uno totâ contentione mentis & corporis laboraviſſe: ſublimiores verò magiſque remotas à ſenſibus philoſophantis Græciæ delicias, ne primoribus quidem labris unquam delibaſſe, fortaſſis etiam averſaturi animo, & non aurium modo, ſed finium quoque aditu prohibituri, ſi quis inde vel Ariſtoteles, vel argutior quicumque Sophiſtes è Stoïcorum vel Peripateticorum Scholis in Chinam commigraſſet: Una pax ſcilicet & conſtans, æquabiliſque tam morum quàm legum ratio in votis erat: Hoc autem ut aſſequerentur, Religioni primùm, deinde politicæ guber-

Digitized by Google

nationi dabant operam : Illâ Supremum aliquod Numen, quod *Xam ti Supremum cæli Imperatorem* nuncupabant; nec non alios ſpiritus, ſublunarium rerum præſides, ritè venerabantur; arcana verò naturæ illius, quæ tam ſublimis eſt, & ab humanis oculis tam remota, adeò non ſcrutabantur curioſiùs, ut diſertis quoque verbis id vetarent, ne veritati ſcilicet pacique publicæ officerent hæreſes in gente ingenioſa quidem, ſed inſtabili, & novitatum cupidiſſima faciles oriri : Politicæ verò prudentiæ induſtriæque ſumma hæc erat, ut qui imperabant, filiis imperare ſe crederent; qui parebant, patribus ſe parere. Et hæc quidem Priſcæ ætatis ratio omnis ac Philoſophia, de qua copioſius in ſcientia Sinica ad (quam ſuſcepimus explanandam) pertractandum erit.

Supereſt igitur examinandum, num alia quædam poſterioribus temporibus invecta ſit Philoſophia, quam Priſci Sapientes omnino ignoraverint, & ſoli Neoterici Interpretes quadraginta ſæculis ut aiunt, ſepultam, in lucem orbis ſui Sinici tandem produxerint. Ut autem ordinatè procedamus; in primis qui illi, & quantæ authoritatis, & quo tempore prodierint Interpretes, diſquirendum, deinde ex quo hauſerint fonte doctrinam illam ſuam ſeu novam Philoſophiam, & ad extremum quod tandem totius doctrinæ ſuæ, aut naturæ principium ac fundamentum ſtabilire contenderint : Sic etenim facile erit ſtatuere quam potiſſimum ſententiam homo Europæus ſequi debeat, an eorum, qui pro Priſcorum innocentia, rectitudine, & ſinceritate dimicant, an verò eorum, qui vix ulla illius ratione habitâ, corruptiſsimis temporibus novam doctrinam machinati ſunt, & ad poſteros tranſmiſerunt.

Porrò ad Neotericos Interpretes quod attinet, eos hîc voco qui extiterunt imperante familiâ *Sum* (non eâ quæ fuit ordine octava, ſed quæ fuit ejuſdem characteris ordine decima nona) cui equidem familiæ initium dedit annus à Chriſto nato nongenteſimus ſexageſimus, nongentis, uno minùs, annis poſt idololatriam unà cum ſomniis Pythagoricis regiâ authoritate ex Indiis invectam in Sinas, è quâ deinde Sectâ aliæ atque aliæ exortæ ſunt, ut nihil jam dicam de propriis & quaſi domeſticis gentis Sectis & Hæreſibus, *Lao Kium*, *Tam & Me*, olim jam dominantibus in Chinâ. Imperialis ergo familia *Sum* cum eſſet præ omnibus retrò familiis Litterarum ſimul ac Litteratorum ſtudioſiſſima, adeoque & fœcundiſſima, Interpretes habuit admodùm præſtantes ingenio & dignitate, qui non ſolum quinque librorum Claſſicorum & Chronicorum interpretationem, ſed etiam ipſorum Interpretum *Confucii* ſcilicet *Mencique* & aliorum Commentarios, & proprias lucubrationes multò copioſiùs diſertiùſque explanandas ſuſceperunt.

Hos inter autem præcipui ſunt nominis *Cheu çu* & fratres duo

Chim çu dicti qui anno Christi 1070. circiter scripserunt imperante *Xin çum* sexto Familiæ *Sum* principe ; quos deinde secutus est, quamvis eos idem longè antecesserit famâ & authoritate, *Chu çu* (alio nomine *Chu hi* dictus) qui diem obiit anno post Christum 1200. *Nym çum* Imperatoris decimi tertii anno sexto. Interpres iste maximis quoque perfunctus est muneribus in Imperio , & quia de litteris usque adeo bene meritus , titulo *Ven cum* litteratorum principis condecoratus est. Porrò tametsi floruerint omnes sexcentis ferè ab hinc annis , fidenter tamen eosdem Neotericos esse dicimus, quatenùs scilicet cum veteribus, quos suprà citabamus , & qui annis mille supra quingentos , eos antecessêre , comparantur : Quo etiam intervallo temporum Familiæ Imperatrices omnino 15. ortum suum & occasum habuerunt, bellis ardentes civilibus pœnè perpetuis , & dolis, insidiis, cædibus, parricidiis per fas per nefas supremum sibi jus vindicantes : Ad hæc miserabiliter implicatæ & contaminatæ variis idololorum sectis, quæ ex unâ ferè, quam supra diximus , hydræ ad instar pullulabant in dies : quas inter tenebras, & perturbationes ecquis tandem locus fuerit bonis artibus & studiis litterarum ? Vix ullum sanè fuisse & fatentur ipsimet & verò plorant; quò minùs mirandum est scriptores illorum temporum (fuerunt enim aliqui) tam raros fuisse , tam mutilos , & tam succinctos, ut non dubitarint *Chu çu* aliique dicere per annos mille & amplius non extitisse hominem verè litteratum. Cæterùm de Neotericis hisce, quos modò dixi Interpretibus Imperatores aliqui Familiæ *Sum* , diserte affirmant, quod post obitum *Confucii* , *çemcii* , *çusu* , *Memcii* antiquorum Interpretum , non alii deinde extiterint qui sensum librorum veterum feliciùs, & magis dilucidè explicarint, & suscitaverint quodammodo sepultam per tot sæcula doctrinam Priscorum , quam hi ipsi sub Familia *Sum* posteriores Interpretes : atque ea etiam est causa, quod alii Interpretes his ipsis longè rursus recentiores, ii scilicet, qui floruerunt Imperante *Yum lo* tertio ex Familia prima & vigesima *Tai mim* (quæ hanc , sub quâ scribimus proximè antecessit) dum mandato ejusdem, nec non opera studioque duorum & quadraginta Litteratorum selectorum ex aulâ , quinque libri veterum seu opera doctrinalia operosè recognita in lucem publicam novo prælo eoque regio prodierunt; communi planè sententiâ statuerunt non alios ferè Interpretes sequi & in scholis exponere, quam memoratos *Chim çu* & *Chu çu* : sic prorsus ut reliquos ab his Interpretes ad duos istos adjungere sint conati , & in verba duorum tandem hominum tantùm non jurare voluerint omnes. Itaque lucubrationes multis distinctæ voluminibus tandem editæ sunt in lucem anno post Christum 1415. qui annus erat decimus tertius memorati *Yum lo* Imperatoris. Præter explanationem autem quinque Classicorum

Digitized by Google

eorum librorum quibus & explanationem tetrabiblii sive operum *Confucii*, *Memciique* addiderunt, aliud præterea fabricati sunt opus, quod continet viginti non exigua volumina, quæ inscribuntur *Sim li ta çiven*, id est, *de Natura* seu Philosophia naturali *Pandectæ* : cujus Operis Auctores quadraginta sic insistunt vestigiis duorum Interpretum quos paulò antè meminimus; (cùm tamen isti quoque Interpretes nullâ sint antiquitate insignes, utpote qui trecentis circiter antè annis floruerunt) sic inquam, sectàntur illos & colunt, ut quamvis videri velint haudquaquam discedere à doctrina in Priscis Majorum suorum monumentis contentâ (quæ adeo quasi obtorto collo in sententiam suam pertrahunt assiduè) reverà tamen longissimè discedant, ac planè videantur in Neotericorum, quos diximus, verba jurasse. Manavit autem mali labes ad nostram usque ætatem, qua videmus haud paucos è Litteratorum ordine novis illis commentis operam dare; & quamvis Classica nulla ratione censeantur, suum tamen pondus atque authoritatem, quam minimè merentur, attribuere. Errori nimirum causam præbuit specioſa rei novitas; quippe cùm disputaretur ibi de procreatione rerum de principiis & causis, nec sine ingenio copiaque sermonis & elegantiâ disputaretur; ad hæc, authoritate Regiâ, necnon operâ duorum & quadraginta Virorum, qui omnes erant litteris & dignitate primi, perfectum sit opus; Sinarum aliqui magis crediili novam hanc & mendacem Philosophiam (si tamen Philosophiam) tanquam cœlo delapsam, eò cupidiùs amplexi, quò certiùs existimabant amicam esse veritati & cœlo, cum reverà esset tàm huic quàm illi inimicissima : Quid enim ? An dici potest, aut etiam fingi quidquam magis contrarium veritati, quodque sit à lumine rationis cœlitus nobis infuso magis alienum, quàm si negetur existere, qui cœli, qui terræ, qui rerum omnium effector, & Dominus, & Moderator sit ? Negetur autem apud eam gentem, quæ constantissimo usu & consuetudine quater mille annorum, ceu disertissimâ quadam oratione professa fuit, cuivis corpori suo capite, cuivis hominum cœtui suo Principe, ut diu conservari possit ac regi, opus esse : Nisi fortè dicamus Priscos Sinas, cum sua omnia ad normam cœli terræque tam studiosè exigerent, existimasse tamen hoc ipsum deesse prototypo, quod erat in exemplo prototypi longè maximum; cœlum, inquam carere suo Rege ac Domino, quo imitatrix cœli Monarchia carere nunquam potuerat; pulcherrimumque illum, & maximè constantem cœli statum, motum, ordinem, à nullo Numine nullove consilio proficiscì, sed casui ac temeritati deberi omnia; cùm tamen, ut statum illum motumque & ordinem quadantenus imitarentur, nihil æquè necessarium sibi esse ducerent, quam consilium prudentiamque adhibere, & uni capiti, unique Regi summam rerum suarum

Digitized by Google

cum potestate propè divina committere. In Barbaros, vel amentes potius, & quibus una dominetur stultitia atque temeritas, dicamus errorem hujusce modi potuisse incidere, non in eos qui tantâ Sapientiæ laude, quanta fuit Priscorum Sinensium, floruêre.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

EX QUO FONTE HAUSERINT novum Philosophiæ genus Neoterici Interpretes.

RADIX totius doctrinæ una est atque eadem, unumque planè fundamentum, liber scilicet *Te kim* sive mutationum quem supra inter 5. Classicos libros tertio loco posuimus si tamen libri nomen merentur hieroglyphicæ lineæ ac figuræ, eæque perpaucæ, quas *Fo hi* Sinicæ gentis conditor, cum Litterarum tunc nullus esset usus, posteritati suæ, ceu alterum nodum gordium explicandas reliquit. Et quoniam ab hoc libro pandectas suas ordiuntur Interpretes isti eoque præcipue totam suam fundant doctrinam, antequam ulteriùs provehamur, operæ pretium videtur exponere curioso Europæo, hujus libelli quoddam summarium & paradigma. Et Authoris quidem consilium non aliud fuisse constat, quàm ut rerum creatarum mutuos vel nexus ac societates, vel dissociationes ac pugnas; ad hæc, influentias, ordinem, vicissitudinem mortalibus ob oculos poneret, & per istos veluti gradus rudem Sinicæ gentis infantiam ad sui principii ultimique finis supremæque spirituum intelligentiæ notitiam paulatim manuduceret. Cui proinde vota & sacrificia jam tum offerebantur, & quam ob rem *Fo hi* alio nomine dictus *Pao hi* quasi, complectens victimas, nominatur, quò evidentissime convincitur veri numinis cultum in ipso gentis exordio extitisse.

In primis autem videtur, illa quæ *cœlo*, *terræ*, *homini* accidebant, posteris consideranda proposuisse; quippe dum contemplaretur horum trium mirabilem quamdam societatem, & quasi mutuam affinitatem ac symmetriam, descripsit ipse *Figuras octo* Sinicè *Pa qua*, id est, *octo pendulas imagines* vel figuras; his quippe vocibus *Qua-hiven-chi-siam* Interpres litteram *Qua* exponit, tametsi nunc vulgo pro sortibus per abusum accipiatur. Et sic quidem eas figuras descripsit, ut singulæ ternis quoque lineolis partim integris, partim interruptis constarent: Ex quo deinde combinationes octo consurgunt: Ad eum ferè modum quo artis nostræ metricæ pedes trisyllabi combinantur, si loco integræ lineæ syllabam longam, interruptæ duas breves concipias. Ex his autem ternariarum com-

Digitized by Google

binationum ductibus duplicatis, octiesque inter se multiplicatis quatuor & sexaginta figuræ tandem existunt, quas ipsas dum curiosa deinde posteritas disponit alio atque alio situ sive structurâ, illæ situ suo atque varietate variam ac multiformem rerum naturam, motum, ordinem, ceu rudi quapiam picturâ quadamtenus adumbrant.

Quod ut penitùs cognoscatur, scire oportet; ab omni retrò ætate sic censuisse Sinas; duplex dari rerum omnium materiale principium, alterum *Perfectum*, alterum *Imperfectum*, hoc *Yn*, illud *Yam* nominant: quæ quidem duo, à *Tai Kie*, id est, *Magno axe* producta sunt, qui videtur chaos quoddam aut massa quędam materialis complectens omnia, aut quemadmodum Doctores Sinenses, & inter Ethnicos non pauci & quotquot fidei lumine colluſtrati unanimiter nobiscum exponunt *Yven che*, hoc est, *Materia prima*: videntur autem multi Interpretum, cùm de prima rerum productione disputant, complecti animo & cogitatione suâ quoddam velut ingens mare, quod bipartitum in duo maria minora (& sic bipartitum, ut in altero persistat quidquid est mobilius, levius, purius, atque perfectius; in altero quidquid est minus mobile, & gravius magisque fœculentum atque imperfectum) totidem rerum principia veluti secundaria constituat: Hæc autem duo principia quasi duo maria, sed jam minora, abire rursus atque subdividi singula in alia duo, & quidem cum eâdem secretione *puri perfectique* ab eo quod *fœculentum* est atque *imperfectum*: Ex his porrò quatuor, octo similiter divisa discretaque existere; octo mox abire in sedecim veluti spatiosa jam flumina: hæc in duo & triginta; tum in quatuor & sexaginta; ac tandem in plurima & veluti fluenta rivulosque dispertita (servatâ semper primæ divisionis atque secretionis normâ) spectabilem hunc Mundum constituere: Etenim ut ab hoc simili transeamus ad rem ipsam, sic passim Philosophantur Sinæ, ut dicant, ex *Yn*, & *Yam* utriusque vi & virtute, ceu multiformi qualitate constare omnia, eoque rem quamlibet magis minusve perfectam esse, quò plus minusve de alterutro principiorum obtineat.



Digitized by Google

Tota igitur mappæ seu tabulæ constructio ex duabus, ut dixi, Lineis conflatur,

unâ non interruptâ, alterâ interruptâ,



eæ Lineæ, quæ non interruptæ, sed perpetuæ sunt atque integræ; perfectum quid ac solidum, & quod in eodem genere vincat alterum, necnon felix ac fortunatum quid significant: His autem contraria designant eæ quæ sunt non integræ seu interruptæ: Interruptis ergo *imperfectum*, ex. gr. terram, lunam, aquam, frigus, noctem, fœminam, humorem nativum quem vulgò radicalem dicimus, morbos, & calamitates designant: *Perfectum* verò, ex. gr. cœlum, solem, ignem, calorem, diem, masculum, nativos ignes seu calorem primigenium, prosperam valetudinem, ac fortunam perpetuis integrisque. Docent præterea, perfecti proprium esse manifestare sese, prodire foras, movere, dilatare, rarefacere, ascendere, augere, aperire; contra verò imperfecti proprium esse abscondere sese, introire, quiescere, restringere, condensare, descendere, imminuere, claudere. Ex horum autem duorum principiorum singulis alia rursus duo principia veluti subalterna docent existere; duo quidem ex *Perfecto*, quarum alterum sit perfectum majus, alterum sit imperfectum-minus. Duo autem ex *Imperfecto*, quorum alterum sit perfectum-minus, alterum sit imperfectum-majus.

Has autem quatuor ex duobus principiis emanationes, *Su siam*, id est, *Quatuor imagines* vocat *Confucius*: Quibus, ex Interpretum quidem sententiâ, *Sol*, *Luna*, *Stellæ majores* seu magis coruscantes, & *minores* seu minus coruscantes denotantur. Quam sententiam quo pacto probare queant ac tueri non satis constat. Mutuam certé hîc radicem, seu uti nos loquimur, causalitatem nescio quam hîc admittere videntur, exempli gratiâ, ex calido nasci frigidum, seu saltem consequi, & rursus ex frigido calidum: quam sententiam tamen, dum tueri ac probare conantur Interpretes, exemplo utuntur hujusmodi: aqua & metallum frigida sunt (inquiunt) naturâ suâ; sed negari non potest, fulgorem & claritatem quæ utrique inest effici à calore, utique non ab alio calore quàm qui aquis omnibus & metallis insit: Ignis similiter naturâ est calidus; at nigricans illud ac cæruleo non absimile, quod in undante flammâ solet observari à quâ causâ procedit, si non à frigore: quod igne continetur procedit? Calor nimirum cùm intensissimus est gignit quodammodo frigus; Frigus item, cum supremum efficacitatis suæ gradum obtinuit, gignit calorem; adeoque cum frigus in Septentrione sit intensissimum, fit (inquiunt) ut hoc ipso in loco calor sumat initium, qui deinde

deinde dextrorſum procedens, incrementum capit in Oriente; vim ſummam perfectionemque obtinet in meridie: Frigus è contrario naſcitur in meridie, mox ſiniſtrorſum gyrans augeſcit in Occidente; Perficitur denique in Septentrione. Sic illi.

Geminatis rurſum ſupradictis principiis ſubalternis, ſeu imaginibus, exiſtunt *Pa qua*, *Octo* ſcilicet *Figure*; quas & Interpretatus fuit *Ven vam* Rex, indito ſingulis ſuo nomine ſeu charactere. Tribus lineis, vel integris, vel interruptis ſingulæ conſtant. Paradigma quod ſubjicimus, rem declarabit.



Digitized by Google

DUO RERUM PRINCIPIA.



Quatuor Imagines ex duobus Principiis proximè natæ.



Octo Figuræ ex quatuor Imaginibus promanantes.



Has octo Figuras, ex quibus quatuor ad perfectum, quatuor ad Imperfectum pertinent, in Orbem quoque describunt, cum mutuò inter sese, nec non vario, ad quatuor Mundi Cardines aspectu: Quibus etiam Cardinibus quatuor Zodiaci puncta, Solstitialia scilicet, & Æquinoctialia, quibus dum media rursus jungunt, octo Zodiaci quoque puncta & quasi Mundi Cardines describunt. Figuras interim sic describunt, ut à capite primoque numero semicirculum quatuor constantem Figuris ac numeris, producant ad lævam; & mox alterum à capite (seu quinto numero) rursus orsi cum totidem numeris ac Figuris ad dexteram describant, Orbemque totum conficiant, hoc modo.



De harum mutua vel conjunctione, vel oppositione *Confucius* ad Librum *Ye kim* (interprete *Cham Co-lao*) exponens: *Cælum* (inquit) & *Terra certam* ac determinatam *sedem locumque obtinens*, hæc inferiorem, illud superiorem. *Montes* & *Aqua montium* se *mutuo penetrant per humores* tam eos, qui in vapores resoluti ascendunt ex aquis locisque subterraneis (unde nubes & pluviæ) quam eos, qui densiores cum sint, descendunt; ex quibus deinde fontes existunt, & fluenta, & stagna. *Tonitrua* seu exhalationes siccæ & calidæ, & *Venti* seu vapores & halitus ventosi frigusque circumstans, *se mutuò comprimunt atque urgent*, necnon unita permixtaque se mutuo fovent ac juvant: Quare & Tonitrua majori cum impetu deorsum ruunt, & venti vicissim ab ignitis exhalationibus magis ac magis exæstuant. *Aqua* similiter, & *Ignis*, dum hic illius frigus, illa vicissim hujus ardorem temperat, adeo *non inter se pugnant* seque mutuo destruunt, ut contra cum insigni quodam emolumento rerum omnium socientur identidem, ac misceantur: Planè ut perspicuum sit, *octo Figuris* sic aliis alias opponi, ut non tam censeri possit oppositio rerum contrariarum, quàm earum, quæ, vel permisceantur, vel *sibi mutuo succedant atque* opitulentur, amica societas.

Digitized by Google

De octo figuris jam memoratis earumque inter se communicatione aut dissociatione, alio rursus loco ejusdem libri *Ye kim*, ex suâ ipsius, necnon *Ven vam*, & *Cheu cum* Interpretum sententiâ describit idem Philosophus rerum productionem per æquabilem totius anni circulum perenni quodam cursu & imperturbato ordine, per quatuor hujus tempestates & per octo mundi plagas, seu cardines, in se recurrentem.

Cœli Imperator (inquit) *in prima rerum productione prodiit & manifestavit sese ab ortûs regione in pleno vere: Prosecutus deinde quodammodo cursum & opus suum disposuit rectè omnia in ea regione, quæ est ortum inter & austrum media, sub veris finem quando hoc cum æstate conjungitur: Effecit deinde ut exererent sese omnia & in mutuum conspectum prodirent, vividaque & vegeta consisterent in ipso videlicet austro, & fervore seu medio æstatis: Post hæc, vegetavit omnia & sustentavit per terram & elementa; & in ea quidem regione quæ occasum inter & austrum media, finem æstatis cum principio autumni conjungit: Exinde cuncta exhilarasse dicitur, cum jam quælibet res quod exigebat consecuta, in fine suo quodammodo conquiesceret; idque in occasu ipso medio autumni tempore: At verò sub exitum autumni; quando hic cum brumæ principiis misceri incipit, pugnas & bella quoque miscuit, & in ea regione quæ æquali intervallo ab occasu & Septentrione distat; caloris nimirum cum frigore, quod illi dominatur, hæc pugna erat, cessante jam pugnâ; & prædominante scilicet frigore, pacavit rursus omnia in ipso Septentrione, mediaque hyemis tempestate: Ad extremum pertexuit perfecitque omnia, finem principio connectens, in ea regione, quæ Septentrionem ab Oriente media dividit, & exeunte jam hyeme, quando hujus extrema cum veris initio conjunguntur.*

Hæc *Confucius*, juxta explanationem Interpretis *Cham* Colai: qui quidem deinde sic concludit: *Kiai xam ti chi thu çai*, id est, *hæc omnia sunt à Supremi Imperatoris dominio ac gubernatione.* Explicatis utcumque octo Figuris earumque mutuâ conjunctione aut oppositione restat, ut ab his octo, dum singulæ geminantur, existant sedecim: à sedecim item geminatis duæ & triginta: à duabus denique & triginta, quatuor & sexaginta: Harum singulæ conficiuntur ex duabus dictarum octo Figurarum, dum hæ alio atque alio situ & ordine disponuntur, atque inter se mutuo permiscentur.

Digitized by Google

Tabula ſexaginta quatuor Figurarum,

ſeu Liber mutationum *Ye kim* dictus.



Has

Has ergo ſexaginta quatuor Figuras, quarum tabulam modò attulimus, omnium primus Rex *Ven-vam* conatus explicare. Singulas earum interpretatus eſt quidem; ſed admodum Laconicè, adeoque perobſcurè; cùm autem ſingulæ figurarum conſtent lineis omnino ſex, ut hîc videre licet, tota earumdem ſeries tot planè conſtat lineis quot dies ſunt anno quem Sinæ intercalarem vocant, nimirum trecentis quatuor & octoginta. Porrò figurarum lineas ſingulas conatus eſt explicare memorati Regis filius *Cheu cum*; & hic quidem conſiderans eas prout ſummæ cum mediis infimiſque, & hæ rurſus cum mediis, mediæ denique cum infimis ac ſummis alium atque alium nexum, ordinem, & relationem, ut dicitur, obtinent; adeoque plùs minuſve inter ſe mutuo communicant, perfectique vel imperfecti redduntur participes; hæc inquam dum ſtudiosè conſiderat, & ſimilibus non raro utitur, feliciùs aliquanto quàm Pater; non ſic tamen, quin & ænigmaticè pleraque interpretetur. Dum itaque figurarum ſingulas, ſive potius linearum ſingulas declarat, ab infimâ lineâ ad ſextam, id eſt ſupremam gradatim ſemper aſcendit: Suos item numeros adſcribit linearum ſingulis; integris quidem novenarium, ſeu ternarium ter geminatum; non omiſſis interim numeris aliis quos ordo linearum poſtulat: Hæc autem omnia non vacare myſterio vel inde poteſt intelligi, quòd ex Sinarum ſententiâ numerus impar ſit perfectus, par imperfectus: Hunc ergo ad *Yn* referunt ſeu imperfectum, hunc frigori, nocti, lunæ, aquæ, terræ, &c. adſcribunt; illum, quem docent ad *Yam* ſeu perfectum pertinere, calori, diei, ſoli, igni, cœlo tribuunt: Ex quo deinde principio rurſus docent, numero cæli, qui ternarius eſt, ac terræ qui binarius, exiſtere quinarium, qui ſi geminetur denarium conficiat: Ad denarium verò numeros omnes velut ad radicem & complementum ſuum reduci.

Atque hæc eſt demum illa ſexaginta quatuor Figurarum tabula tot ingeniorum Sinenſium tetrica, ne dicam inutilis exercitatio aut labyrinthus, è quo unicus *Confucius* præcipuâ cum laude conatus eſt ſeſe expedire; Licet idem jam ſenior faſſus ſit, ſe illius iterum accuratiùs inveſtigandæ deſiderio teneri. Ipſos igitur Principes Interpretum Regem *Ven vam*, & hujus filium *Cheu cum* interpretatus, ſanè luculenter & copiosè morali ſenſu declarat omnia: ſic ut ex naturali rerum inter ſe nexu, ordine, viciſſitudine, vique efficiendi, pulcherrima petat documenta, tum ad privatos cujuſque mores, & domeſticam inſtitutionem, tum præcipuè ad publicam Urbium, Provinciarum, & Imperii totius adminiſtrationem. Ad ſortes interim & auguria quod ſpectat, non ille quidem negat exiſtimaſſe Priſcos Sinas, eam rebus quibuſdam inditam eſſe vim ac naturam, qua eventus rerum vel fauſtos vel infauſtos diù ante mortalibus enun-

Digitized by Google

ciare valeant, uti ferè ſolet ab Horoſcopo cujuſque peti ſcientia aliqua futurorum, eaque Sapientum quoque judicio non uſquequaque vana vel aberrans : Verumtamen *Confucius* ipſemet (quemadmodum teſtantur Interpretes) nullâ ſortium vel auguriorum habitâ ratione, non ſecus ac ſi vanum quid eſſent ac prorſus inutile, certè quidem ad ſe neutiquam pertinerent, ſic rationis unius ductu contentus ac lumine de unâ virtute hîc laboravit, huic uni dedit operam : Quæ res ut ſileretur ab Interpretibus, *Confucii* tamen ipſius teſtimonio ſatis conſtare nobis poſſet; hic lib. *Ye kim* p. 3. diſertè dicit, Priſcos ſanctos eo maximè conſilio librum illum ſcripſiſſe & illuſtraſſe commentis ſuis, non ut auguriis ac divinationibus eſſet uſui ; ſed (quemadmodum *Cham* Colaus exponit) ut cognoſcerent homines quam à cœlo acceperunt naturam, eamque ceu ducem & magiſtram ſequerentur, deinde verò & cœli mandatum, ſeu ſupremi Numinis providentiam, à qua natura proceſſit, perſpectam haberent. Quod ut clarius omnibus conſtet, lubet afferre quod in ipſo ſtatim exordio ad tabulam illam 64. mutationum diſertis verbis prænotarunt duo illi & 40. Interpretes dum præmuniunt Lectorem totique poſteritati cavent, docentes *dari ſupremum Dominum quemdam & Gubernatorem cui nomen Imperator: quis autem is eſt* (inquiunt) *qui Dominus dicitur & Gubernator ?* Et protinus reſpondent, *per ſe eſt Dominus & Gubernator : Nam cœlum quidem res eſt quæpiam ſummè ſolida & perfecta, quæ naturaliter volvitur abſque interruptione ; quod autem ita ſemper volvatur, procul dubio eſt ab aliquo Domino & Gubernatore qui id efficit : hoc poſito fundamento neceſſe eſt ut homines eum per ſe noſcant : non enim ſuppetunt verba, quibus poſſimus pertingere ad eum explicandum.*

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

SPECIMEN ALIQUOD EXHIBETUR prædictæ Tabulæ 64. Figurarum.

VERUM ut cernat Lector oculis ſuis rei veritatem, & ſimul ex unâ Operis particulâ de opere toto judicium ferat, ac tandem intelligat quò tendat hæc Sinarum Philoſophia, iis qui rem non examinarunt uſque adeò ſuſpectam ; operæ pretium fuerit ex Figuris 64. unam, quæ numero 15. eſt ac reliquis brevior, & quam Sinæ laudant in primis, & cujuſcumque felicitatis prognoſticum eſſe ſtatuunt, in medium proferre, commentis duorum Principum *Venvam* & *Cheu cum*, necnon *Confucii*, & *Cham* Colai è Sinico in Latinum verſis.

Digitized by Google

Hæc figura *Kien* dicitur. *Kien humanitatem* ſignificat, ſive modeſtiam demiſſionemque animi : Et quoniam ad hanc priores figuræ quatuordecim quaſi totidem gradus deducunt, neceſſarium videtur nos hîc graduum quoque ſingulos ſuo ordine & numero, quo in tabulâ deſignantur, verbo ſaltem attingere, prout eos ferè in appendice ſuâ *Hi çu* dictâ *Confucius* decurrit, ſi quidem clari eſſe volumus, & ab exemplo figuræ unius, quænam reliquarum omnium ratio ſit, Lectori conſtare. Exordium porrò ſumitur à cœli & terræ procreatione dum ad hunc ipſum librum *Ye Kim* ſic loquitur *Confucius : Poſtquam extitit cælum & terra, tum deinde extiterunt res omnes : Ubi extiterunt res omnes, tum deinde extitit mas & fœmina : Ubi extitit mas & fœmina, tum deinde extitit maritus & uxor : Ubi extitit maritus & uxor, tum deinde extitit pater & filius : Ubi extitit pater & filius, tum deinde extitit Princeps & cliens : Ubi extitit Princeps & cliens, tum deinde extitit ſuperius & inferius : Ubi extitit ſuperius & inferius, tum deinde fuit ſuus officiis & juſtitiæ locus & ordo.* Hactenus Philoſophus. Nunc ad rem propoſitam veniamus.

Prima figurarum *Kien* dicitur, & utrâque ſui parte tam ſuperiori quàm inferiori, deſignat *Cælum* materiale, à quo, ceu emblemate quopiam, formam Regis ac regiarum virtutum *Confucius* petit.

Secunda *Quen*, tota ſimiliter deſignat *Terram*; eſtque ſubditorum emblema quodpiam ſive ſymbolum : Cœlum vero ac terra ambo ſunt fundamenta quædam, & quaſi principia naturalia rerum omnium, quibus adeo per metaphoram patris matriſque nomen tribuitur. Exemplum vero inſtitutionis Regum & ſubditorum Philoſophus petivit in primis à cælo & terrâ ; hoc eſt, ab illâ tam perenni firmitate, tam æquabili ordine curſuque rerum omnium, qui ordo quatuor literis *Yven, hem, li, chim*, hoc eſt, *amplo ac perpetuo, claro ac manifeſto, congruo ac decenti, recto ac ſolido*, exprimitur. Hæc autem per quatuor veluti virtutes Cardinales videlicet *Gin, li, y, chi* ; id eſt, *pietatem, convenientiam, juſtitiam, prudentiam*, Philoſophus ſtudet explanare.

Conſtitutis ergo cœlo ac terra, & paſſivis activa miſcentibus, mox univerſarum rerum exiſtunt quædam ſemina : Sic tamen, ut lateant, quaſi utero quodam excepta cohibitaque : quod ipſum tertia figura, *Chun* dicta, ſignificat.

Paulatim deinde fota complexu illo materni uteri formantur in fœtum, ac tandem aliquâ ſui parte prodeunt in lucem, ſicut à gemmâ ſuâ ſolet oriens uva ſe oſtendere : docet hoc Quarta Figura, cui à literâ *Mum*, quæ infantiam ſonat, nomen eſt.

Verumtamen ſicut uvæ jam orienti, ut augeſcat, neceſſarius eſt terræ ſuccus & Solis calor, ita communis hæc rerum omnium infantia, ne vix dum nata, mox areſcentis inſtar intereat, primùm qui-

Digitized by Google

dem ſuo quaſi lacte ſuccoque opus habet (quod adeo Quinta Figura vocabulo *Siu* ſubindicat) deinde verò alimentis robuſtioribus, aliiſque vitæ ſubſidiis & commodis, ut feliciter adoleſcat, & conſequatur maturitatem ſuam & perfectionem.

Hîc igitur dum res quælibet conſervare ſe nititur, & quod unius uſui commodiſque accedit, alteri plerumque neceſſe eſt decedat, non poſſunt non exiſtere contentiones, lites, & bella, præſertim inter homines quorum natura, quàm paucis contenta eſt, tam eſt inexplebilis cupiditas: Atque hoc Sexta Figura, *Sum* dicta, deſignat.

Eſſet itaque jure aliquo & judicibus hîc opus, qui lites dirimerent, & quod æquum ſit juſtumque decernerent: Verùm cùm ſæpè vel dubium ſit jus, vel privatæ rationes & commoda juri anteponantur & æquitati, maximè ubi nulla dum civitas, nulla Reſpublica, commune nihil; facillimè ſolent mortales primum ferè ſententiis, mox etiam ſtudiis ac voluntatibus inter ſe diſſidere; dum ruptâ illâ qualicumque ſocietate diſtrahi in partes & factiones, conflari utrimque exercitus, & tandem unius naturæ homines caſtris armiſque divelli: Cujus rei typus eſt *Su* littera, quâ exprimitur Septima Figura.

In hujuſmodi ergo diſcrimine rerum ac perturbatione niſi homines aliqui præſto ſint, quorum virtus ac ſapientia contineat inconditam multitudinem, faciatque, cœtus iſtos temerè conglobatos coaleſcere ſingulos in unum corpus, proniſſimum erit, ut vel ſe mutuo ferarum inſtar abſumant, vel certè dum ſinguli ſibi unis ſtudent, marceſcant omnes paulatim atque intereant; quapropter egregiis quibuſdam viris hîc erit opus, qui, uti denotat Octava Figura, *Pi* dicta, animos hominum conciliare ſibi norint, mox induſtriâ ſuâ, prudentiâ, authoritate tumultuantes componere ac moderari; quibus adeo ſinguli deinde cœtus, tanquam Magiſtris ſuis ac Dominis, morem gerant, quoſque veluti Duces ac Paſtores ſequantur.

Ex quo ſtatim exiſtet arctior quædam omnium inter ſe colligatio & ſocietas; & dando viciſſim & accipiendo permutandiſque facultatibus & commodis, non erit qui egeat re ullâ, ſed copia quædam ſuppetet earum rerum quæ ſunt ad tuendam ac ſuſtentandam vitam neceſſariæ, atque adeo principium cernetur Urbis atque Reipublicæ; cujus typum exhibet Nona Figura, *Siao cho* dicta, id eſt, *Parva* quædam *unio & colligatio.*

Neque erit difficile vincire etiam paulatim legibus officiiſque illos, quos novæ ſocietatis utilitas atque jucunditas jam cœpta percipi, nec non mutua charitas atque obſervantia, tum omnium inter ſe, tum etiam ſuo cum capite conjunctos devinctoſque teneat. Efflo-

reſcet

reſcet itaque genus omne officiorum, in quorum ſemitis veſtigia ſua ad id uſque tempus ſeu vacillantia (quod Decima Figura *Li* deſignatur) firmare queant.

Non poterit etiam non ingens alacritas animorum exiſtere, & amplitudo quædam (quam *Tai* Undecima numero Figura notat) pacis atque concordiæ, ubi ſuum cuique tribuetur, ubi tam ſtudioſè conſuletur commodis animi corporiſque, ubi tanta vigebit conſervatio & legum & officiorum.

Verùmtamen quoniam brevis admodum & caduca ſolet eſſe humana felicitas fieri non poterit, uti nos docet littera *Pi* Duodecimæ Figuræ præfixa, quin ſerenitatem diuturnæ pacis atque concordiæ turbo quiſpiam diſcordiæ bellique excipiat, quamquam brevis, ut inter cives & fratres; ſic ut non tam fuiſſe diſcordia, quam redintegratio quædam cenſeri poſſit priſtini amoris atque obſervantiæ.

Quæ ubi ſemel contentione quapiam ceu vento fuit agitata, multo ſolet altius radices jacere, & arctiùs ſubditos inter, ſe ipſoque cum Principe colligare: Hinc Decimæ tertiæ Figuræ à *Tum gin*, id eſt, *unanimitate* nomen.

Hæc autem unanimitas ſi deinde conſtans fuerit, ſi cum ſtudio publicæ utilitatis, & charitate Patriæ conjuncta, mirabiliter efflorescet ac firmabitur Reſpublica, & quod Decima quarta Figura, *Ta yeu* dicta, ſperare nos jubet, *ingens erit opum* ac divitiarum copia, ingens ſplendor & amplitudo dignitatis; ad hæc, immenſa quædam Imperii optimè conſtituti fama, qua commotæ nationes finitimæ, & quæ in longinquis etiam Regionibus verſantur, ultrò expetent amicitiam & ſocietatem noſtram, ſubdentque ſe nobis, ac patrocinium fidei atque æquitatis noſtræ libertati ſuæ anteponent.

Verùm ubi tam proſperè fluent omnia ad voluntatem noſtram, ubi res Imperii in tam ſublimi apice felicitatis ac gloriæ conſtiterint, una omnibus adhibenda erit cautio (maximè quidem ei qui omnium Princeps erit ac caput) ne ſuperbia elati, quod in ſublimi poſitis evenire ſolet, evaneſcamus ac ruamus eo graviùs quo altiùs fuerimus evecti. quocirca ſuperbia omnis, faſtigium, arrogantiaque fugienda erit; moderationi verò, modeſtiæ, demiſſionique animi impensè vacandum. Hujus autem virtutis ac doctrinæ Magiſtra eſt Figura 15. ab *Kien*, id eſt, *humilitate* nomen petens. Ea ſicut & reliquæ omnes, ex duabus figuris conflata eſt, quarum inferior tribus conſtat lineis, duabus ſcilicet interruptis, & unâ perpetuâ: *Ken* ipſa dicitur & *Montes* deſignat; mons porrò celſitatis ſymbolum, hîc etiam ſymbolum eſt ſummæ cujuſdam ac præcelſæ virtutis; at quæ radicem ſuam montis inſtar defigat in *Terra*, id eſt, *Humilitate*, adeoque lateat & quaſi conſepulta jaceat: Terra etiam,



Digitized by Google

quam figuræ ſuperioris lineæ tres interruptæ deſignant, præcelſæ virtutis, quatenus ea cum humilitate conjungitur, imago quædam eſt ac ſymbolum: in infimum quippe locum humillimumque depreſſa, & intra ſe quodammodo collecta abditaque immenſas opes, & pretioſiſſima quæque quamvis obſcuro ſinu complectitur, & per effecta ſua fructuſque pulcherrimos ac maximè ſalubres, humano generi vim ſuam virtutemque prodit.

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

FIGURÆ DECIMÆ QUINTÆ

Explanatio.

HIS ergo ſummatim expoſitis, veniamus ad explanationes trium, quos diximus, Interpretum: Et quoniam unicum reliquarum omnium exemplum Figura hæc erit, afferamus in medium quidquid illi ſunt commenti. Rex itaque *Venema*, qui omnium primus nodum aggreſſus eſt ſolvere, ſic ait: *Humilitas virtus eſt quaquà patens latiſſimè: Vir perfectus tametſi principio lateat jaceatque, obtinebit tandem ſucceſſum eventumque proſperum.*

Laconicam interpretationem declaraturus *Confucius*, *Kien hem* binas voces exponit in hunc modum: *Subſtantia* (ſeu vis & ſignificatio duarum vocum) *ſic ait: Humilitas quaquà patet latiſſimè, ea cœli ratio eſt ac natura, ut cùm præcelſum ſit emineatque ſuper omnia, tamen per ſuos influxus deſcendat quodammodo ac demittat ſeſe, & cum humili terrâ ſocietur, atque ita virtus illius &) efficacitas per effecta ſua in procreandis &) conſervandis rebus magis ac magis eluceſcat, omnibuſque tandem ſit manifeſta: Terræ vero non abſimilis hac in parte ratio eſt, nam etſi infimo loco velut intra ſe collecta deliteſcat, exerit tamen ſeſe effertque in altum per effecta ſua, quæ cum cœlo conſociat. Rurſus ea cœli ratio &) natura eſt, ut minuat exuberantia, tumentia deprimat; luxuriantia recidat: Foveat verò & benigno influxu fœcundet, augeatque magnis incrementis id quod humile ac depreſſum, vacuique eſt inſtar. Terræ ſimiliter eadem eſt ratio, reprimit enim ac deſtruit quæ redundant & tumeant immodicè: Contra verò auget ac perficit quæ modica ſunt, quæ humilia.* Hæc ipſa copioſè declarat *Chum* Colaus ex naturalibus cæli terræque effectis; ſed quoniam Europæus Lector ea per ſe facilè aſſequetur, & nos in hoc quamvis unico plurimorum exemplo, brevitati tamen ſtudere par eſt, ea conſultò præterimus) *ipſi denique ſpiritus peſſumdant tumidos beantque humiles, ſimillima quoque hominum ratio eſt, odiſſe nimirum tumidos; &) amare humiles. Vir mode-*

Digitized by Google

ſtus & humilis in dignitate conſtitutus hoc ipſo clareſcit ac celebratur, quamvis id non expetat, luce virtutum ejus ex loco tam ſublimi feliciùs coruſcante: Idem ſi poſitus fuerit in humili obſcuroque loco, cum virtus luceat ipſa per ſe, non poterit ipſe non eſſe clarus & felix, & cujus laudi ac felicitati nihil poſſit addi: Atque hic eſt viri humilis adeoque perfecti felix & glorioſus exitus. Hæc *Confucius*, qui ſententiam ſeu doctrinam figuræ totius ſummatim colligens, *magnæ imaginis, quæ nobis exhibet memoratam virtutem, hæc* (inquit) *ſignificatio eſt: E terræ medio exiſtunt montes; humilitas illi ſunt*, ſymbolum, inquam, evectæ humilitatis, dum ex humili infimoque telluris ſinu ad nubes & aſtra ſublimi vertice pertingunt: Quocirca, *Vir perfectus*, haud ignarus, vitium hoc eſſe mortalium, ut ſe ſuaque magnificiant, ſpernant aliena; *quotidiana ſuipſius victoria deprimendo tumorem animi ſui & præcidendo primùm quidem in ſe, deinde etiam in aliis quidquid eſt nimium, & natum copiâ ſuâ vel ſplendore factum arrogantiamque gignere; Contrà verò ſtudioſè ſupplendo & accumulando quæ ſibi vel aliis deeſſe intelligit, prorſus ac ſi æquâ lance appenderet res omnes tum ſuas tum alienas, ſic admirabili cum æquitate ſuum cuique tribuit, ſeque omnibus accommodat attemperatque, & humiles prudenter extollens, & tumidos pro ea, quæ pollet authoritate, ſalubriter deprimens, complanat omnia, & perquam feliciter res adminiſtrat.* Hactenus *Ven vam* Rex Interprete Regis *Confucio*, ipſius verò *Confucii* Interprete *Cham* Colao.

Audiamus nunc Regis filium *Cheu cum*; eſt ille quidem patre ſuo aliquanto copioſior, non ita clarus tamen quin Interpretibus iiſdem quibus antea ſumus uſi, hîc quoque futurum ſit opus: Interpretatur autem non complexum ſex linearum, uti fecerat pater, ſed linearum ſingulas ab infima gradatim aſcendens; cumque interpretationes ſingulas *Confucius* rurſus explanet, explanatio hæc *minor imago* dicitur, ut ab illa ſcilicet, quæ *major imago* eſt, ſive totius complexi, diſtinguatur.

Sic ergo *Cheu cum* ait: *Linea prima ex ſenariis* (primam vocat quia eſt infima: Senariam, quia interrupta) *deſignat virum humilem iterumque humilem, adeoque probum & perfectum: Hujuſmodi ergo viro dum virtuti dat operam trananda & enaviganda ſunt quidem ſpatioſa & magna flumina certaminum ac laborum; animis tamen ne cadat; quippe tandem feliciter pertinget ad portum meritorum.*

Commentarium hunc ſuis rurſus notis illuſtrans Confucius, *imaginis minoris ſenſus eſt* (inquit) *virum prorſus humilem & perfectum modeſtè ac demiſſè ſe gerere quovis tempore & loco, & attendere in primis ſibi, ſecumque habitare, quo fiat ut ſe ipſe paſcat felici virtutum pabulo, mirificèque proficiat.* Cheu cum ad proximam ab infimâ lineam gradum faciens, *Senarium ſecundum*, inquit, *deſignat hominem, cujus*

Digitized by Google

jam pateſcit, ac ſermonibus hominum celebrari incipit humilitas: quæ ſi pura & ſyncera fuerit, ut lucem hanc & famam non ſectetur nec expetat, tum quidem præclarè agetur cum illo.

Addit Confucius: *Quod uti imago ſignificat, pateſcat ac celebretur humilitas illa, quod pura, quod germana ſit ac ſolida, quod præclarè agatur cum eo qui illâ ſit præditus, ideo fit, quia in medio corde, & non in ore dumtaxat, vel exteriori quadam ſpecie inani virtutis ſimulachro illam obtinet.*

Cheu cum exponens lineam tertiam, ſive antepenultimam (quæ perpetua cum ſit, ad id quod perfectius eſt refertur, adeoque numero impari & nonario inſignitur, ac *nonaria* vocatur) *docet nos*, inquit, *linea tertia nonaria, ſi quis magnis meritis erga Regem & populum conjungat humilitatem, vir perfectus ſine faſtu inſolentiaque perſeverans, is procul dubio ſeriùs ocyùs proſperum habebit exitum rerum ſuarum, & dignum laborum præmium.*

Imaginis ſenſus eſt, inquit *Confucius, ſi tam præclarè meritus nunquam tamen à ſtatu moderati modeſtique hominis diſceſſerit vir ille perfectus, fore ut omnes omnino populi æquo animo pareant ſubdantque ſe tantæ virtuti.*

Senarium quartum (inquit *Cheu cum*) *Virum nobis deſignat, qui proximè antecedentem virtute quidem vincat ac dignitate; verumtamen nullis dum de Republica meritis inſignis ſit; ipſe tamen ex nulla re non proficiat; in quacumque rerum temporumque viciſſitudine fructum capiens virtutis ſuæ: Quoniam vero ſe meritorum expertem eſſe intelligit, magis ac magis prodit ac manifeſtat modeſtiam ſuam animique demiſſionem; adeoque nullo vel iracundiæ vel invidiæ motu concitatur.*

Imaginis ſenſus eſt (inquit *Confucius*) *Virum, qui tantus cùm ſit, & ex nulla re non proficiat, adeoque magis ac magis demiſsè humiliterque ſe gerat, non facile peccare; & quidpiam admittere quod cum legibus & ratione pugnet.*

Cheu cum *ad Senarium quintum* (hic autem numerus plerumque tribuitur ei qui cæteris imperat) *Princeps*, inquit, *illa moderatione animi modeſtiaque præditus non expendit opus ac vires Imperii, ut ſuos habeat ſibi devinctos & obſequentes, quia ſcilicet tanta virtus liberalitate quamvis profusâ, & quovis robore militari potentior, omnium animos, & ſtudia, & voluntates ei conciliat ac ſubdit: Quod ſi tamen exiſtant qui exuant humanitatem, abjiciant jus omne, tantæque virtuti parere nolint; tunc certè par erit adhibere opes & arma domandis ac frangendis rebellibus; & tum quidem nihil non perficiet armata virtus, & virtus tanta.*

Confirmans hanc doctrinam *Confucius, imaginis ſenſus eſt*, inquit, *fas & æquum eſſe regiâ cum poteſtate belloque & armis debellare ac frangere contumaces ac rebelles, quando illos æquitas & ratio, virtuſque ſui Prin-*

Digitized by Google

sui Principis haud flectit; quanquam (uti notat Interpres) non ille tum quidem regiæ humilitatis fructus est, sed effectus quidam duræ necessitatis.

Exponit denique *Cheu cum* lineam supremam & ultimam: *supremo Senario designatur privati Principis magna quidem illa & quæ late resplendeat ac celebretur, humilitas; cæterum, quod ad usum spectat, limitibus angustioribus conclusa; privatæ scilicet modicæque ditionis* (quas ipsas angustias & defectum potestatis linea interruptio significat) *quippe cum cœlum ei non destinet supremam dignitatem, quæ propria Imperatorum est; caret utique amplitudine illa tam opum quam virorum, clientum ac subditorum multitudine, quæ omnia sequi solent Imperatoriam majestatem: quocirca si quando statuat is è re sua esse conscribere militem, habere exercitus in armis, non alio sane consilio id faciet, quam ut debellet rebelles, contineatque in officio suæ ditionis & Regni populos.*

Huic sententiæ & expositioni subscribens *Confucius* sic ait: *Sextæ & supremæ imaginis sensus hic est, virtutem magnam quidem esse, nec minorem virtute famam; quoniam tamen deest illi dignitas suprema, aliaque desunt præsidia, fit, ut quas agitat animo res maximas atque pulcherrimas, nequeat perficere: Quare unum hoc agit, & si quando res postulaverit etiam adhibito exercitu & armis agit, ut in officio contineat privatæ suæ ditionis & Regni subditos.*

En brevis expositio Figuræ decimæ quintæ non obscurum specimen reliquarum omnium, sic enim & quatuordecim quæ præcedunt, & quadraginta novem, quæ deinde sequuntur, non alio ferè sensu quàm morali & politico exponuntur; ita prorsus ut omnia quæ spectant ad mores & officia Principum, Clientum, Parentum, Liberorum, Conjugum, quæ item adversus Hospites, Exteros, Hostes servanda; qualis denique & quanta venerario Spiritibus debeatur; quantâ cum religione & constantia par sit obtemperare cœlo; hæc, inquam, omnia tractentur hoc loco, alia aliis quidem copiosiùs, verumtamen nulla non attingantur.

Ea igitur Figura, quæ proximè sequitur Decima & sexta numero *Yu* dicta, ponit ob oculos communem maximèque festivam lætitiam, quæ à tantâ tam moderati tamque modesti Principis virtute dimanet in subditos, & quasi à capite in totum corpus diffundatur.

Decima septima, *Sui* dicta, docet subditos imperata facere sui Principis omnibus in rebus, & alacriter ac promptè, tanquam membra scilicet, sequi nutum capitis sui. Et sic deinceps.

Ut planè dici possit totum primi conditoris opus aliud nihil fuisse quam ænigmaticum emblema, vel ænigma emblematicum, ex quo deinde curiosa posteritas varia sibi documenta petiverit: inter quæ si quidpiam reperiatur apud primos quoque Interpretum, quod fortes

Digitized by Google

neſcio quas, & auguria divinationeſque redoleat, erit profecto quod Europæus Lector condonet antiquæ Sinarum gentilitati, ſi conſideret Europam ſuam, quanto ſcilicet tempore, & quantis errorum ac ſuperſtitionum tenebris involuta fuerit, priuſquam ei Sol Juſtitiæ CHRISTUS affulgeret.

PROEMIALIS DECLARATIONIS.

PARS SECUNDA.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

EXPLICATUR QUOD PRINCIPIUM rerum tam materiale quàm efficiens conſtituerint Sinæ tam Priſci quam Moderni.

POSTQUAM expoſuimus quadamtenus Sectarum Sinenſium originem & diverſitatem, ſupereſt, ut tandem provehamur altiùs, & explicemus idipſum, cujus potiſſimum gratia ſuperiora propè omnia attulimus; ecquod videlicet principium tam materiale, quàm efficiens & quam baſim & quod fundamentum tam cœli & terræ quàm elementorum, rerumque omnium conſtituerint Sinarum ſapientes, ut & nos ſtatuamus ſcilicet, an ipſi, & quam, qualemve de ſupremo quodam Numine, primoque rerum effectore habuerint notitiam: An item noſter Matthæus Riccius Miſſionis Sinicæ Fundator haudquaquam temerè, ſed prudenter & juſto cum fundamento conatus fuerit errores hodiernos Sinarum ſuis ipſorum teſtimoniis & authoritatibus oppugnare, & convellere, & ſic principia quædam Chriſtianæ veritatis ex ipſiſmet antiquæ gentis, antiquis item libris monumentiſque petere, parvâ interim poſteriorum Interpretum & ætatis hujus habitâ ratione; ſed litterarum dumtaxat, & illarum præcipuè, quas ipſi fatentur eſſe ſuas, & licet moribus vitâque diſſentiant, colunt tamen ut avitas &, uti ſacroſanctas venerantur.

Digitized by Google

Quod ſpectat in primis ad principium rerum materiale, memoratus quidem liber *Sim li ta çiven*, ſeu *de naturâ* ab hoc ſuum ſumit exordium, deque eo per aliquot deinde capita copioſiſſimè diſputat. Principium verò iſtud ſuum *Tai kie* nominant Neoterici: & quoniam (uti *Chu çu* inquit) nec *Fohi* conditor gentis Sinicæ, nec *Ven vam* primus fohianæ tabulæ Interpres, nec hujus filius *Cheu cum* hujuſmodi nominis meminerunt, non alia utique nituntur authoritate novatores, quam libri unius, ſeu veriùs appendicis atque additamenti *Hi çu* dicti, quod adjecit *Confucius* ad eum, quem interpretatus eſt, *Librum Mutationum*: Quæ appendix ejuſdem eſt cum reliqua interpretatione authoritatis: Ibi autem leguntur expreſſa hæc verba *Ye yeu tai kie*: *Xi ſem leam y*: *leam y ſem ſu ſiam ſem ſu ſiam*: *ſu ſiam ſem pa qua*, id eſt, *Mutatio continet magnum axem ſeu cardinem*: *Hic produxit duas virtutes*, puta perfectum & imperfectum ut cœlum & terram. *Duæ virtutes produxerunt quatuor imagines, quatuor imagines produxerunt octo figuras pendulas.* Extra hunc textum nuſpiam in quinque libris claſſicis aut retrabiblio ulla fit hujus *Tai Kie* mentio, adeoque quidquid afferunt, aut quomodocumque diſputent de ſuo illo rerum principio, totum ſcilicet effinxerunt ipſi: quam etiam ob cauſam laus omnis Philoſophiæ tam novæ unis ipſis tribuitur ab Interpretibus penultimæ Imperialis Familiæ *Ta mim*; fatentur enim & verò prædicants duo illos præcipuè Interpretes *Chim* & *Chu* ſub Familia *Sum* inveniſſe, quod tota ignoraverit antiquitas, adeoque poſt *Confucium Memciumque* non alios extitiſſe qui reconditam tot ſæculis doctrinam produxerint in lucem.

Tametſi porrò dicant quod *Tai Kie* ſit humanis ingeniis inexplicabile quid, quod ſpiritale quid, quod potentia quam inveſtigare non poſſimus, neque eſſe nomen quo queat exprimi: Operosè tamen cumulant complura ſimilia quibus conantur probare opiniones ſuas: Etenim quia binæ voces *Tai Kie* ex primævâ ſuâ inſtitutione denotant magnum terminum ſeu polum, ſimile mutuati ſunt ab axe mundi, ſeu polo, item ab axe domûs, quæ eſt trabs illa tranſverſa, quæ nexus ferè omnes ac membra Sinicæ conſtructionis una continet. Alibi etiam radici arboris, axi currus id comparant: idem baſim, rerum cardinem, columnam & fundamentum vocant, & planè negant eſſe quid merè imaginarium, aut ſimile ei quod Bonziorum ſecta *vacuum* & *inane*, vel quod Secta *Tao nihilum* nuncupat: Aſſerunt ergo rem eſſe veram verèque exiſtentem, eſſe id quod concipi quidem debeat fuiſſe ante omnia, re autem ipſâ non diſtinguatur à rebus ipſis, ut perfecto & imperfecto cœlo & terra & 5. elementis, ſed quid unum idemque ſit cum illis; ſic ut ſingulæ res dici poſſint ſuo modo eſſe *Tai Kie*; non aliter ferè quam delirans Servetus Epiſtolâ 6. ad Calvinum aſſerebat Deum in lapide verè &

Digitized by Google

propriè esse lapidem, in trunco truncum, &c. unde ipsi concludunt tandem omnia unius esse substantiæ. Alibi etiam dicunt *Tai Kie* concipi debere ut quid immobile & quietum in actu primo; dum autem movetur, producere *Yam* seu perfectum, à quo motu dum rursus sistit seu quiescit, producere *Yn* seu minus perfectum, non aliter ferè (inquiunt) quam homo secum ipse meditans quidpiam ac volvens animo, & mox deinde, quæ meditatus est, eloquens; vel sicut affectio animi quæ priusquam exerat sese, radicis ad instar in animo residet immota: simili denique illustrant hæc omnia petito à massâ argenti vivi quod capsâ rotundâ latet inclusum & immotum; hæc verò statim atque recluditur, mercurius ilicò diffluit ac dispergit sese in mille veluti radios ab ipsamet Mercurii materiâ & formâ indistinctos: Motûs autem hujusmodi & quietis in hoc universo vicissitudinem docent esse perpetuam, circuli rotæve ad instar, aut anthleæ aquaticæ perenni motu circumvolutæ: Sicut verò negam assignari posse tempus quo perennis ista circumvolutio rerum non exiterit; ita motum earumdem & quietem (si tamen quies est seu interpolatio) declaraturi, similè rursum petunt ab die noctisque, à systoles item diastolesque perpetuâ vicissitudine dum respiramus & dum nox diem, dies noctem excipit, aut hyemem æstas, æstatem hyems. Et quamquam integro decursui & quasi plenæ ætati rerum omnium tribuant annos 29. mille 600. post quos voluit eas denuò ordiri cursum & ætatem suam, tamen modo suo loquendi satis indicant æternitatem quamdam rerum orientium occidentiumque antecedentem se agnoscere numeroso illo, quem diximus, annorum cursu infinitis vicibus repetito; in quo pugnant equidem cum sensu communi antiquitatis Sinicæ ut quæ ex traditionibus saltem suis censuit cœlo & terræ primoque homini & fœminæ suum fuisse principium; sic prorsus ut & horam ipsam quâ cœperint existere, non dubitanter assignent.

Miranda sunt interim ac divinis propè similia quæ suo illi *Tai Kie* fidenter tribuunt novi isti Commentatores: capacitas, & magnitudo, extensio visque penetrandi, convenientia quædam cum rebus omnibus. Quid multa? primum vocant & à se, altissimum, subtilissimum, purissimum, pulcherrimum, summè medium, summeque perfectum, ac bonum, exemplar & ideam rerum omnium, principio carens ac fine: quin imo & vitam ei videntur alibi tribuere cum animi spirituque nomen ei tribuunt: Ad extremum, si modo constarent sibi, vix dubitaret Lector, quin subinde de vero eoque primo ac supremo Numine agerent; & verò sunt non pauci, qui id existiment & sic intellexisse aliquos, argumento possunt esse fana nonnulla ipsius *Tai Kie* nomine consecrata.

Sed enim quod meram materiam primam cum Philosophis quo-

que

Digitized by Google

què noſtris intelligant, confirmatur ex eo quod aliud quoque nomen ſuo illi *Tai Kie* adſcribant *Li* illud vocant : Quæ vox apud Sinas haud ſecus, atque *To ratio* apud Latinos, patet latiſſimè : Hîc autem dicto vocabulo ſic rurſus exponunt dictum *Tai Kie* ut eſſentiales rerum differentias ab hâc unâ *ratione* dicant promanare de quâ ſic etiam philoſophantur, ut videantur univerſale quodpiam à parte rei conſtituere, quod idem per ſpecies individuaque rerum ſeſe inſinuat : Quo probabilius eſt, eos ſicut per *Tai Kie* rectè intelligunt materiam primam, ſic per *To li* vere rationem quamdam ſeu formam rerum conſtitutivam & ab aliis diſtinctivam intelligi. Sic enim ratiocinantur : Id quod ſedem, ex. gr. conſtituit in ratione ſedis, eſt *Li*, quod menſam in ratione menſæ, idem rurſus *Li*, & ſic de reliquis : Frange ſedem, menſam reſolve, jam *Li* ſeu ratio ſedis menſæque deſiit. Nec dubitant de Moralibus eâdem prorſus, quâ de Phyſicis ratione philoſophari, ex. gr. rationem juris officiique mutui quæ eſt Regem inter & ſubditum, quæ patrem inter ac filium, maritum inter & uxorem, & quamcumque demum rationem virtutis conſtitutivam *Li* vocant, quin & affectiones ſeu animi ſeu corporis, imo & ipſam animam quatenus informativa eſt corporis, ſimiliter *Li* nominant, quod adeo *Li* ſuo modo deſtruatur, ubi illa informare deſinit; ſic ferè (inquiunt) uti aqua in glaciem concreta dum calore denuò reſolvitur, priſtino quidem liquori ſuo ſtatuique reſtituitur, at glacies eſſe deſinit. Sed hîc ipſi non ſiſtunt, ſed ab hoc diſcurſu ad errorem longè maximum turpiſſimumque tandem provehuntur : Nam ubi multis de ſuo *Li* & de *Tai Kie*; ſed admodum intricatè perturbateque, diſputaverunt, ſenſim delabi videntur in Atheiſmum, quatenus excludunt omne principium efficiens ſupernaturale, & quamvis ſubinde abſtrahere videantur ab ſenſu & materiâ, reverà tamen in materiâ perſiſtunt : Spiritibus certè & effectis ſpirituum, qualeſcumque demùm illi ſunt, vim quidem tribuunt agendi ſubtilius efficaciuſque; verumtamen ſic rurſus, ut nunquam ſphæram illam, quam Philoſophi noſtri activis ſimul & paſſivis tribuunt, ipſi videantur excedere : Quo magis laborant deinde, ut tot textus illuſtriſſimos librorum veterum ubi de ſpiritibus rerum præſidibus, de juſtitiâ providentiâque ſupremæ mentis tam crebrò tam diſertè agitur per fas & nefas ad ſuam illam tam materialem craſſamque ſententiam detorqueant.

Sed & alibi rurſus videntur ſibi contradicere dum diſertè docent unumquemque mortalium ex ſuo ipſius corde, quatenus hoc habet imperium quoddam in motus omnes & affectiones vel animi, vel corporis, devenire poſſe in cognitionem magni illius & ſupremi cordis; mentis utique divinæ ſupremique moderatoris. Docent rurſus ex admirabili nexu illo rerum & propagatione, quâ fit ut tam

Digitized by Google

conſtanter ſimile producat ſibi ſimile, evidenter probari poſſe dari quodpiam *Ta teu nao*, id eſt, *Magni capitis cerebrum* quod omnia illa tam æquabili cum viciſſitudine conſervet ac regat & ad finem cuique conſentaneum perducat. Negant itaque (& hoc ſanè conſequenter) quod ejuſmodi ſit mortuum quid; negant eſſe materiale; quin & afferunt alibi eſſe ſpiritum, eumque independentem, complectentem bonitatem omnem, omneſque (ut aiunt) rationes rerum omnium. Platones ſubinde aliquos audire te credas, alioſve Philoſophos haudquaquam malè ſentientes de Deo.

Quo magis etiam cunctandum mihi eſſe cenſeo, nec illicò damnandos Atheiſmi niſi fortè materialis ac negativi (ut dicitur) novatores iſtos, quamvis fortaſſe ſuſpectos etiam formalis ac poſitivi, certè quidem tales ut ſuo illo tam novo tamque inuſitato loquendi modo non paucos Lectorum ſuorum in Atheiſmi poſitivi præcipitium deduxerint: Nam cum, quæcumque de ſumma quadam mente ac providentiâ in veterum textibus reperiunt, omnia ad ſuum illud *Tai Kie* & *Li* reducant; ad hæc cum non diſtinguant inter cauſas materialem, formalem, efficientem, idealem, inſtrumentalem omnia ſcilicet illa nominibus tantum inter ſe diſtingui docent, adeoque & *Cælum* & *Xam ti* ſupremum illius Imperatorem ejuſque attributa omnia, idem eſſe contendunt cum ſuo *Li* & *Tai Kie* ſive cum ſuo illo influxu & virtute naturali cœli & terræ; unde ſi quando ſic loquantur de virtute illa cœleſti, ac ſi reverà de mente quapiam divinâ ſermo foret, merito tamen ſuſpiceris ritu magis Poëtarum quam Philoſophorum nec aliter ferè quam metaphoricè loqui: Quocirca etiam jure merito cenſemus peſtiferam eſſe doctrinam ipſorum quæque ad formalem quoque Atheiſmum deducat, politicos præſertim illos & carnales homines: Adeoque ab Evangelico præcone rationum armis ac telis quàm acerrimè, uti ſemper factum, oppugnandos eſſe novatores iſtos, & vel ex ipſiſmet ipſorum Commentariis adeo inter ſe pugnantibus, errorum ſuorum convinci poſſe, & quemadmodum Lactantius dicebat à nullo Ciceronem, quam ab ipſo Cicerone vehementius poſſe refutari, ita nec hos novatores à nullis certius, quam à ſeipſis refutari poſſe.

Verum enimverò quam ſenſerint diverſa, quàm longè diſceſſerint à majoribus, quam inani fundamento nitantur omnia, quæ novatores excogitarunt, non aliunde magis quàm ex ſerie ipſâ temporum, quâ conſcripti ſunt editique libri probari evidenter poteſt: Quo enim vetuſtior eſt quiſque liber, hoc magis adverſatur ipſorum novitati. Patebit hoc ex teſtimoniis ſanè luculentis quæ *Xu kim* (per antonomaſiam *Xam xu* dictus quia liber primus ac vetuſtiſſimus inter omnes authenticos) non uno loco nobis ſuppeditabit. Fruſtrà, inquies; nam vetuſtiorem illo producent novatores. Quem

Digitized by Google

obſecro ? *Ye kim*, ſive eum qui de mutationibus inſcribitur; quippe cujus author eſt idem qui gentis Sinicæ Fundator *Fo hi*. Rectè tu quidem : At, amabo te, quid tandem libri fuit, cujus Authorem *Fo hi* prædicas ? Figuræ ænigmaticæ quatuor & ſexaginta, ſive lineolæ 384. partim continuæ partim interruptæ & præterea nihil. Bene habet. At ſi ænigmaticæ, ergo perobſcuræ; ſi tam obſcuræ, ergo ædipo fuit opus qui lucem afferret. Ecquis ille ? Num idem fortè qui author fuit ? Authoris quidem nihil extat, inquies, ſed ædipi fuerunt magnus ille Princeps & quaſi conditor *Cheu* Familiæ tertiæ Imperialis *Ven vam* dictus, nec non ejuſdem filius *Cheu cum*. Hi ſolverunt ænigma, & figuras interpretati ſunt : Sed an hi coætanei fortaſſe fuerunt ipſiuſmet *Fo hi* ? Immò verò mille ſeptingentis annis poſteriores : Tamdiu ſcilicet in tenebris jacuit prima illa fundatoris lucubratio ; prorſus ac ſi non extitiſſet in rerum naturâ. Num igitur omni illo tempore litterarum rudis & expers fuit China ? Minimè verò : ſed quàm dives & fœcunda tum fuerit luculentè teſtantur illuſtria litterarum monumenta quibus res geſtæ primorum Regum ac temporum, tùm ferè cùm gerebantur, poſteritati commendatæ ſunt : At in his litterarum monumentis nihil profectò invenient novatores, quod novitati ſuæ faveat; invenient autem quod adverſetur, plurimum : Quærant ſanè vocem illam *Tai Kie* ex quâ tot eruunt myſteria ; ne ſemel invenient ; uti nec alteram vocem *Li* in eâ, quam ipſi effinxerunt acceptione ; & tamen quàm crebrò, quàm clarè, quàm graviter de ſapientiâ providentiâque unius ſuprémi Numinis, de cultu & ſacrificiis eidem & ſpiritibus exhibendis iſthic agitur ? Quid quod ipſimet Principes *Ven vam* & *Cheu cum* tabulæ illius ænigmaticæ Interpretes primi, ne ſemel quidem iſtius vel *Tai Kie* vel *Li* mentionem faciunt ? Unus, inquam, *Confucius*, ſed & hic ſexcentis rurſus annis, ipſis modò dictis *Ven vam* & *Cheu cum* poſterior, in appendice ſuâ & ſemel dumtaxat binas illas voces *Tai Kie* profert in medium, ubi hoc unum dicit : *Mutatio continet Tai Kie*, ſive *magnum cardinem. Hic produxit duas virtutes &c.*

Annis ergo poſt *Fo hi* Fundatorem gentis Sinicæ bis mille trecentis tandem, veluti Deus è machinâ, ſic *Tai Kie* prodivit, nec malè tunc quidem ſecundum interpretationem doctiſſimorum hominum, qui aſſerunt nihil hîc aliud intellexiſſe Philoſophum, quam materiam primam, uti ex modo ipſo loquendi jam allato ſatis innuitur : At mille rurſus & ſexcentis annis poſt ipſum *Confucium*, vos domum boni novatores, prodiviſtis, & prodire feciſtis tale *Tai Kie* quale tota retro antiquitas nunquam audiverat : Quodque multo magis abſurdum fuit ac intolerabile, accommodare voluiſtis ad captum infantiæ veſtræ antiquitatem totam, & eam quaſi obtorto collo in

ſententiam veſtram pertrahere, poſteriſque perſuadere quod per annos ter mille, nihil aliud de Deo deque ſpiritibus ſenſerint ſcripſerintque majores veſtri quàm quod aſſerebatis ipſi de mutâ aliquâ virtute, & aëriis fortuitiſque cœlorum influxibus quos ſpecioſis nominibus *Tai Kie* & *Li* nuncupabatis.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

QUAM PERPLEXOS HABUERIT & ſollicitos primos divinæ Legis Præcones (Riccium maximè) *tanta varietas, & confuſio dogmatum, Sectarum, Librorum, Interpretum.*

HOC erat porrò chaos profundum Nationis Sinicæ, hic labyrinthus, hi ſcopuli; quorum prima facies perculit ſanè Matthæum Riccium ejuſque Socios qui Sinicæ Miſſionis fundamenta jecerunt, eoſque gradu perquàm lento ſuſpenſoque progredi coëgit: cum itaque poſt emenſa tot maria & tam feliciter perrupta tot ſæculorum clauſtra in novum hoc Pelagus variorum dogmatum inveherentur; imitati navarchos ſolertes ac prudentes ſuſpenſa ſemper bolide ſunt progreſſi: explorare diligenter omnia, qui ſinus & æſtuaria eſſent novæ regionis, quæ ſyrtes, ac vada: examinare, inquam, quæ maximè vigerent dogmata, quibus nixa fundamentis; quàm tuta, quàm certa. Primùm itaque non ſine admiratione & gemitu crebra ubique idolorum monſtra conſpicati ſunt, illa ſcilicet ipſiſſima, quibus Indiæ regiones ſcatêre viderant, à Bonziis utique eo, quo memoravimus, tempore & modo in Chinam invecta. Frequentiſſima ubique fana, numeroſi greges ſacrificulorum, errorum varietas ſumma, ex unâ ſectâ prognatæ complures aliæ, authoritas & gratia Bonziorum apud imperitum vulgus, quamvis iidem à litteratis pleriſque & honoratioribus ferè negligerentur, acres eorum animis curas injiciebant. Præter hanc, alia novæ ſectæ facies haud minus tetra ſeſe offerebat, *Tao* vulgo dicta, priore hîc antiquior, & in ipſis nata viſceribus Imperii, quam adeò litteratorum quoque non pauci ſequebantur, non illa ſpirituum tantum, ſed & hominum Numen & immortalitatem quamdam in terris tribuit ſuperſtitioſa cultrix, ut de ſortilegiis magiciſque artibus, quibus addicta eſt, nihil dicam. Augebant hanc colluviem frequentes ubique Mahometani, qui una cum ſuis erroribus ante annos ferè ſeptingentos magno numero & licentiâ ingreſſi in Chinam, eas ubique radices fecerant, ut humanis viribus deſperanda videretur eorumdem extirpatio.

Cæterum

Cæterùm una maximè secta *Ju Kiao* dicta eminebat inter has omnes opulentiâ, dignitate, authoritate: authoritatem antiquitas, & opinio sapientiæ conciliabat; opes, honores, imperia litteræ conferebant, eratque & re & nomine secta litteratorum: contemptrix illa quondam, quin & infectatrix earum quas 1. & 2. loco retulimus, quamvis alioquin & hanc & illam varii gentis Imperatores, & horum exemplo adulatores Ministri privato quodam studio benevolentiâque fuerint complexi: Cum Mahometanis etiam (credo quia origine exteris) sua ipsis fuêre certamina; at neque tam crebra, nec æquè semper, uti cum aliis acria & acerba; ideo fortasse, quia (uti scribunt qui mores ipsorum & religionem describunt) Mahometani *Su tien*, hoc est, *serviunt cœlo* quod & ipsi de secta suâ magnificè profitentur litterati: ex quo etiam non obscurè colligi posset ipsos Sinas Litteratos, quando ab se coli cœlum & adorari dicunt, utique non cœlum sed Dominum cœli, quem colunt Mahometani, intelligere.

Quoniam verò nonnisi per litteras aditus patet ad honores ac Magistratus: In his autem qui per litteras emergunt, complures sunt humili loco nati & ex infimâ quandoque fœce plebeiorum: Plebs verò, uti dixi cultrix ferè idolorum est: Hinc fit ut multi sic transeant ad Litteratorum sectam, ut tamen nativas illas superstitiones non penitùs resuant: Quam etiam fuisse causam autumo, quod ex ipsis tandem aliquando litteratis, amicum fœdus (ut ita loquar) & societatem aliqui cum duabus sectis idolorum inire non dubitaverint; studio quoque uniformitatis ac tranquillitatis publicæ eo perpellente politicos homines: Unam itaque doctrinam sive sectam ex tribus, sua videlicet, Indicâque Bonziorum, & patriâ quæ *Tao* dicitur coalescere voluerunt; ansam (credo) præbentibus ejusmodi novitati somniis illis, & erroribus, quos imperante familiâ *Sum* litteratorum secta produxerat, quamvis hæc illo quidem tempore sectas idolorum scripto tunc oppugnaret, uti suprà notavimus: cum enim sic illi Philosophentur de suo *Tai Kie* & *Li* ut quandoque nihil videatur esse inanius, quandoque rursus nihil æquè solidum ac sublime, mirandum non est uberem dictæ novitati materiam præbuisse & placuisse Bonziis vacuum nescio quod nimiè vacuum & interiorem suam doctrinam prædicantibus, nec displicuisse alteris nihilo suo non minùs chymerico gloriantibus: Maximè quidem dum superstitiosos quoscumque ritus, & exteriorem doctrinam unà cum idolis ipsis ac sacrificulis idolorum, in gratiam scilicet imperitæ multitudinis perseverare patiuntur; ipsimet interim in Atheismum turpiter prolabentes.

Quid hîc ageret noster Riccius annuntiaturus orbi Sinico Christi legem quò se verteret in tantâ dogmatum religionumque varietate

ſimul ac perverſitate ? Obverſabantur animo dura certamina ſibi ineunda, nec jam cum idololatris tantum, & Mahometanis promiſcuaque plebe, ſed ipſis cum Magiſtratibus cum tota propè claſſe Litteratorum, è quibus ſuprà centum millia gradibus ſuis inſignes erant, cum ipſo, inquam, flore, robore ac firmamento Imperii, hominibus Atheopoliticis, à quibus cæteri jus ac leges petebant, atque adeo faſtu potentiâque tumidis, contentis virtutum ſpecie, re autem verâ cœno flagitiorum majori ex parte coopertis. Dimicandum erat cum Scriptoribus primi tunc nominis, & cum librorum veterum & claſſicorum Interpretibus tametſi Neotericis, attamen Claſſicis (uti vulgò quidem cenſebantur) quorum adeo commentarii manibus omnium terebantur : Convellenda ipſorum authoritas, diſpellendæ fraudes ac tenebræ, & ſi quidem verum erat quod Novatores tam ſtudiosè docuerant, eamdem ſcilicet cum ſuâ fuiſſe mentem ac ſententiam Priſcorum omnium, profectò contrà torrentem totius antiquitatis, authoritate quadraginta & amplius ſæculorum roboratæ vel propoſito capitis periculo fortiter erat enitendum : Damnandi conſequenter auctores errorum : Priſci, inquam, Reges ac Sapientes, & ipſe magiſter imperii *Confucius*, quos ut oracula quædam mundi ſui, & illuſtria virtutis ac ſapientiæ prototypa poſteritas omnis hodieque veneratur, de quibus ſi quidem nos juridicè, quid ſentiremus, interrogarent, fidenter ac diſertè reſpondendum erat, erraviſſe omnes ac æternum periiſſe : Quod quo tandem ferret animo gens ſuperbiſſima retinentiſſimaque priſci moris & majorum obſervantiſſima ? utique novitatem tam inviſam deteſtati, conſtanter affirmarent nequaquam erraviſſe ſuos, ſed nec errare per tot ſæcula, tot millenos tanti nominis ſapientes tam conſtanter potuiſſe : Ut ut eſſet, malle ſe cum erroris periculo inſiſtere veſtigiis majorum, quàm opiniones ſequi paucorum hominum exterorum ad id uſque tempus inauditas.

Meminerat quoque Riccius exterum ſe eſſe, hoc eſt, Sinenſium opinione, Barbarum : Meminerat Religionem, quam propagaturus venerat, eſſe hîc novam, novoque ex orbe advectam : Quod ſi vel nomen ipſum exterorum eſſet deſpectui ; ſi ſuſpecta novitas omnis, & vel adeo quia tranquillitatem publicam turbare nata, politicæ genti Priſcarum ſuarum legum ac conſuetudinum tenaciſſimæ ſemper inviſa : Immo ſi Magiſtratus & Conſiliarii Principum Religiones & Sectas ad unum omnes, præter ſuam litteratorum, penitus abolendas eſſe non ſemel ſenſerant, reque ipſa contra Sectatores earum (cum tamen inquilinæ jam eſſent, & tot Imperatorum privatâ ſuperſtitione vehementer auctæ & corroboratæ) Principes alii atque alii ferro flammâque ſævierant : Quid ſperari tandem poſſe de illâ quæ tam nova eſſet ac peregrina, quæ mollis ac ſuperbæ gentis in-

Digitized by Google

genio tam contraria, res annuntiaret tam prima ſpecie incredibiles, uti eſt Homo-Deus & hic crucifixus.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

RICCII DELIBERATIO DE MODO veritatis Evangelicæ Sinis annuntiando. Priſcorum Monumenta & Annales legit & examinat.

DESPONDERET animum procul dubio, tot inter curas ac metus quiſquis haud aliis niteretur viribus quàm humanis: Sed enim fretus Deo conſtitit ſibi Riccius, qui cum multa diu noctuque verſaret animo de inſtitutis ac legibus Monarchiæ tantæ & tam antiquæ, in hunc ferè modum ſecum ipſe ratiocinatus eſt: Si verum eſt quod mihi tam conſtanter affirmant omnes, anni ſunt mille quingenti eoque amplius quod idola cum idolorum cultu authoritate Regiâ ex Indiâ primum inducta ſunt in hanc Chinam: Conſtat autem ſtetiſſe hoc Imperium per annos quater mille eoque amplius, ſi quidem fas eſt annalibus Imperii fidem dare, dignis utique non minori fide, quàm quos de rebus ſuis Græci ac Romani conſcripſerunt: Quid ergo dicemus de omni illo tempore quod idololatriam anteceſſit, annis ſcilicet bis mille quingentis? An ignoraviſſe numen omne tam verum quam falſum? Quod quidem de gente quantumvis immani ac barbara (teſte Tullio) vix eſt auditum: Vox illa generis humani *Numen eſt aliquod* an ſola fugerit aures Sinarum? Soli Sinæ ad lucem illam, ſpeciemque & magnitudinem creaturæ, per quam Paulo teſte, tam cognoſcibiliter Creator omnium poteſt videri, ſoli, inquam, Sinæ cæteroqui tam perſpicaces ſemper cæcutiverint? An inſania iſta, & inteſtinum murmur dicentium in corde ſuo: *Non eſt Deus*, quam Auguſtinus paucorum eſſe dicit, omnium omnino Sinarum mentem ſemper occupaverit? Quod illitterati, quod agreſtes ac feri ſemper cognoverunt, homines ſapientes, culti, mites ſemper ignoraverint? Qui motus illos tam conſtantes & æquabiles Aſtrorum, qui cœlorum converſiones ſemper admirati, ſemper id egerunt ab ortu ſuæ Monarchiæ, ut æquabilitatem & conſtantiam illam & ordinem inviolatum in adminiſtratione Monarchicâ ſui Imperii obſervarent; nunquam de motore cœlorum ac Domino, nunquam de Monarchâ illo ſupremo utpote inviſibili & in corporeo cujus (Monarcham ſuum Vicarium & veluti filium adoptivum eſſe crediderunt ad ſublunarem hunc orbem adminiſtrandum) cogitaviſſe, credi poteſt? Atenim ſi hîc ſubobſcura ſaltem veri Numinis fuit notitia, unde tanta deinde

Digitized by Google

perversitas opinionum ac morum, tot Sectarum colluvies quantam videmus hodie, unde tot artes nocendi fallendique? In promptu causa est: ab inconstantiâ naturæ depravatæ, nominatim verò à pestiferâ servitute idolorum. Quoties ipsimet apud nos prædicant Priscorum temporum innocentiam, fidem, sanctitatem! citò nimirùm consenescit virtus omnis, & imbecillitas humana suapte sponte ruit in pejus, tametsi nemo sit qui impellat: satis severa simplex & innocens prima ætas Romanorum, at quanta deinde morum corruptela cum triumphis Asiaticis in urbem invecta est! Quid? ipsa Christi Ecclesia, quot & quantas vicissitudines subiit? Quàm citò deferbuit ardor ille spiritus sancti, quo in ortu suo rapiebatur inflammata? Id ergo quod nunc jacet, haud rectè dicas stetisse nunquam. Humanum quid esse & naturâ suâ caducum rectè quidem dixeris. Depravata gens est, sit sanè. Corruptissimi mores, non inficior; sed vel hinc liquêre dico, syncери quid integrique habuisse aliquando. Omnino sic res habet: non ea fuit olim China, quam nunc videmus esse, sed quod extremis huisce temporibus usuvenit Europæ nostræ, ut post insignem corruptelam opinionum simul ac morum, post tot hæresum quotidie hydrarum instar pullulantium examina, Atheismus quoque nonnullos infecerit, hoc usuvênit & Chinæ, lue tam execrabili grassante hîc tantò sævius, quanto minus adest remedii, & plus suppetit semper alimenti.

Quid ergo consilii in re tam desperatâ? Ratione primùm ac Philosophiâ mederi incipiamus? At in hac, ut ab ipsis, ceu Magistris, excolamur, ex Europâ nos venisse existimant. Pugnabimus igitur armis sanctioribus quæ plurima suppeditant paginæ divinæ? Sed enim divinis similes suas item esse stultè contendent; & si quidem vetustiores quoque esse dixerit, erroris illos arguere difficillimum sanè erit: quin ergo freti magno Deo arripimus Christi Salvatoris nostri è cruce pendentis imaginem, & provolamus in publicum animosi, fideique nostræ trophæum circumferimus per compita & fora: aderit piis conatibus ipse Dominus, & si prodigiis signisque doctrinam ejus confirmare non potuerimus, sanguine vitâque certè confirmabimus. Utinam hoc quidem! Verumtamen ne ipsum quidem Apostolum Gentium quamvis arderet mori pro Christo, prædicaretque Christum & hunc crucifixum, accepimus iniisse viam hanc & rationem, Christi prædicandi in Sapientum Areopago, ubi quantumvis incitaretur spiritus ejus in ipso videns idololatriæ deditam civitatem, sic tamen Christi Redemptoris & hominis mentionem facit, ut primùm Creatoris ac Dei, & sic rursum Redemptoris, sed ut à mortuis prodigiosè suscitati, sed humanum genus gloriosè judicaturi: Idem verò Apostolus cùm apud gentes alias tot signa tamque miranda patraverit, in hoc tamen ingeniorum & sapientiæ

theatro

theatro judicavit ſolidis rationum ponderibus, Deo adſpirante eſſe permovendos.

Quid ſi ergo imitemur Apoſtolum in Areopago diſſerentem, & quando non dubitavit is ex ipſâ Poëtarum caligine tenuiſſimum primæ lucis radium elicere, nos ſimiliter ex vetuſtioribus ſaltem Sinicæ Philoſophiæ monumentis petamus aliquid quod crepuſculi ſit inſtar, & auroræ feliciori ſolique juſtitiæ quadantenus viam pandat. Veterum quidem librorum copiam non deeſſe, ſatis jam conſtat: Iique fortaſſe quò propiùs ab origine fontibuſque veritatis abfuerunt, hoc etiam puriùs liquidiùſque de eâ diſſeruerint. Sed enim verendum ne ſi veteres hîc nobis faveant, Interpretes veterum adverſentur: Sic enim audio non minùs copiosè quàm ingeniosè explanari libros veterum ab Interpretibus quibuſdam, qui cùm vix à quingentis annis prodierint, admodum tamen fidenter judicium ferant de quadraginta ſæculorum ſenſu & doctrinâ. Accedit hoc indigenas ipſos eſſe verſatiſſimos patriis in litteris, & quia de his tam præclarè (uti vulgò dicitur) ſunt meriti, eoque nomine maximis olim perfuncti muneribus, idcirco lucubrationes ipſorum ſingulari cum ſtudio plauſuque lectitari ab ſummis pariter infimiſque. Quid ergò deferent uni homini præſertim extero, qui præ uno magiſtrorum ſuorum & Interpretum, exteros (opinor) omnes floccifaciant? quamquam jure merito quis dubitet, an qui ſcripſerunt poſtremis illis corruptiſſimis temporibus Priſcorum mentem germanamque doctrinam ſint aſſecuti, præſertimque iis in rebus quæ ad Religionem Priſcorum pertinent, vel ſunt ab ſenſu noſtro vulgique opinione remotiores. Conſtans quidem Interpretum concordia, maximè ſi plures fuerint, nec unius ætatis, admodum rara eſt & miraculo proxima. Gaudet ferè ætas poſterior priori vel addere quidpiam vel detrahere: Sic Litterati Sinenſes ætatis noſtræ novam illam commenti ſunt Religionem ex tribus conflatam, quarum duas ii, qui Imperante familiâ *Sum* floruerunt, uti falſas pravaſque oppugnaverunt acerrimè. Cur ergo hi ipſi non æquè hallucinati fuerint & multò etiam longiùs à primis illis temporibus dogmatiſque majorum diſceſſerint? Maximè cùm altro fateantur interceſſiſſe noctem illam tam ſpiſſam annorum mille & amplius, per quos priſca Sinarum Philoſophia conſopitæ ſimilis extinctæque jacuerit?

Has ergò ſimileſve cogitationes diu noctuque revolvens animo Matthæus Riccius cùm vehementer optaret ſedem figere quamprimum in ipſa arce Imperii; Regia, inquam, Pekinenſi, quæ Monarchiæ totius caput eſt (quod & magnus Xaverius tantopere expetiverat) quoniam tamen necdum ſibi videbatur ſatis eſſe maturus ad illam expeditionem, & niſi via aliqua paulatim eo ſterneretur, acceleratio tam præceps multò plus damni quàm commodi afferre po-

Digitized by Google

terat : Satius esse duxit festinare lentiùs, & ex proximis quibusque locis atque Provinciis qualemcumque fructum petere, extraque Regiam præludere quodammodo certaminibus illis quæ in ipsâ deinde Regiâ esset initurus. In Provinciis itaque Chinæ Meridionalis annos versatus omnino 16. ipse tum per se tum etiam per socios non uno loco felicia posuit fundamenta rei Christianæ, & quamvis omni illo tempore variis gravibusque laboribus ac periculis exerceretur, nunquam tamen fractus est animo, sed Deo fretus è rebus etiam adversis animos & opes sumpsit, unum interim singulari quodam studio solertiâque agens assiduè, ut indagaret omnia secumque tacitus expenderet, eoque consilio consulens identidem gentis libros, & quotquot ex amicis nanciscì poterat homines litteris præstantes: quoad anno 1598. jam maturam ratus Pekinensem expeditionem eam alacer suscepit; Sed ecce Pekinum delatus recentis cujusdam belli terrore & apparatu fervere videt omnia: quare prudenter hîc difficultati cedens ac tempori Nankinum repetit, sive Regiam Meridionalem: Ibi autem non paucis Christo aggregatis fundat Ecclesiam simulque domicilium Societatis JESU & exacto circiter biennio rebusque jam pacatioribus Pekinensis Regiæ, post multas deprecationes & lachrymas coram Deo, cujus unius causa hîc agebatur, profusas, plenus admodum spei fiduciæque cœlestis (divinitùs quippe factus erat certior Christum sibi propitium fore Pekini, similiter, ut Ignatio olim Romam petenti) tandem anno Christi 1600. denuò proficiscitur erecturus in arce illâ, tam florentis Imperii trophæum Crucis Christi, & sub hujus auspiciis depugnaturus cum Idololatris, Atheis, Mahometanis, &, si Deo cordi foret, de his Inferisque totis triumphaturus, quin adeo, per calcatam, si necesse foret, quatuor & 40. sæculorum authoritatem, monumentum æternæ veritatis positurus, &, si veritas id postularet, obsignaturus etiam suo sanguine.

Anno itaque salutis humanæ 1601. mense Januario (qui postremus erat mensis anni Sinici 28. Imperantis *Van lie* ex Familiâ *Taimim* ordine decimi tertii, ingressus Pekinensem Regiam Matthæus Riccius offert munera Principi, non alia re magis quam novitate suâ pretiosa acceptaque; & primo quidem loco effigiem Christi Salvatoris Deiparæque Virginis coloribus eleganter expressam necnon ipsum Crucis trophæum: Omnia suscipit Imperator (raro favoris ac benevolentiæ argumento) sacratas autem Imagines cum singulari quadam venerantis animi significatione. Vulgato favore tam inusitato accenduntur omnium studia ad novum hospitem consalutandum: Concurrere certatim omnes cujuscumque ferè ordinis ac dignitatis ad diversorium Matthæi, avidissimi cognoscere quid afferret hospes tam novus & advena ex iis terris, quas ipsi ad id tempus sub cœlo

Digitized by Google

exiſtere, nunquam exiſtimaverant. Multi multa ſciſcitari; multa Matthæus ipſe ultrò prudens ingerere; audiunt de elementis, de cœli ac terrarum vel ſitu vel motu, & in his nova permulta prorſuſque inaudita, non minus ingeniosè quàm perſpicuè, patrio ipſorum ſermone diſſerentem. Amant etiam vehementerque ſuſpiciunt gravitatem morum comitate modeſtiaque tam ſingulari temperatam. Inter hæc vir prudentiſſimus gradum facere identidem ad ſublimiora, à terrâ cœloque ſcilicet, ad conditorem utriuſque & Dominum: Mox etiam naturam hujus divinaſque perfectiones, unitatem, providentiam, ſapientiam, omnipotentiam, bonitatem ſolidis demonſtrare rationibus. Diſſerenti porrò de primo rerum principio ſeu effectore aſſentiri facilè omnes & non pauci fidenter etiam aſſerere eſſe illum ipſum quem Priſci gentis ſuæ Reges ac ſapientes perappoſito nomine *Xam ti*, hoc eſt, *Supremi Imperatoris* nuncupaſſent, & verò coluiſſent: Neque tamen deeſſe rurſus alii, qui principium longè diverſum; chimæricum illud ſcilicet novatorum, de quo ſuprà, *Tai kie, li, cum &c.* id eſt, *Magnum terminum, rationem entis univerſalem*, item *vacuum & inane*; alii rurſus qui *Fœ* idolum ex Indiâ advectum, alii denique qui patriam ſectam *Tao* dictam identidem obtrudant: Quorum quidem omnium errores inaniaque dogmata Matthæus rationibus, è naturali ſimul & ſupernaturali petitis veritate, non minùs fortiter quàm ſuaviter oppugnat expugnatque: Audit eos interim non minùs quàm alios, quibuſcum familiariùs egerat in China Meridionali, miris extollentes laudibus Priſcorum temporum ſuorum innocentiam & ſimplicitatem, audit Priſcas auctoritates & vetera citari ab ipſis litterarum monumenta, in quibus tum legis naturalis, tum aliarum rerum quas Riccius prædicabat, mentio fiebat non obſcura, ipſiſmet interim fatentibus diu eſſe quòd deſierat aureæ illius ætatis integritas & candor; nam ſuæ quidem ætatis ſapientes pleroſque tantum nomine tenùs diſcipulos eſſe *Confucii*: utpote qui præter opes dignitates deliciaſque hujus ſæculi & fucatæ eloquentiæ gloriam vix aliud quidquam haberent cordi, parum utique ſolliciti quid olim futurum eſſet, quia nihil ferè, niſi quod ſenſu percipieretur, credentes: Et hujuſmodi quidem ſermones ac querimoniæ illorum ferè erant, qui nativum lumen veritatis vitiis & erroribus minus habebant offuſcatum, quos inter etiam quidam primi nominis litterati, inſtinctu, opinor, pluſquam humano, tam ſingulari doctrinâ Matthæi noſtri, tantaque doctrinæ firmitate capti convictique adhæreſcere jam ipſi ſtudioſius, & ad delibandos ſaltem gentis ſuæ libros, vetuſtiores imprimis ultrò invitare, ſe namque ipſos poſt inſtitutum bis terve cum illo ſermonem, multò quàm unquàm anteà clariùs jam percipere nonnulla quæ veterum monumentis continebantur, quæ adeo delibare ne gravaretur & ipſe: Sic

Digitized by Google

enim perſpicuè cogniturum eſſe, quid olim naturâ duce ac Magiſtrâ ſenſerit antiquitas tota, quid de ſupremo cœlorum Imperatore ac Domino, quid de ſpiritibus & Religione judicarint viri Principes iidemque ſapientes ætatis Priſcæ *Yao*, *Xun*, *Yu*, *Tam*, *Ven-vam*, *Vu-vam*: *Cheu-cum*, *Cum-çu*, ſive *Confucius* quos omnes tota poſteritas ſi minùs imitata feliciter, at certè conſtanter ſit venerata; qui utique ſi viverent modo novas illas veritates, veluti cælitus annuntiatas, approbaturi eſſent, & quidni etiam amplexuri. Quod ſi jam ſemina quædam & ſcintillas ejuſdem luminis ac Religionis in monumentis Priſcorum ſuorum Matthæus ipſe reperiret, tum rogare ſe, ut ſuſcitet benignus, quod tamdiu latuit conſopitum extinctoque ſimile, priſcumque lumen nativæ veritatis fulgore novo doctrinæ cæleſtis accendat atque perficiat.

Quam ſimillima fuerant aliorum etiam graviſſimorum virorum quibuſcum egerat per annos ſuperiores hortamenta & vota, quibus adeò jam tum morem gerens, non parum ſcilicet hac in parte elaborarat: quod ipſum tamen prudenter hîc diſſimulans, humaniſſimè reſpondit ſe quando ſic juberent, utique pariturum, non ſine magna ſpe diſcendi proficiendique ex libris gentis litteratiſſimæ conſcriptis eâ præſertim ætate, cujus ipſi ſapientiam ac ſanctitatem uſque adeò deprædicarent. Totus interim tacitis exultabat lætitiis Chriſtoque duci & auſpici gratias agebat immortales quod cerneret aperiri diſſeminando Evangelio oſtium ingens, quod idem tamen rurſus intelligebat penitus iri occluſum, ſi fortè totam litteratæ gentis antiquitatem condemnaturus omnium in ſe litteratorum adeoque & Magiſtratuum infeſtos animos & arma concitaſſet, quos utique devincire potius oporteret ſimilitudine quadam ſtudiorum atque ſententiarum, quàm abalienare novitate nimiâ & diverſitate, ut ſic, fundamenta Chriſtianæ Religionis in hoc Imperio non divinâ tantùm firmitate (quæ quidem longè potiſſimum procuranda ſemper eſt) ſed etiam humanâ, quoad fas & ratio ſineret, niterentur.

Doctoribus itaque primi nominis, & hortatoribus, & ducibus novo rurſus ardore ac ſtudio placuit explorare penitius omnia, adire (inquam) fontes ipſos doctrinæ Sinicæ, & monumenta Priſcorum dogmatum, necnon annalium vetuſtiſſimorum, iterum iterumque revolvere: ad hæc obſcuros dubioſque locos examinare diligenter, conſultis partim commentariis, tam veterum quam recentiorum Interpretum, partim etiam illis, qui tunc vivebant literarum Magiſtris atque Philoſophis (ex quibus ſeptem & viginti annorum ſpatio, quibus in Chinâ commoratus eſt Riccius recenſita ſunt amplius quinque millia) à quibus & ipſe viſebatur, & quos viciſſim viſebat & de omnibus conſulebat. Quid multa? vidit, audivit, legit, & maximâ

maximâ cum voluptate animi ſui perſpicuè tandem cognovit, quin & convictus eſt, Sinenſes olim non uno ſæculo, ſed pluribus habuiſſe notitiam veri Numinis ac ſimul præſtantia quædam lumina legis naturalis; ad quæ ſi modò revocarentur ii, qui nunc viverent, ſperandum utique fore, ut ad Evangelicæ legis, quam venerat annuntiaturus, gratiam & ſanctitatem ſuaviter admodum (propitio ſemper Numine) adducerentur, ii quidem imprimis, quos inveterata quædam cœcitas ac ſuperbia vitæque depravatæ conſuetudo non uſquequaque impediret: & verò cùm gens iſta ſuæ antiquitatis ſuarumque litterarum uſque adeo ſtudioſa ſit & tenax, prorſus adhibendam videri hanc induſtriam, ut ſuſcitarentur ea, quæ ipſimet in primordiis ſuis habuerant prima naturæ lumina, quamvis hac ætate vitiorum & errorum tenebris propè jam extincta, exemplo ſcilicet Doctoris & Apoſtoli Gentium, qui non dubitaverat authoritatibus & quidem Poëticis Ethnicorum uti inter evangelizandum: exemplo etiam primitivæ Eccleſiæ in quâ Doctores ac ſcriptores ſacri omnes (uti teſtatur S. Hieronymus citatus à D. Thomâ in opere contra impugnantes Religionem cap. 12.) *à tempore Apoſtolorum uſque ad tempora ipſius Hieronymi immiſcuerunt ſacræ Scripturæ ſapientiam & eloquentiam ſæcularem.*

PARAGRAPHUS QUARTUS.

EX LIBRIS SINARUM AUTHENTICIS concluditur nullum eiſdem fuiſſe cum aliis Nationibus commercium.

HÆC igitur quàm ſolido nixus fundamento fecerit Riccius noſter quantâ cum authoritate, fructu, plauſuque operæ pretium fuerit hîc declarare. Intellexit imprimis vir æquè perſpicax ac prudens, magnam eſſe fidem annalium Sinicorum, raram prorſus authoritatem ſimul, & antiquitatem: intellexit, eos à quibus annales conſcribuntur, ab ipſo deligi gentis Imperatore, unoque ferè tempore res omnes & geri apud Sinas & ſcribi; quamvis eædem non niſi multo deinde pòſt tempore, poſt occaſum videlicet imperantis familiæ & novæ ineuntis initia, typis edi conſueverint. Itaque ſic ſtatuit corrigendam prorſus eſſe opinionem illam, quâ venîmus ferè omnes ex Europâ noſtrâ imbuti occupatique, nationes ſcilicet ad unam omnes (excipiamus ſemper Hebræam) veri Numinis amiſiſſe notitiam, idque paucis à diluvio ſæculis, & inter ſua ferè cujuſque nationis exordia: Neque enim ſic rem habere, & quidquid de aliis

Digitized by Google

sit nationibus, de Sinica tamen haudquaquam ferri posse tale judicium; utpote quæ ab aliis gentibus fuerit, non terrarum spatio dumtaxat, sed moribus, habitu, litteris semper fuerit hodieque sit diversissima, & ita quidem ut putaverit præ suâ non aliam sub cœlo & sole invenire nationem, præter vicinas aliquot barbarorum Gentes & Insulas: sic enim verbo & scripto Imperium suum *Tien hia*, vel *Su hai chi nuy*, id est, *quod sub cœlo est*, aut *quidquid intra quatuor maria continetur* appellare consueverunt.

Quod quidem Imperium siquidem per bis mille primos ann. habuisset cum remotiorum terrarum & nationibus commercium, an tot Prisca aliarum gentium Ægyptiorum, Hebræorum, Græcorum aut Romanorum monumenta, id dissimulare aut non commemorare potuissent? an ipsa quoque Sinensium Chronica non memorarent, quemadmodum memorant de quinto Imperatore *Vu ti* è quintâ *Han* familiâ circa annum ante Christum 200. arma sua ultra marum & deserqui tum *Lop* proferens Pegu, Cambojam, Siamum, Bengalam usque penetravit, & annis rursum post Christum circiter nonaginta decimus sept. ejusdem familiæ Imperator *Ho ti* duce *Pan chao* in Indiam & ultra progressus 200. dierum itinere Regna 40. numero Sinarum subjecit imperio.

Ut autem id magis perspicuum sit si quidem de Assyriorum vetustissimo agatur Imperio, quod à Nemrodo Chami nepote duxit initium, satis constat illud inter ipsa propè exordia sua desciviſse à cultu vero ad idololatricum, & crudelitate, libidine, aliisque sceleribus adeo fuisse contaminatum & obscuratum, ut nihil fermè præter inania Principum nomina ad posteritatis notitiam pervenerit: Quod quidem Imperium, cum deinde ad Medos, & ab his ad Persas, à Persis ad Græcos sive Macedonas, à Græcis denique ad Romanos devolutum fuerit, quis non intelligat etiam vitia, & vitiorum omnium parentem ac nutricem idololatriam simul cum spoliis ac triumphis unà transiisse? Quâ quidem Idololatriâ Romanum deinde Imperium orbem reliquum infecit, adjunctis etiam sibi iis idolorum monstris, quæ propria singularum gentium superstitio fabricata fuerat.

Ab hoc igitur Imperio gentis Assyriæ licet vetustissimo, & quod in Asiæ visceribus fundatum ad Arabiam, Ægyptum, Indiamque extendit sese, nemo tamen suspicabitur derivatum fuisse Asiæ extremæ sive Sinarum Imperium, qui modo expenderit hoc ipsum 4222. annis sub patriis Principibus perstitisse: antequam jugum Tartarorum Occidentalium subiverit, quique etiam hujus & illius gentis mores linguam, ritus, litteras cæteraque omnia usque adeo inter se diversa diligenter observaverit: Et tamen fierine potuisset, ut rivus tam magnus nihil haberet cum fonte suo commune, & præsertim virus illud quod tam celeriter manat vitiorum, & ex vitiis idololatriæ? atqui

Digitized by Google

si modo vel obiter quis consulucrit Sinicæ gentis annales, protinùs ei constabit idololatriæ pestem non fuisse Regiâ authoritate huc introductam, nisi post annos fermè ter mille, post conditam Monarchiam Sinarum, annis verò amplius nongentis post extinctam Assyriorum.

Quod si verò Chinam removerimus ab Assyriorum commercio, multo magis removenda Ægyptus: & quamvis aliquæ hierogliphicæ litteræ Sinenses cùm Ægyptiis similitudinem habere à quibusdam asseratur, cur non potius Ægyptios à Sinensibus, qui aliquot sęculis pręcesserunt, quam ab Ægyptiis Sinenses originem trahere debere contenditur? Ad hęc quid obest quin aliquæ gentes quędam invenerint eadem omnino & communia cum aliis gentibus maximè dissitis? Et quid demum facilius & magis obvium quam pingere characteres aliquot referentes similitudinem rei, ut Solis, Lunæ avium arborum, &c. ut pueros doceant quæ quid significent? An propterea ex gente Ægyptiâ in Sinam per totam Asiam fieri debuit transitus & transmigratio?

Sed neque dici potest ab Indorum Gymnosophistis quidpiam vitii vel erroris apud Chinam fuisse propagatum antequam hic propagaretur ipsamet Idololatria: Nam præcipuus hujus sectæ propagator *Foe* dictus in Indiâ natus fertur anno 16. imperantis *Chao wam* (qui quartus fuit è 3. *Cheu* familiâ) anno ante Christum 1308. & annis 400. circiter ante natum Pythagoram & *Confucium*, quando jam steterat hæc Monarchia annis 1600. & amplius, legibus ritibusque non peregrinis, at suis constanter administrata; dogmata verò hominis pestiferi nonnisi nongentis circiter annis post ejusdem interitum una cum formali idolorum cultu authoritate Regiâ in Chinam inducta sunt.

Multo minus etiam credendum est Sinicæ gentis originem peti posse à Japonibus (quos superba Sina *Vo nu*, hoc est, *Vo* mancipia vocabat, quamvis ii litteras habeant multaque alia cum Sinis communia: Steterat enim Sinarum Imperium annis bis mille supra quingentos quando (sicut annales eorumdem memorant) migraverunt ex Chinâ millia aliquot familiarum ad Insulas Orientales, annis scilicet ducentis ante Christum: Ex quo tamen conficere ego nolim Japoniam esse coloniam Sinarum, maximè cum constet ab anno 660. ante Christum cœpisse Japones numerare Reges suos, qui usque ad sęculi hujus 1608. numerantur octo supra centum; uti constat ex libro Sinico in Japoniâ impresso, qui in Bibliothecâ Regiâ asservatur: quo etiam probabilior mihi est opinio altera, Japones à Tartaris potius (qui accolunt eorum mare Borealius) traxisse originem, eamque perantiquam; quippe sub annum circiter 1196. ante Christum, quando (sicut annales testantur) Barbari Boreales (puta Tartari) mul-

titudine ſuæ gentis id flagitante ad Eoi maris Inſulas ſe contulerunt: quod ut promptius credamus, ſuadet etiam Japonicæ gentis indoles perquam bellicoſa & robore animi conſtantiaque præ Sinis longè præſtans, quodque linguâ utantur à Sinenſi diverſiſſimâ.

Confirmant hæc tot legationes, uti aliorum barbarorum, ita & Japonum: harum quidem prima in Sinam legatio facta ſcribitur anno 2. Imperatoris 14. *Quam vu ti* è 5. *Han* familia (qui annus à Chriſto nato erat 28.) anno verò ejuſdem Imper. 33. ſecunda fuit legatio, quâ primùm ſigillo Regio donati ſunt. Tertia legatio an. 1. Imperantis *Ngan ti* decimi noni conſtabat 160. capitibus, interruptæ deinde per multos annos ob bella iſthic civilia legationes: donec iterum reſumptæ & continuatæ ſub ſeptem Familiis imperantibus: & una quidem ſub 2. Imper. *Tai çum* è Familiâ *Tam* decimâ tertiâ, imperii ſui anno 5. (tribus ſcilicet annis ante adventum Evangelii præconum è Syriâ) & ſub ſequenti *Cao çum* quando primum mutata eſt Regni ipſorum appellatio: Nam deinceps *Ge puen que*, id eſt, *Solis ortûs Regnum* (quod nobis Japonia eſt) nominatum eſt, 19. Familiæ *Sum* 2. Imp. *Tai çum* anno nono primum Bonzii legatione functi ſunt & deinceps. Sub *Yum lo* Imp. 3. Familiæ *Tai mim* juſſi ſunt, ut ſingulis tantum decenniis ſemel ad aulam venirent. Ex quibus cognoſcet Lector unde potiſſimum per mutuum ferè commercium & mores patrios & litteras cum Typographia, & vitiorum quoque ſuperſtitionumque contagia tranſiverint: Quemadmodum etiam conſtat, inter tot imperii viciſſitudines, tumultus publicos & calamitates variis temporibus Sinas perfugiſſe ad vicinas terras & inſulas ut Tibetum, Cambojam, Siamum, Tunkinum, Malacam, inſulam formoſam, Molucas, Javam, & præcipuè, uti jam diximus, Japoniam. Verumtamen ex ſupradictis haudquaquam rectè ratiocinati ſunt Europæi noſtri, qui præter ea, quæ apud Japones obſervarant atque didicerant, Sinicarum quoque rerum & (quod magis admireris) originum ac librorum Sinenſium Interpretes ac judices ſub initio hujus ſæculi eſſe voluerunt, Et ex ætate Japonum præſenti, ſententiam ferre de tota antiquitate & doctrinâ Sinenſium.

Sed erit fortaſſe qui exiſtimet ab Hebræorum populo propagatum fuiſſe populum extremæ hujus Aſiæ, utpote qui ab uno eodemque *Sem* Patriarcha Aſięque fundatore ſtirpem ſuam ducant. Hebræos quidem aliquos eoſque ſacris inſtructos voluminibus in Chinâ repertos fuiſſe teſtantur ii, qui ex Europâ huc primum advenerunt: Et verò nihil ut dicam de moribus ingenioque Sinarum, qui toti ferè inhient terrenæ felicitati, divitiis, commodis, honoribus, prorſus ac ſi non aliam expectent benedictionem quam quæ de rore cœli & de pinguedine terræ proveniat; uſus quidem polygamiæ

tametſi

tametsi primas semper deferant primæ & legitimæ conjugi, apud Sinas videtur permissus, quippe sterilitatem & stirpis suæ interruptionem, quodque post fata nemo ipsorum memoriam in parentalibus officiis sit renovaturus, ipsi in summis humanæ vitæ malis reputant; ad hæc eo sunt fastu & arrogantiâ, ut sicut Hebræi olim ob singulares cœli erga se favores, reliquos orbis mortales habebant despectui, ita & ipsi vanitate plusquam Græcâ Barbaros vocarent populos, quotquot norant, nec ante desisterent à convicio, quam iidem mores peregrinos & barbariem exuissent, moresque Sinicos induissent, quos in civium suorum numerum ceu pupillos adoptabant. Augere posset opinionis istius probabilitatem singularis quoque illa Sinicæ gentis erga defunctos majores pietas, quam nitore & curâ sepulchrorum, variisque ritibus & planctibus funebribus, nec non oblationibus, quas peragunt stato tempore, testari consueverunt. Revera ritus tot ac ceremoniæ, tot in victimis ritè apparandis observationes ac minutiæ, ad hæc sacrificia tot tamque varia ex tauris, arietibus, pane, vino; imo & holocausta quibus supremo Imperatori cœlorum litabatur consumptis victimis & rebus pretiosis: Sacerdos item unus & supremus (qui & erat Imperator) cui soli fas erat sacrificare supremo cœlorum Imperatori, quoties rei necessitas id postulabat: quod plerumque dum imperium lustrabat, in ipsis montibus & collibus faciebat; ad extremum, quod Sinenses præ reliquis gentibus, veri Numinis notitiam longè diutius conservasse videantur: hæc certè omnia prębere possent Europęo homini ansam dubitandi, an non ex Judęa multi ritus ac mores in Chinam transiverint, gensque ipsa ab Hebręorum propagata gente fuerit. Sed huic opinioni obstant annalium Sinicorum monumenta (ad quæ dumtaxat appello Lectorem in toto hoc opere; prętерquam enim, quod diu ante dispersionem Tribuum Israëliticarum China fuerit cultissima, & à legibus ritibusque tam sacris quàm profanis maximè instructa, unum hoc sufficiat quod annis omnino centum & ampliùs priusquam Moyses legem à Deo accepit, pius ille Imperator & *Xam* familiæ secundæ conditor *Chim tam* octogenario jam major, septimo sterilitatis anno (quam *per orbem universum invaluisse* Sacræ testantur paginæ) victimam se pro salute populi solemni cum ritu conceptisque verbis cœlo devovit: Quid quod etiam ducentis & amplius ante Abrahamum annis memoratur non semel *Xun* Imperator holocaustis aliisque sacrificiis supremo litasse Imperatori, aliisque deinde inferioris nominis & ordinis sacrificiis, coluisse spiritus montium fluminumque pręsides? Uti refertur in libro *Xu kim* ab illius propè temporibus historico Regio primæ imperialis familiæ *Hia* anno circiter ante Christum 2200.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS QUINTUS.

PROBATUR SINAS DILUVIO FUISSE proximos, adeoque notitiâ cultuque veri Numinis in ipso ortu imbutos.

PRORSUS itaque vel deroganda fides & annalibus persuas (ut ita loquar) olympiadas vel periodos 60. annorum tam accuratè digestis, vel certè rursus ascendendum est altius & ad ipsa proximè diluvii tempora revocanda sunt exordia Sinarum: Quod quidem si fecerimus, tum denique constabit, ex alia nulla orbis natione, Sinarum leges, scientias, & pleraque instituta proficisci potuisse, præterquam ab ipso Patriarchâ Noëmo, aut filiis ejusdem, aut nepotibus. Quod ut clarè constet, adeamus, si placet, ipsum gentis Sinicæ conditorem, cui *Fo hi* nomen: Hujus quidem genus & patria non exprimitur in Chronicis Sinarum, nisi quod hanc in Provinciâ maximè occidua & Boreali videlicet *Xen si* fuisse referatur: & ad hanc ipsamquidem provinciam primum appellere necesse erat, si quidem in dispersione linguarum & gentium ex Mesopotamiâ, seu terrâ *Sennaar* migrandum fuit, & deveniendum ad Sinarum meditullium Provinciam, inquam, *Ho nan*, ubi aulam primum constituisse scribitur in eâ regione, ubi nunc situm est oppidum *Chin cheu* quod subjectum est ejusdem Provinciæ Metropoli *çai fum fu*, alio nomine *Pien leam.* Nisi fortè aliquis opinari velit *Fo hi* & primos Sinarum incolas non convenisse cum cæteris gentibus in terram *Sennaar* nixus videlicet authoritate Cardinalis Caëtani ad ea verba cap. 11. v. 1. *Erat autem terra labii unius & eorumdem sermonum*, ubi his verbis scribit: *non intelligas universum genus humanum profectum ab Oriente & iviſſe in regionem Sennaar, quia nec littera hoc sonat, nec rationi hoc consentaneum est.*

Quod si verò jam tempus quæritur, quo fundamenta Reipublicæ jacere cœpit, proximè id abfuit à diluvio; & si quidem rigorem sequeris computi Sinici simul & 70. Interpretum (hos enim sequi non hîc cogerent Annales) cœperit is fundare hanc gentem 200. circiter post diluvium annis vivente etiamnum Noëmo Patriachâ, adeoque ab ipso Asiatici populi, secundum omnes, fundatore *Sem* (quæ vox *Sem* & *procreare*, & *vitam* apud Sinas, necnon, sed alio charactere, *victimam* denotat) ortum & originem suam merito traxisse existimandus est: Quod si cuipiam videatur non tantum authoritatis tribuendum annalibus tam vetustis, ut coga-

Digitized by Google

tur ſequi computum 70. Interpretum, relicto vulgato qui in tanto eſt uſu apud omnes, præcipuè quod quædam hîc recenſeantur, judicio quoque Sinenſium Interpretum apocrypha & meæ traditiones imperitæ multitudinis; nos haud equidem magnopere repugnabimus. Expunctis itaque ſex illis imperii conditoribus à ſeptimo (cui *Yao* nomen) Monarchiæ, ſi placet, primordia auſpicare; at neque ſic tamen evinces, ut à diluvio longius removeantur Sinicæ gentis exordia: imo vereor, ne vel ultra diluvium ea producas imprudens: Etenim annorum computus ſaltem ille qui ab *Yao* Rege uſque ad hęc tempora decurrit, adeò ordinatus, & tanto conſenſu ſcriptorum omnium exactus ad ſuas periodos ſeu cyclos ſexaginta annorum, ut non magis dubitari queat de illius integritate, quàm de Græcorum per olympiadas ſuas ſupputatione, cui tantum fidei & authoritatis tribuitur. Ab hujus itaque Legiſlatoris ac Principis *Yao* anno primo initi Imperii, qui fuit cycli qui tunc currebat, annus 41. *Kia xin* dictus, uſque ad annum ſæculi hujus 1683. qui eſt quadrageſimus tertius Tartaricæ hujus familiæ, ſub quâ ſcribimus, numerantur anni omnino quater mille 43. per illas, quas dixi, periodos ſupputati.

Hoc igitur ſuppoſito firmiterque ſtabilito, quod gens Sinica removeri nequeat longiùs ab ipſo diluvio, quemcumque tandem quis ineat annorum computum, ſive contractiorem, qui vulgatus dicitur, ſive ampliorem, qui Interpretum 70. Suppoſito item, quod ſit veriſſimum id quod non dubitanter aſſerunt ſancti Doctores atque Theologi; *Noemum* ſcilicet Patriarcham ſanctiſſimum veri Dei notitiam, & cultum cæteraque eo ſpectantia tam exemplo quam verbo filiis ac nepotibus tradidiſſe; quam quidem Religionem ac pietatem poſt linguarum, gentium, terrarumque diviſionem alii quidem ut maledicti *Cham* nepotes per ſcelera & diſſolutionem contaminarint, brevique etiam extinxerint; alii verò, ut *Sem* & *Japhet* filii utique obedientiæ ac benedictionis, eorumque filii, ac nepotes diutiùs conſervaverint & ad poſteros longius propagaverint, planè ſequitur in primordiis primarum gentium priùs extitiſſe veri Dei notitiam & cultum, quam falſi. Unde merito Lactantius, *errant*, inquit, *qui Deorum cultus ab exordio rerum fuiſſe contendunt & priorem eſſe gentilitatem quàm Dei Religionem.* Et alibi, *regnante*, inquit, *Saturno, nondum Deorum cultibus inſtitutis, nec adhuc ullâ gente ad divinitatis opinionem conſecratâ, Deus utique colebatur.*

Quo etiam ſpectat illa à Poëtis tam decantata aurea ætas, quâ exactâ finxêre juſtitiam offenſam vitiis hominum ceſſiſſe è terris & in cœlum remigraſſe. Quod ſi ita eſt, ecquis obſecro dubitare queat quin apud primos Sinas *Noemi* ipſius coævos fuerit veri Dei notitia & veneratio, quando hanc nulli tunc defuiſſe cæterarum gentium

Digitized by Google

communis consensus docet? An filii & nepotes *Sem* deterioris fuerint conditionis, quàm filii & nepotes *Chami*? Et tamen ne *Cham* quidem, quantumvis maledictus, neque filius ejus ac nepos eam de repentè amisisse credendi sunt: nam cum passim Historiographi initium idololatriæ sub *Nino* constituant, hic verò *Chami* pronepos extiterit, & regnare cœperit 350. circiter annis à diluvio (juxta vulgatum computum) patet utique veri anteà Numinis notitiam aliquam apud illos adhuc extitisse. Quod si ne in semine quidem illo maledicto mox extincta fuit, an fuerit in semine benedicto derepente obliterata & extincta? Quod si nefas sit id existimare, tametsi fortè annales Sinici nil præter mera nomina primorum gentis suæ conditorum commemorassent, tamen ex annorum computo, quos tam unanimi consensu illis tribuunt, & tam propinquâ, quæ ex illo computo conficitur, ad diluvium accessione, veri Dei notitiam habuisse jure meritò præsumendi sunt; quanto vero magis id erit existimandum de primo Sinicæ gentis *Fo hi* Fundatore, cum vel ipsum nomen quo ipse *Confucius* & tota retrò posteritas eum compellat *Pao hi*, quod *victimam* sonat, disertè id significat: quia (ut Interpretes aiunt) primus ipse victimas instituit ad eas cœli terræque spiritui supremo ritè immolandum, in quem etiam finem textus refert, quod sex omninò animalium species aleret. De eodem quoque refertur, quod ex cœli terræque contemplatione sibi normam præscripserit ad populi & Reipublicæ rectam administrationem, quam expresserat tabulâ illâ 64 Figurarum (de qua supra) quod item rerum omnium, quarum naturas explorabat, contemplationem direxerit ad superiorem creatis omnibus *spiritualemque intelligentiam* (quæ per binas voces *Xin mim* denotatur) cognoscendam, uti disertè textus ipse, & *Confucius* Philosophus asserit in suâ ad librum mutationum appendice, & nos supra innuimus.

Certum itaque debet esse, & apud omnes indubitatum, quod primi Sinæ, maximè quidem Fundatores ipsi gentis Sinicæ verum Deum agnoverint & adorarint: convincit hoc enim ratio ipsa temporis diluvio proximi, nec leve pondus addit ac testimonium illa, quam declaravimus *Pao hi* nominis (quod *victimam* sonat) etymologia. Sit ita sanè, dicet aliquis, at quantuli temporis fuerit ista Dei notitia & cultus? Nam in Assyriis quidem & Ægyptiis, & Europæis omnibus, admodum citò, lumen illud tot tenebris superstitionum, aliorumque scelerum fuit extinctum; sic ut dubitem, an vel duobus sæculis perstiterit apud illos notitia veri Numinis: Atqui nonne par ratio & inconstantia fuerit etiam Sinarum? Utique, si tamen pares fuerint & tenebræ, paria scelera, pares superstitiones: sed hæc dilucidè probari abs te necesse erit, priusquam portionem tam magnam generis humani vel idololatriæ condemnes,

vel

Digitized by Google

vel Atheiſmi : Alioqui manebunt profectò Sinæ (de Priſcis loquor) in poſſeſſione ſuæ innocentiæ, ejuſque ſimul notitiæ, quam natura ipſa & ratio, & rerum omnium ob oculos verſantium ordo, varietas, & harmonia animis hominum agreſtium etiam & Barbarorum inſeruit; nec quiſquam in re tanti momenti præſumendus eſt nocens, niſi conſtet ipſum à primævâ illâ innocentiâ, & cælitùs indito lumine deſciviſſe, & in barathrum impietatis ruiſſe præcipitem; cumque hoc inferri nequeat ex hodiernâ poſterorum depravatione, uti ſupra docuimus (quid enim frequentius quam ex bonis non jam dico atavis, ſed etiam patribus malos naſci filios, & ex heroïbus, uti dicitur, noxas) debet utique rei veritas ex ipſorummet monumentis vetuſtiſſimis potiſſimum peti, & indagari; maximè quando dictis reſpondent tam ea, quæ ad virtutem & pietatem, quàm ea, quæ ad ſcelera & impietatem ſpectant, planè & candidè pro priſcæ illius ætatis ſimplicitate litteris commendata, poſteritati vel ad exemplum, vel ad cautionem ſunt propoſita. Sed neque hîc cum de Religione agitur, quærimus, quid privati olim Philoſophi ac ſapientes de Deo ſenſerint; nam & inter Ægyptios Triſmegiſtus, & apud Græcos Socrates, Pythagoras, Plato, Epictetus; & apud Latinos, Varro, Tullius, Seneca aliique Philoſophi de Deo multa rectè ſenſerunt, atque ſcripſerunt, tametſi gens tota, cujus & ipſi pars erant, graviſſimorum errorum, necnon idololatriæ tenebris jaceret involuta; quærimus hîc igitur quid olim communiter ſenſerint Reges ipſi, quid viri Principes ac Magiſtratus, quid ſecta eruditorum univerſa, & quæ ab his regebatur Sinica gens, præſertim quando hæc (inſtar unius propè familiæ) iiſdem legibus, habitu, ritibus, litteris, ſic tota pendebat ab Imperio nutuque ſui Principis, & communis parentis, ac Magiſtratuum, uti alia fortaſſe nulla uſpiam terrarum.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

QUOD IN VERI DEI NOTITIA probabiliter perſeveraverint Sinæ per aliquot ſæcula.

PERCURRAMUS itaque, & oculis omnium exponamus avitæ Sinarum Religionis initia, incrementa, & decrementa, ut de eâ judicium ferat & ſententiam Europæus Lector. De primo quidem Fundatore *Fo hi*, jam ſatis, ut arbitror, liquet: de eo qui ordine tertius fuit *Hoam ti* dictus annales conſtanter referunt quod ædificaverit Templum (fortaſſe totius orbis primum) *Xam ti*, hæ

est, *Supremo Imperatori.* Sed ecce sub hujus successore *Xao hao* initium jam aliquod invectæ superstitionis, dæmone proculdubio, quas ubique moliebatur, etiam hîc struente insidias, & concitante rebelles dynastas omnino novem, qui sacrificiorum ordinem perturbantes, inanes nescio quas superstitiones, & spirituum larvas & spectra invexerunt, quibus populum terrefacerent, & timore illo panico correptum, in societatem rebellionis pertraherent. Et hîc quidem initium aliquod fuisse ruinam minitantis Imperii fatentur interpretes: Sed videlicet occurrit protinus tanto malo *Chuen hio* proximè sequens Imperator, qui domitis rebellibus, sacrificiorum formam & ordinem, sublatis erroribus, restituit splendori pristino, præfectosque per Imperium instituit, qui cultum pristinæ Religionis, cum omni nitore ac puritate ubique procurarent. De *Ti co* verò, qui successit, Imperatoris lectissimâ, sed sterili conjuge *Kiam-yven* refertur, quod cùm unà cum marito ardenter admodum supplicaret inter sacrificandum *Xam ti supremum Imperatorem* prolis obtinendæ gratiâ, voti compos facta conceperit, & enixa deinde sit filium, cui *Heu-çie* nomen, ex cujus stirpe quadragesimâ per filios & nepotes propagatâ, prognatus fuit *Vu vam* conditor Imperatoriæ familiæ *Cheu*, quæ ordine fuit tertia, cœpitque rerum potiri pòst annos mille & trecentos, quam dictus *Heu çie* natus fuerat.

Quid nunc dicam de consecutis duobus Imperatoribus simul & Legislatoribus *Yao* & *Xun* in hodiernum usque diem, tam celebratis, & omnibus posteriorum temporum Principibus in exemplum rectè & piè vivendi regnandique propositis? De quibus agere hîc supersedemus, quod in libris *Confucii Memcii*que (quos explanamus) crebra ipsorum mentio occurrat.

Quod si jam descendamus ad tres familias Principes (quæ sex primorum gentis conditorum, necnon duorum Legislatorum ætatem proximè subsecutæ sunt) *Hia*, *Xam* & *Cheu* dictæ, quæ quidem Familiæ totius posteritatis perenne sunt desiderium, & quas omnes libri adeo semper & ubique deprædicarunt: eæ cum constiterint Imperatoribus omnino 80. idque per annos 1975. videndum erit, an, & quo tempore, & sub quibus Principibus veri Numinis cultum ac notitiam amisisse, & in idololatriæ, aut atheismi barathrum ruisse dicendi sint: etenim si verum est, quod gravissimus vir *Lin ô* dictus in libello supplici oblato *Yn Hoam ti* Imperatori ex Familiâ *Mim* octavo asserit: *Ante invectam cum idolo* Fœ *ex Indiâ superstitionem* (anno scilicet post Christum 65.) *nullum vanorum Deorum simulachrum, statuam nullam in Sinis extitisse*, alterutrum profecto fatendum erit, aut atheos fuisse tunc Sinas, aut certè notitiam veri Numinis etiam tum conservasse.

Non est hîc consilii mei in medium proferre, quæ in libris Offi-

Digitized by Google

ciorum & Odarum referuntur, præcipuè verò in libro primi nominis, qui *Xu kim* inscribitur, quo trium dictarum familiarum & duorum Legislatorum *Yao* & *Xun* res gestæ, monita, consilia, ordine suo ac temporum commemorantur, etsi carptim & mutilè, quippe cum vitio temporum & communi illo gravissimoque incendio multa sint desiderata: Sufficiat hîc dicere ex testimonio totius posteritatis, unam propè & eandem fuisse trium principum familiarum administrandi Imperii rationem ac formam (quoad ipsam, ut ita loquar, substantiam administrationis) quæ fuit duorum *Yao* & *Xun* Legislatorum; nisi quod primæ simplicitatem & synceritatem subrusticam, sic imitata fuerit secunda, ut decôre suo & venustate detersérit quodammodo primæ rusticitatem; secundam verò primamque longe superaverit tertia augusto suo splendore, magnificentiâ, rituum copiâ & varietate.

Quod autem primas semper dederint Religioni à Majoribus, & Legislatoribus traditæ (de quâ hîc præcipuè sermo est) sufficiat in medium proferre tertiæ familiæ Imperatoris secundi (cui *Chim vam* nomen) morientis testamentum, quod in libro *Xu kim*, eo ferè ordine, quo hîc à nobis, fusè refertur in eo capite, quod *Cu-mim* dicitur: *Hic igitur Princeps, qui religiosè semper observaverat Supremi Regis cœli voluntatem; tandem anno ætatis suæ quinquagesimo; Imperii autem trigesimo septimo* (qui fuit ante Christum 1077.) *mense quarto, die decima sexta, in morbum inciderat lethalem: cumque intelligeret se morti proximum, primogenitum suum* (Cam-vam postea dictum) *heredem Sceptri solemniter pro more declaraturus convocavit Imperii Primates omnes. Præstituta dies aderat; quare ne in re tanti momenti consuetis ritibus, vel tum, quoad posset, deesset, surrexit è strato Regio; manus & faciem lavit fulcientibus languentem utrimque proceribus: Dein diademate & Regiâ togâ circumdatus, innixusque mensæ* Yo ki *dictæ* (quippe ex pretioso lapide constabat) *circumfusos Optimates in hunc modum affatus est: Morbi mei vis invalescit, jubente cœlo: Vereor ne incautum mors occupet: Placuit igitur ultimam meam declarare voluntatem. Scitis quo pacto* Ven-vam *Avus meus &* Vu-vam *Pater, virtutum splendorem longè latèque protulerint: Nunc* (succinctiorem Regis orationem explanat *Cham* Colaus Interpres his verbis) *Ego parvulus successi Patri, & Avo; quamvis autem etiamnum rudis sim & ignorans* (adeo submissè & modestè de se sentire ac loqui solebant Prisci illi Reges) *non tamen me latet cœli mandatum* (quo etiam nomine venit Imperium) *non esse perpetuum, adeoque summè esse timendum: Cum timore igitur ac reverentiâ veneratus illud sum semper, & ei qua potui ratione sum obsecutus; nec ausus fui vel minimùm socordiæ aut incuriæ locum dare. Quod spectat ad* Ven-vam *&* Vu-vam *Regum magna documenta, quæ veneratione cœli & indefessâ populi curâ continentur,*

ea cordi mihi ſemper fuêre; nec auſus unquam fui perturbatè quidquam tranſgredi: Hoc ſcilicet modo potui amplificare familiæ hujus virtutes: Quo & perfeci, ut haberem propitium cæli ipſius cor, neque accideret ut hoc Imperium ex ulla ſui parte labefactaretur. His aliiſque tum ad filii inſtitutionem, tum ad populi totius emolumentum ſapienter dictis, dimiſſo procerum conſeſſu ægrum corpus ſtrato repoſuit; & ſequenti luce vivere deſiit. Hactenus *Xu kim.* Obſerva hîc Lector, quod duo dumtaxat moriens hic Imperator filio eſſe cordi juſſerit, Religionem, & amorem ſubditorum; ut qui intelligeret in duobus his velut cardinibus totius Imperii molem verti. Ex hoc uno ſaltem argui poteſt cujuſmodi fuerit duarum præcedentium familiarum Religionis & obſervantiæ ſtudium per annos mille quingentos, uſque ad tempora ipſius *Yao* Legiſlatoris. Quibus annis, ſi trecentos circiter adjunxeris, qui à *Chim vam* numerantur uſque ad duodecimum familiæ degenerem Imperatorem *Yeu vam* (qui ducentis ante natum *Confucium* annis imperitavit) non longè certè à majorum ſuorum inſtitutis diſceſſiſſe ex ipſorum annalibus convinci poteſt. Quod ſi quis attente & non præoccupato mentis judicio, aut affectu, memoratos libros annalium *Xu Kim*, & *Li ki* libros rituum & officiorum, ſingulaque diligenter expenderit, inveniet profectò ubi merito ſuſpiciat collaudetque ſingularem adeo divini Numinis providentiam, & præ cæteris ferè gentibus erga Sinicam favorem, ac beneficentiam. Quorſum enim apparatus tot ac tanti ad ſacrificia ritè peragenda? Quid illa ex edicto Regio ſollicitudo in alendis victimis ad ſacrificia deſtinatis, per Imperii totius urbes & oppida? Quorſum præfecturæ illæ ad ſolos Religionis ritus ordinatæ, regioque inſtructæ cenſu? Quid ſibi vult exactitudo tanta in rebus ſingulis eò ſpectantibus, ſic ut exiſtimarent haud ſuſcipiendum eſſe à cœli Imperatore ſacrificium, in quo præter internum animi cultum, cultûs etiam externi pars aliqua deſiderata fuiſſet: Quid? quod ipſæ Reginæ Bombyces alere veſteſque ſericas, & certi quidem coloris ad ſacrificia contexere ſolebant? quin & Imperatores ſuis ipſi manibus (credet hoc Europa?) arabant quotannis, & conſerebant partem agri, ſeu horti Regii, ex quo meterent deinde frumentum ad liba, vinumque ex herbis & oryzâ confectum, deinde in ſacrificiis ritè offerendum: quâ quidem pietate quid eſſe poteſt illuſtrius? quid magis Religioſum? quid dicam de jejuniis per ſua anni tempora, quid de 3. aut 7. dierum continentiâ conjugali præviè obſervari ſolitâ, quo puriores ſcilicet ad ritè ſacrificandum accederent? quò minus admiranda ſunt alia, quod cum adirent Imperium, cum ſuſcipienda eſſet expeditio, cum luſtrandæ Provinciæ, cum publica urgeret calamitas, inundatio, ſterilitas, terræ motus; cum triſtior eclypſis & cometa appareret; ad hæc in Kalendis primis cujuſque anni, in ſolſtitiis ac æquinoctiis nihil

Digitized by Google

nihil prius agerent, nihil impensius, quàm ut supremum cœlorum Imperatorem solemnibus votis & sacrificiis propitium sibi populoque redderent: ut autem clementiam ejusdem potentiùs publico edicto provocarent, & de delictis, si quæ fortè commiserant, admoneri à suis postulabant, & laxatis, haud raro carceribus, si fortè inter vinctos innocentes aliqui detinerentur, publicam noxarum condonationem per Imperium indicebant, reservatis tamen delictis quibusdam atrocissimis.

Jam vero illa principum in deprecando cœlo modestia animique demissio, quâ se parvulos & infantulos coram supremâ majestate vocitabant: illa caritas quâ se reos agebant omnium quæ fortè peccaverant subditi, sibique unis ultrò deposcebant ea supplicia, quæ cunctis ab irato cœlo timebantur: illa sollicitudo, ille angor, timor ac tremor in cultu & veneratione etiam privatâ, supremi Imperatoris, de quibus sæpe in libris fit mentio, hæc, inquam, omnia nonne declarant veram in eorum animis Religionem insedisse?

Quod si hæc, quæ modo attigimus; ab Imperatoribus virisque Principibus sic observata fuêre quid putamus à subjectissimo iisdem populo factum fuisse: præsertim cum edicta Regia juberent, ut summi pariter infimique colerent supremum Imperatorem, reliquosque locorum præsides spiritus?

Quæro nunc igitur, si quis Aristotelem, aut alium quempiam Philosophum vidisset quotidie statis temporibus curvare genua venerabundum, adolere thus, prosterni toto corpore in solum, oculis manibusque identidem in cœlum sublatis preces fundere, an huic suboriri potuisset ulla dubitatio, quin Philosophus ille Numen aliquod novisset, tametsi fortè in omnibus, quos scripsisset libris, nullam de Numine mentionem faceret? Quid si idem observasset quam simillima Religionis signa in natione, aut sectâ aliquâ, simulque & in ipso Principe totius nationis aut sectæ? Quomodo igitur Chinam veterem auderet quis insimulare tam nefandæ ignorantiæ & impietatis, quando non audiret tantùm exempla ista tam raræ pietatis, totque ritus & sacrificia ibidem à regibus adhiberi solita, sed eadem in monumentis quoque librisque tam authenticis legeret, & quidem eo ipso tempore, quo maximè vigebant, descripta? Si tu in aliâ orbis gente, si inter Assyrios, aut Ægyptios, in Galliâ apud Druidas, si in Hispaniæ, aut Germaniæ antiquissimis monumentis hæc, aut his consimilia à Scriptoribus illorum temporum authenticis exarata invenisses, qualia de primis suis ætatibus habet China, quid obsecro, sentires? Quid diceres? quas ederes exclamationes ac plausus? quibus encomiis res omnes singulasque istius ævi non celebrares? quantam excitares majorum tuorum tam piè de Deo sentientium admirationem, & commendationem apud

cæteras orbis nationes, nec immeritò certè excitares? Quod igitur quisque in patriâ gente suâ tantis & tam meritis efferret laudibus, cur Sinarum genti, si fortè vetustiora rerum suarum præ omnibus gentibus monumenta posteritati reliquerit, invidebis, & non potius id gloriæ ipsorum vertes, & commendabis clementiam creatoris ergà Sinam adeò singularem atque propitiam?

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

ARGUMENTIS ALIIS ATQUE ALIIS confirmatur veri Dei apud Sinas notitiam extitisse.

QUONIAM verò, quemadmodum crebra & gravia scelera & morum dissolutio viam tandem sternunt ad omnium scelerum maximum, Atheismum; ita virtus omnis & rectè vivendi ratio, & pia populi administratio veræ Religionis sunt indicia non obscura; videamus quid Prisca Sinarum ætas, tum verbo, tum exemplo præstiterit solo duce naturæ lumine: quam utique naturam & ab origine sua bonam & rectam, & pietatis reliquarumque moralium virtutum præsidiis & adminiculis à cœlo instructam fuisse semper docuerunt, quam quidem veterum opinionem Philosophicè demonstrat alter à *Confucio* Philosophus *Mencius*. Quamvis autem insita sint eadem virtutum semina omnibus gentibus à naturæ authore Deo; ubi tamen vera deest Religio, ibi debilitari vehementer & opprimi ista semina & virtutem pœnè omnem jacere necesse est: quas quidem virtutes in aliis multis nationibus defuisse mirandum non est, quando apud illas ipsa jam vitia religiosa erant ac sacra, eaque non tam vitabantur, quam colebantur, uti ait Lactantius. Etenim quis locus pudicitiæ & honestati esse poterat, ubi connubia & adulteria Deorum, ubi nuda Venus, Cupidinesque, & Priapi celebrabantur? Quis pacis, amicitiæ, fideique locus, ubi Mars, Bellona, & Mercurius pro Numinibus colebantur? Quis obedientiæ, ubi Jupiter, qui pulso patre sibi Regnum usurpavit, velut supremus Divûm atque hominum Rex adorabatur? Quis prudentiæ, & naturali lumini & rationi locus, ubi rationis etiam expertia monstra, ut vituli, lupæ, crocodili, serpentes, & quæ in hortis nascuntur cœpæ & allia insano ritu celebrabantur?

Ubi obsecro, vel per umbram in totâ Sinarum antiquitate reperire est hujusmodi monstra, aut in terrâ ipsorum, aut etiam in cœlo globoque suo astrifero? Ubi sexuum inter spiritus (quos incorporeos censent) disparitatem, connubia Deorum Dearumque

Digitized by Google

& metamorphoſes ? Ubi ſimulachra, imagines aut ſtatuæ non dico animalium, ſed vel hominum, vel ſpirituum quos religioſo cultu China coluiſſet ? An poſt invectam ex Indiâ idololatriam, nullam tota poſteritas ex priſcis idolis adjunxiſſet ad nova, ſi quidem in priſcâ ætate extitiſſent ? An tot Interpretes annalium adeò gravibus verbis ac ſtylo aculeato inveherentur in Imperatorem *Mim ti* qui idololatriam primus induxit, ſi ante eum illa peſtis invaluiſſet in Imperio ? An eum ipſum ipſis quoque tyrannis *Kie* & *Cheu* execrabiliorem ex hoc unico capite fuiſſe ſcriberent, ſi idolorum monſtra jam anteà publicis honoribus fuiſſent ad adorandum expoſita ? Aut ignorare potuiſſent, aut reticere, ſi quid anteà extitiſſet ſimile, aut in priſcis & authenticis librorum ſuorum monumentis, aut in Provinciis Urbibuſque tanti Imperii ?

Cum igitur nulla ſciantur olim hîc fuiſſe portenta communia cum aliis gentibus, quibuſcum China commercium æternum per leges etiam interdixerat, non eſt cur hîc expectes, aut fuiſſe exiſtimes ſacrificia ſanguinolenta, aut turpia, qualia fuêre Priapeia, Floralia, Sathurnalia, quibus ſacer ille Senatus Populuſque Romanus, & omnium gentium Dominator, juventutem ſuam depravari patiebatur; non victimas infantium quas Sathurno ſuo Latini, & Diis quoque alienis Judæi immolabant, non victimas hominum, quas pius Æneas ille mortuorum manibus mittebat inferias, & hujus exemplo Romani deinde Imperatores ac Senatores, non ludi theatrorum in ſanguine humano, nec alia hujuſmodi, quæ Lactantius copioſè commemorat, & explodit; à quibus omnibus adeò fuit ſemper aliena gens Sinarum, ut vel referri ea ab Europæo, æquis auribus animiſque minime ſuſtineret.

Et de illis quidem aliarum gentium ſuperſtitionibus, deque ipſarum priſcâ religione conſtat ex primis litterarum cujuſque gentis monumentis ex Orpheo, inquam, & primis Poëtarum Heſiodo, Homero, &c. qui & ipſi (uti idem Lactantius ait) multò ante natum Philoſophiæ nomen fuêrunt, & habiti ſunt ſapientes, & tamen tam inepta de Deo Deorumque generationibus figmenta & fabulas protulerunt; de Sinarum verò Priſcâ Religione habemus qui ſcripſerunt bis mille & amplius ante Chriſtum annis, hoc eſt multò antequam Orpheus aliive Scriptores prodiiſſent in lucem ?

Quemadmodum igitur ſupremo cœli Imperatori & ſpiritibus priſca Sinarum ætas nihil indecorum, aut turpe, nihil quod cum terrena contagione aut corporeâ viſibilique ſubſtantiâ commune eſſet, tribuerunt, & è contrario quidquid eſſet cum rectâ ratione conjunctum, virtutem, inquam, providentiam, potentiam, ſcientiam, juſtitiam, clementiam tam fidenter attribuerunt; ita non aliis, quam ſupremâ majeſtate dignis honoribus & ſacrificiis, non alio magis

Digitized by Google

quam virtutum & recti animi cultu colendum tam verbis docuerunt, quàm factis & exemplis; ut nihil hîc dicam de externo quoque apparatu, gravitate, modeſtiâ, continentiâ, abſtinentiâ, decôre, & ornatu; ſic tamen ut negarent omnem hunc cultum exteriorem placere cœlo poſſe, quando cultu animi virtuteque internâ non eſſet imbutus.

Quid nunc dicam de obedientiâ Priſcorum, & pietatè ergà parentes ſuos ac majores, quam volebant pòſt ipſa quoque fata perpetuari ſuo modo atque exercitari? & ut hoc exemplo diſcerent filii quo ergà progenitores ſuperſtites ferri debeant ſtudio ac veneratione, Sic arbitrabantur ſerviendum ſibi eſſe vitâ jam functis, uti ſervierant quondam vivis atque ſuperſtitibus: Hinc illa funeris, exequiarum, ſarcophagi tumulique cura tam exquiſita ad conſervandas in perpetuum, ſi poſſent, auctorum vitæ ſuæ reliquias & memoriam? quid de luctu triennali patris & matris ſic etiam, ut qui præcipuis muneribus in Imperio fungerentur, illico ab officio ſuſcepto ad triennium ſeſe abdicarent? Quid multa? tanta fuit erga vitâ functos majores ſollicitudo, cura tanta, diligentiaque, ut merito ſuperſtitionis arguendi viderentur, ſi quidem non conſtaret ex libris eorumdem authenticis, haud alium ſibi ſcopum ac finem habuiſſe propoſitum, quàm meræ obſervantiæ filialis, gratæque pietatis ac reverentiæ adverſus majores ſuos, etiam poſt fata non interrumpendæ: tametſi fateamur ſucceſſu temporum, ſeu verius tot ſectarum & ſuperſtitionum idololatricarum in nonnullis vitiatam fuiſſe priſcorum primævam inſtitutionem.

Quid dicam de obſervantia ergà ſeniores & ætatè provectos, quos adeò ipſemet Imperator, dum luſtraret Imperium, non dedignabatur invisere & conquiri jubebat, & benè meritos titulis honorificis condecorabat, augebatque cenſu regio, ſi opus foret? Quid de clementia; & munifica illa commiſeratione erga pauperes, cœcos, viduas, pupillos, claudos, &c. quibus ſua olim erant attributa domicilia & cenſus? quin uſque in hodiernum diem in ſingulis urbibus & oppidis tanti Imperii ad certum numerum annonâ Regiâ ſuſtentantur, etiam Tartaro dominante, quem ſola pietatis hujus antiquitas deterruit ne, quod jam animo meditabatur pium hunc morem aboleret. Tametſi verò ergà criminum reos juſtitiæ rigor ſervaretur, erat tamen etiam hîc ſuus clementiæ locus, quatenus ſcilicet per tam vaſtum Imperium, ab nemine fas erat damnatum quempiam capitis, morti addici, niſi prius ab ipſomet Imperatore ſententia fuiſſet approbata, ut nihil jam dicam de publica ſubinde noxarum condonatione, & carcerum relaxatione.

Jam verò de feminarum honeſtate, verecundia, cultuque & habitu corporis tam modeſto quid dicam? Ad hæc enim uſque tempora quamvis

quamvis Priscis illis tam dissimilia, mos iste pervenit propè inviolatus legitimi quoque thori apud Priscos inviolabilitas, tametsi per abusum successu temporum vitiata. Præterea nunc connubia ab omni ferè sanguinis propinquitate remota, viduarum ad secundas nuptias mortuo marito transire nefas putantium, continentiam ac fidem: leges amicitiæ & hospitalitatis, aliorumque civilium officiorum ad mutuam concordiam conservandam, ubi solemne scilicet semper fuit illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Et quoniam regis ad exemplum orbis Sinicus, vel maximè componitur, expendantur ea solummodò, quæ de duobus Legislatoribus, & trium Principum familiarum conditoribus, infra referentur, ex Philosophorum Principibus *Confucio* & *Memcio*: tanta certè Regis *Yao* fuisse modestia & moderatio scribitur, ut cum ei essent opes amplissimæ & suprema dignitas, non tamen animo efferretur, aut insolesceret, domo, victu, curru simplici & paupere, & ab omni specie luxûs, aut fastûs abhorrente, necnon veste vulgari (nisi cum sacrificandum foret) contentus, cujus virtutis hæres fuit *Xun* uti & Imperii, ad quod evectus fuit ab ipso *Yao*, nullâ filiorum, cùm tamen novem numeraret, sed solius virtutis habitâ ratione; uti rursus & hujus imitator fuit & hæres delectus is qui primæ Familiæ Fundator fuit *Yu* dictus. Sed & secundæ Familiæ Fundator *Chim tam* cum post septennalem famem se victimam cœlo devoveret pro suis, & supplex exquireret ab ipso cœlo num fortè à se suisque magistratibus peccatum fuisset in administratione Reipublicæ, num ex munerum largitione corruptela quæpiam serpsisset, num detractiones & obmurmurationes audirentur, num in Palatiis & ædificiis, aut in ornatu habituque muliebri quidpiam esset immoderatum, aut indecorum, &c. nonne satis superque declaravit, quàm tunc fuerit cum omni honestate, virtute, moderatione, conjuncta administratio?

Quantâ vero innocentiâ, frugalitate, moderatione per annos mille ducentos & amplius gubernatum fuerit tantum Imperium testis erit sanè locuples *Ki çu* Princeps idemque patruus, ultimi è secundâ Familiâ, & decimi octavi Imperatoris *Cheu* dicti: Etenim cum videret is importari in Regiam res novas ac peregrinas non sine gemitu & vaticinantis instar: *Nunc primùm*, inquit, *paxilli producantur eburnei, cyathique è cornu Rhinocerotis, habitus vestium simplicior brevioraque commutantur in promissas & sericas superbas & auro: displicent jam habitata majoribus nostris tecta, amplaque extruuntur cum turribus, iisque è lapide pretioso; & ne sic quidem explebitur humana cupiditas, cerno jam animo lapides immensi pretii aliaque id genus remotis è terris huc importari & simul cerno ruinam Imperii.* Sic ille. Consulat annales qui voluerit, & libros quos explanamus. Profectò vix quidpiam offendet,

Digitized by Google

communi quidem usu vel authoritate publica stabilitum, quod à virtute, vel ratione alienum sit.

Quæ cum ita sint, quandoquidem ex solâ virtute rectam Reipublicæ administrationem petebat antiquitas Sinarum, quid mirabimur, si exemplo illo virtutis vicinos undique terris suis barbaros ita ad humanitatis leges suaviter induxerit, ut in eam ampliſſimi Imperii formam & magnitudinem à tot sæculis excreverit, vicinorumque etiam regnorum Principes ad clientelare, sæpè etiam stipendiarium obsequium adduxerit: olim certè circà annum ante Christum 1100. advenerunt legati è Cochinchinâ, solâ famâ adducti, quod China haberet heroës sanctos, qui nôssent deprecari & obtinere à cœlo fœcunditatem, quorum adeo patrocinium imploraturi, & remedium sterilitatis, quâ miserandum in modum Cochinchina tunc laborabat, petituri advenerant. Quid mirabimur etiam, si hoc Imperium priscis illis temporibus adeò fuerit fœlix & diuturnum, ut tres Familiæ Principes diutius illud possederint & conservaverint, quam novemdecim deinde consecutæ Familiæ Imperiales simul sumptæ, quæ, quamvis aliqua à Priscis accepta & à nobis suprà commemorata, conatæ sunt revocare, tamen tot bellis, hæresibus, sectis, parricidiis magis magisque lapsu temporum increbrescentibus, nunquam ad pristinam illam innocentiam integritatemque, nisi per lucida quædam intervalla, redivere.

Erit fortasse quispiam qui ex moribus sanè perditis ætatis hujus, in quâ præter innumera vitia regnat fraus & simulatio, & si qua virtus relucet, non tam virtus quàm virtutis fucata quædam species est, erit, inquam, fortasse qui ex præsenti ætate judicium ferat & sententiam de Priscâ, sic existimans artem simulandæ mentiendæque Religionis jam tum viguisse, eaque usos Principes ac Magistratus ad imperitam multitudinem fœliciùs in officio continendam; uti suprà de doctrinâ aliâ exteriori seu populari, interiori alia, seu politicorum propria insinuatum est, atque adeo quidquid in hoc genere dixerunt vel fecerunt, solo studio publicæ pacis & tranquillitatis conservandæ, id dixisse aut fecisse.

Verùm, præterquam quod duplicis hujus doctrinæ ne vestigium quidem quis inveniet in libris Priscorum authenticis, huic certè opinioni ne dicam temeritati sic judicantium oppono ipsam posteriorum ætatum & litteratorum sententiam, qui unanimi sermone scriptoque nihil æquè deprædicant & extollunt, atque Priscorum temporum candorem, simplicitatem, sinceritatem, quam suis in temporibus maximè desiderari non sine gemitu profitentur. Certè qui *Confucium* aliosque authenticos, & primæ authoritatis & vetustatis libros legerint, reperient nil frequentiùs inculcari, exaggerarique, quam ut exemplo Priscorum Regum omnia agantur cum veritate,

Digitized by Google

& dicta omnia factaque ex intimo cordis semper proficiscantur : hinc illæ à commentatoribus toties repetitæ voces *Chim xe*, *Vu vam* id est, *Verum solidumque absque fuco & falsitate.* In omnibus igitur actionibus suis, verbisque & officiis, quæ intercederent Regem inter & subditos, parentes ac filios, fratres inter amicosque & conjuges sinceritatem ac fidem, omni exclusâ fallaciæ umbrâ, integram illibatamque servari semper voluerint prisci, & in negotio Religionis gravissimo ficti fuerint subdolique politici ? Adeoque solam ipsam Religionem assumpserint veluti medium fallax ad continendos in officio populos ? Hoc certè nec atheopolitici novatores illi Familiæ *Sum* Interpretes unquam concedent, qui tametsi monstrum inane quodpiam divinitatis suæ politicæ confinxerint, tamen fundamentum omne suæ Philosophiæ, in veritate & soliditate (quam littera *Chim* exprimunt) constituere non dubitarunt ; & quemadmodum omnia in universo, & ea quoque quæ fortuito videntur, ex solida quapiam & prædominante virtute (qualiscumque demùm illa sit) regi conservarique contendunt, ita in administratione Reipublicæ, & in ipso homine actiones omnes ac motus ab animi integritate & sinceritate minimè fucatâ proficisci volunt. Et verò si quod objicis, Interpretes dicerent, quo tandem, obsecro, fundamento innixi dicerent ? quem tandem in priscis quinque doctrinarum Codicibus textum afferre possent ad id comprobandum ? Et licet forte asse aliquem afferrent quo dicerentur Priscos & sanctos Reges ac sapientes suos Religionis præsidiis, Imperii populos sibi subjectos habuisse, an continuò inferre liceret Religionem inventum fuisse ipsorum ad continendum in officio populum ? Ecquis nesciat veram Religionem inventum esse (si tamen ita loqui fas est) non humanum, sed divinum, quâ Respublicas & Imperia stabiliri oporteat, & conservari ; nam, ut ait Trismegistus, Religio propter se & quid bona est & verax, amanda est & sequenda, non autem ut medium fallax ad Reipublicæ conservationem ; adeoque non veram & sanctam & à majoribus ipso propè diluvii tempore acceptam, Reges Prisci Sinarum assumpserunt ad publicum bonum & subditorum suorum incolumitatem & felicitatem. Quid enim ? an primus Imperii conditor *Fo hi* abjectâ mox, quam à filiis seu nepotibus Noëmi acceperit, Religione, novam & fictitiam adinvenerit, quâ adhibito etiam fictitio nomine (quod victimam sonat) populum in officio & legibus contineret ? Tota itaque Sinarum Prisca institutio & norma politica figmentum quoque fuerit & mera fallacia : quippe tota fallaci & inani nixa fundamento. Fictitia semper fuerit fides & obedientia subditorum adversus Principes suos, filiorumque adversus parentes ac majores. Quid ita ? Nam cùm doceant ita à subditis serviendum Principi suo, quemadmodum Principes & po-

puli ſerviunt ſupremo cœlorum Imperatori, ita filios parentibus obedire oportere, uti obediendum eſt cælo; certè ſi Religionis cultus & obſervantia fictitia & ſubdola eſt, fides & obſervantia erga Reges & Principes, pietas erga parentes & majores fictitia quoque ſit neceſſe eſt, adeoque tota totius antiquitatis in adminiſtrando populo baſis & ratio concidit. Fruſtra etiam imò inſulsè & ineptè exprobrabant Imperii primates poſtremis duarum Principum familiarum tyrannis *Kie* & *Cheu* dum ſacrificia ſupremo Imperatori & ſpiritibus fieri ſolita jam negligerent, fruſtrà, inquam, clientes fideliſſimi totics, & cum certo fortunarum ſuarum, capitiſque diſcrimine, exprobrabant ipſis perfidiam erga Numen ſupremum, comminati exitium à cælo jam irato, & ſcelera mox vindicaturo imminere, niſi quamprimum reſipiſcerent. Fruſtra denique de piis Regibus trium Principum familiarum referretur, quod ne clam quidem, & privatim indecentiùs negligentiùſve ſe gerere auderent in obſequiis, quæ ſupremo Imperatori ritè deferebant.

Ecquis ergo jam credat, Priſcos illos ſapientes ac Reges tam improbâ impiaque ſimulatione ſubditis impoſuiſſe; tam infami & execrando Religionis ac ſanctitatis mendacio contaminare ſe voluiſſe? tantam denique extitiſſe tam nefariæ ſimulationis & impietatis concordiam, per tot ætates, & in tot hominibus ingenio, naturâ, conditione tam diſſimilibus, & in tantis tot locorum temporumque intervallis? Profectò tametſi planè conſtaret hujus ætatis hominibus, Majores ſuos ſic mentitos fuiſſe Religionem vitæque probitatem; celarent hoc tamen ſtudiosè, ac tegerent: quin etiam mentiri non dubitarent ipſimet, ne fortè majores ſuos & tantæ ſanctitatis (ut aiunt) Reges ac Philoſophos ſua ſynceri candoris ac fidei & veritatis laude privarent. Semper igitur conſtabit argumentis noſtris vis ſua, ſemper inevitabile telum iſtud torquere poterimus, quo vel cogentur, ſupremi Numinis providentiam & religioſum ejuſdem cultum cum Majoribus ſuis admittere, vel hos ab amentiæ ſuſpicione (quod nunquam perficere poterunt) liberare, vel denique fateri ſe à ſententiis & inſtitutis Majorum ſuorum degeneri turpique levitate & inconſtantiâ diſceſſiſſe.

PARAGR.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

QUO NOMINE PRISCI SINÆ nuncuparint verum Deum. Examinatur nominis Ethymon & proprietas.

VERUM alia nobis hîc ſupereſt quæſtio diſcutienda; de nomine illa quidem, haudquaquam tamen ſic, ut illæ, quæ vulgo dicuntur eſſe de nomine, contemnenda : Etenim ſi primis illis temporibus & diluvio proximis Sinæ verum Numen cognoverunt, cognitumque adoraverunt (quod omnes opinor, jam facilè mihi concedent) ecquo tandem nomine, quo vocabulo, quibus litteris Numen illud ſupremum Priſci adoratores expreſſerunt ? Certè ſi nulla unquam natio quantumvis barbara extitit, quæ non aliquo nomine appellarit Numen, quod coluit, ſeu verum ſeu falſum (quot enim, teſte Tullio, hominum linguæ, tot nomina Deorum) quo pacto tandem gens Sinica tam civilis, & culta, & accurata caruerit, quo Deum, quem colebat, nuncuparet ? Ea lingua, quæ in diviſione linguarum & gentium una fuit probabiliter ex illis ſeptuaginta, quas matrices vocant, habuerit nomina & vocabula & litteras, quibus res omnes creatas, & herbarum vocabula, & naturas explicaret, & tamen eadem caruerit ſcilicet, iſto nomine, quo creator univerſorum ac Dominus, quem natura tota proclamat exiſtere, rite nuncuparetur ? Nemo prudens, ut opinor, hoc ſuſpicabitur : At quæres ecquod tandem illud nomen fuerit, ſive poteſtatis cujuſdam ſupremæ aut perfectionis ſignificativum, ſive relationem denotans ad res creatas ? quamdiu enim viatores ſumus, nomen quod eſſentiam divinam & ineffabilem, ſicuti eſt, perfectè ſignificet, ſcimus ab homine ne concipi quidem poſſe, multò minùs ſigno quopiam exprimi.

Dico igirur apud Priſcos Sinas, nomen illud, quo verum Deum nuncuparunt; fuiſſe *Xam ti.* Cujus nominis antiquitas eadem eſt, quæ ipſarummet litterarum quarum rudimenta à *Fo hi* gentis Sinicæ conditore poſita, ſub tertio vero *Hoam ti* Imperatore opera *çam kie* magis expreſſa & digeſta in ordinem commemorantur : de quo Imperatore refertur etiam quod Palatium ſeu Templum conſtruxerit ipſi *Xam ti*, quod adeò factum fuerit annis circiter 600 ante natum Abrahamum, ſi modo annalibus & 70. Interpretum computo fidem habere placeat, multò ante ſcilicet, quam nomen Θεὸς ex quo *Dei* nomen Latini mutuarunt, ſcriptum à quopiam inveniretur. Quod

Digitized by Google

si malis vulgatum computum sequi, certè nominis illius *Xam ti* indubitata antiquitas ex Scriptore & Historiographo Regio petitur, qui circa tempora *Yu* (fuit hic conditor primæ *Hia* Familiæ) scripsit res gestas *Yao* & *Xun*, è quibus etsi multa perierunt (nam è 16. capitibus quibus constabant, desiderantur omninò undecim) constat tamen vel ex fragmentis ipsis, qua ratione *xun* Imperator (qui totus ad exemplum decessoris sui *Yao*, à quo fuerat electus, conformabat sese) sacrificaverit *xam ti* ac deìn alio ritu inferiore sex spiritibus Principibus, ac denique montium fluminum, necnon rerum reliquarum præsidibus; quod item sacrificaverit *xam ti* sacrificio holocaustico *Chai* dicto, quo victima & res pretiosissimæ cremabantur. Et hoc scriptum est à Regio illius temporis scriptore anno ante Christum circiter 2220. Quæres nunc, si placet, aliud in aliâ orbis gente monumentum vetustius aut magis authenticum: quære, inquam, & assigna mihi aliud nomen, si potes, in tota Sinarum antiquitate, quo verum Deum (quem fateri debes proximis diluvio temporibus ubique agnitum fuisse) nuncupaverit prisca Sinarum ætas.

Quod si veram hujus nominis *Xam ti* Ethymologiam quæris; littera & vocabulum *Ti* primariâ & ordinariâ, quin & unicâ & propriâ significatione suâ idem est, quod Imperator, Moderator & Dominus, estque ipsissima vox ac littera quâ Sinæ plerumque Imperatores suos ferè à principio in hodiernum usque diem compellant, tametsi inter 88. primos Imperii Principes tantum tredecim reperiantur qui hoc usi sunt nomine, cum cæteri usi sint nomine aut proprio quondam, aut *Vam* quod *Regem* sonat; donec deinde quarta ejus Familiæ Imperator *Xi hoam ti*, quod præsumeret se trium Imperii conditorum & Principum *Yao*, *Xun*; *Yu*, *Tam*, *Vu-vam*, merita & virtutem superasse, primus instituit, ut nomini *Ti* præponeretur *Hoam*, hoc est, *Magnus*, seu *Augustus Imperator*: quo titulo, omnes quotquot exinde secuti sunt Principes, appellati sunt. Altera porrò littera, quæ, dum Deum significant, *Ti* litteræ præponitur, est *xam*, quod *Supremum* significat, quo addito simpliciter ad nomen *Ti* nemo hactenus Imperatorum uti ausus est, quamvis alioquin inter eos, essent impiè superbi & longè insolentissimi. Hoc igitur nomine *Ti*, quod usurpabant terreni Principes, sicuti designabant dominium & potestatem suam super regna & populos sibi subjectos, ita per additum *Xam* supremam quamdam & rebus omnibus excelsiorem majestatem, potestatem, ac dominium in spiritus universos, in cœlum & terram, in Imperia & Regna, Reges ac populos significaverunt, adeoque sicuti China in terris Monarchicum Regimen sub uno capite semper, & summâ quidem contentione sectata est; ita & in cœlis Monarcham quemdam invisibilem dari credidit, peti-

Digitized by Google

tâ interim administrationis suæ normâ ex cælorum terræque, necnon temporum elementorumque æquabili ordine, quo unus item & supremus in terris suis visibilis Monarcha majestatem suam (quam velo etiam quodam subditorum oculis subducit) ad imitationem Numinis supremi & invisibilis Imperium suum moderaretur.

Sed, inquies, nonne etiam in textibus vetustissimis & maximè authenticis frequenter utuntur nomine *Tien*, hoc est, *cæli* eique attribuunt eadem, quæ *Xam ti Supremo Imperatori*, ex. gr. intelligentiam, voluntatem, providentiam, jus & Imperium, justitiam, pietatem, &c. planè sic est; nec inficior antiquissimum quoque esse & fortè coætaneum (ut sic loquar) vocibus *Xam ti*, nomen & vocabulum *Tien*, sive *cæli*: Sed si mihi concedis proximis diluvio temporibus Sinas extitisse, adeoque & veri Numinis notitiam, & consequenter nomen, quo verum Numen exprimerent, habere debuisse: Certè sive hoc nomen fuerit *Xam ti* sive etiam *Tien*, semper tamen concludetur, non alium, quam verum Deum sub his nominibus cognovisse & significare voluisse: & reverà cum nihil ipsi in rerum naturâ vel pulchrius, vel augustius cælo conspicerent, ad hæc cum in periculis præsertim, omnium ad se mortalium oculos & corda cælum provocet, an quisquam mirabitur, eos cæli Domino, cæli nomen tribuisse? Quanto magis si noveris usitatissimum ab omni ævo præ aliis nationibus loquendi Sinarum modum, qui assidue Palatium pro Rege, urbem pro urbis Præfecto, Curiam pro Magistratu & pro patre familias domum ipsam nominare consueverunt: Quod quidem in aliis quoque narionibus locum habet & in sacris litteris & ab ipso Christo servatore nostro usurpatum est: quod ut clarius tibi constet, consule obsecro libros veteres & classicos *Li Ki*, *Xu kim*, *Ye kim* alioque: neque enim fieri poterit, ut ex illis non convincaris, quod spiritus montium ac fluminum urbiumque præsides agnoverit colueritque ætas prisca: & tamen hi ipsi spiritus in aliis quidem textibus diserte nominantur *spiritus montium fluminumque*, in aliis verò *flumina montesque*, spiritus verò tutelares urbium *Chim hoam*, id est, *muri* & *fossæ* simpliciter nominantur: Si ergo rerum inferiorum præsides spiritus subinde significant per ea loca, quibus præsident, cur, cum cœli nomine utuntur, non concludes à fortiori cæli Dominum ac moderatorem intellexisse? his accedit non spernendum testimonium utriusque lexici majoris *çu guei*, & *Chim çu* tum vulgo dicti: ubi cum vocis *Tien* (sive *cæli*) multiplex usus & acceptiones afferantur, tum & hoc præter alia discertè docetur, litteram *Tien*, cum cæli Dominum, & Gubernatorem indicare voluerit, aliâ item voce *Ti* scilicet (id est) *supremi Imperatoris* designari.

Enimverò si diceremus, Europæum hominem, cum is fortè

Digitized by Google

agit de Romana Urbe, eamque vocat Apoſtolicam, Sanctam, Orbis Chriſtiani dominam; ab ea item manare doctrinam orthodoxam, conferri Eccleſiaſticas dignitates; aliaque hujuſcemodi: Si (inquam) diceremus, non aliâ de Urbe loqui quàm eâ, quæ oculis mulorum æquè ut hominum conſpicua eſt; nonne profectò diceremus aliena loqui, & mente captum eſſe? vel certè nos ipſi, ſi fortè negaremus, aliena loqui, ac de ſtatu mentis diſceſſiſſe videremur? Atqui non modo *Confucius*, ſed Sinæ paſſim omnes, neque olim tantum, ſed etiam hac ætate noſtrâ, *intelligens*, *pium*, *propitium* vocant cælum; *Parentis*, *Dominique* nomen ei tribuunt. Ad hæc, lumen rectæ rationis ab illo mortalibus infundi dicunt; ab illo deſcendere proborum præmia, pœnaſque improborum; ab illo deſcendere & legari Sapientes & Regnorum Magiſtros; coronas denique & imperia ab illo Principibus conferri & auferri transferrique. Quid? quod ſermonem quoque & ſenſus eidem metaphoricè adſcribant. Itaque non deſunt, qui, ſi iniquiùs ſecum agi putent, impiè indignabundi conquerantur, ergone cœlum oculos non habet? Quibus nimirum videat à quo & quàm injuſtè lædantur, ut debitas injuſtè lædenti pœnas infligat? Ad extremum eidem attribuunt cor, iram, commiſerationem, lætitiam, amorem. Nunc igitur ſi non adſcenderent ipſi multò altiùs, quàm quò corporeis oculis poſſunt pertingere, nonne meritò viderentur aliena loqui, dum mortuæ iſti machinæ vitam, cæcæ mutæque videndi & loquendi facultatem, quin & in Reges ipſos ac Regna jus atque Imperium merè gratis ridiculeque tribuerent?

Sinenſes verò ubi de incorporeo cælo, corporeoque ſermo eſt, verbis utuntur ac ſententiis adeo diverſis, ut hæc ipſa diſcrimen ingens utriuſque cæli non minus declarent, quàm cum Imperatoris ſui aulam ab aulâ diſtinguunt, quoties modò à ſtructurâ, elegantiâ, firmitate, modò à potentia & æquitate commendant. Sic ubi Philoſophus in libro *Chum yum* de perpetua & æquabili ſucceſſione quatuor tempeſtatum anni; de Solis ac Lunæ acceſſu receſſuque & curſu tam imperturbato; de magnitudine cœli tegentis omnia, omniaque complexu ſuo foventis; de concurſu hujus cum ipſâ terrâ ad rerum productionem & conſervationem; aliaque hujuſcemodi: utique nulli dubium eſſe poteſt, quin de corporeo conſpicuoque cælo agat. At verò ubi de illo agitur cælo, à quo mens omnis & ratio profluxit; ubi ſermo eſt de mandato illo nutuque cæli & providentia, ex qua nos nullo non tempore pendere totos oporteat; ubi dicit hanc nobis pro regulâ noſtrarum actionum eſſe oportere: hanc eludi fallive nequaquam poſſe: ab hac divitias & honores diſpenſari: ab hac unà cum ipſa natura rationali, conferri dona divitiis potiora, prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, pietatem: ab hac, quiſquis opibus

Digitized by Google

bus cumulandis vacet impensiùs, infeliciter aberrare: ejusdem beneficio Magistratus & Imperia obvenire, atque hæc ab unâ eademque Familiâ per multas ætates conservari; tunc profecto de invisibili illa & arcana majestate, quæ cælis præsidet, omnino agere existimandum est.

Maneat itaque sua duabus illis vocibus *Xam ti* authoritas, & propria significatio sive brevitatis gratiâ & more loquendi hîc usitato per acceptionem tropicam eum sub nomine *cœli* compellet, sive propriis suis utatur vocibus *Xam ti* supremi, inquam, cœlorum Imperatoris.

Et hoc quidem primum est & antiquissimum Sinarum nomen, quo audito gens hæc concipit id, quo nihil majus & excellentius novit, estque in usu apud eam sectam, quæ præ reliquis omnibus censetur melior, & conformior est cum naturali lege, & eatenùs etiam cum Christianâ veritate, adeoque faciliorem hîc de vero Deo conceptum gignit. Quemadmodum verò est antiquissimum, ita & multis sæculis solum est ac supremum nomen Dei, cui solus Imperator tanquam filius adoptivus & vicarius in terris sacra faciebat, ut ostenderet id se sentire de *Xam ti*, quod de se sui subditi sentiunt; scilicet supremum se & unicum esse Imperii sui Sinensis à Deo electum, uti Deus cœlorum & terræ supremus & unus est à se Imperator: & hinc etiam fiebat ut sacrificaturus solemni ritu expedito ad omnes Imperii sui ditiones diplomate denuntiari juberet subditis diem tantæ solemnitatis. Cæteris verò spiritibus sacra faciebant pro suo quisque gradu Principes & Magistratus, ut ostenderent spiritus illos comparatos cum *Xam ti* supremo Imperatore id esse, quod sunt Principes & Magistratus in terris suo cum Rege comparati: *Sic enim* (ut verbis utar Lactantii) *mundum regi à Deo dicimus* (& semper censuerunt Sinæ) *ut à rectore Provinciam, cujus apparitores nemo socios esse in regendâ Provinciâ dixerit, quamvis illorum ministerio res agatur*

Quandoquidem, igitur nomen illud *Xam ti* sit primum & non personale, uti *Sathurnus*, &c. sed appellativum uti *Numen*, aut *Deus*: adhæc cum ex ethymologiâ suâ nullam denotet imperfectionem, sed è contrario potestatem ac majestatem; & quidem supremam; possit autem ex sententia D. Thomæ & omnium Theologorum verus Deus iis nominibus appellari, quæ aliquam perfectionem denotant absque imperfectione; fidenter ac jure meritò affirmamus Priscos Sinas ipso illo nomine unicum & verum Numen cognovisse, significasse, coluisse, uti satis liquet ex tot sæculorum authoritate, tot etiam tamque authenticis librorum monumentis ac testimoniis, in quibus nihil prorsùs (quod mirêre) reperias, quod illo nomine & supremâ majestate indignum sit, vel indecorum, aut à ratione alie-

num in iis, quæ referuntur, ejusdem attributis & proprietatibus; quamvis etiam ea non immerito desiderabis, quæ tot in Europâ & Asiâ spiritu sanctiore afflati doctores, & lumine fidei Christianæ collustrati, tam sublimiter Theologiceque scripserunt, & ad posteros transmiserunt.

PARAGRAPHUS NONUS.

QUOD PRIMÆVAM NOMINIS XAM TI *significationem abolere nequeat adultera Novatorum interpretatio.*

NEQUE verò tam antiquæ, tamque perspicuæ significationi, & ethymologiæ nominis hujus tot illustrati attributis ac proprietatibus, quæ uni & soli Deo competunt, derogare potest opinio perversa & interpretatio Novatorum post tot tandem sæcula turpiter hallucinantium, sive isti jam fuerint de secta *Tao*, à quâ primum fuit vitiata nonnihil significatio, introductis variis ejusdem nominis in cœlo Numinibus, quorum singulis in singula elementa independentem quamdam potestatem tribuere visi sunt; sive etiam fuerint duo tresve Imperatores uti *Tven çum* è Familia *Tam* decimâ tertiâ, & è *Sum* Familiâ decimâ nonâ *Hoei çum*, qui nomen & titulum *xam ti*, seu supremæ potestatis & excellentiæ duobus hominibus attribuerunt *Lao kiun*, & *Cham y*, quorum prior coætaneus fuit *Confucio*, posterior sub quinta Familia *Han* floruit, uti suprà fusius retulimus: Non magis igitur abusus impius derogare potuit usui legitimo, vimque tollere significativam Priscæ vocis Sinicæ, quàm tollere potuit vocabulo Θεὸς sive *Deus* vim propriam significandi, facta à dæmonibus aut hominibus ejusdem usurpatio; quemadmodum legitimi *Regis* nomen ac vim non tollit rebellis quispiam, qui vi & armis sibi eundem titulum ac nomen per nefas usurpaverit.

Multò certè minus (quidquid contendant hujus ætatis atheopolitici) tollere aut immutare potest propriam ac vetustissimam nominis *xam ti* vim & significationem, adeò spuria, atheopoliticorum quorumdam interpretatio post 40. tandem sæcula in lucem protracta, quâ supremum cœli Numen, ejusque attributa conantur eludere, omnia scilicet ad mutam & inanimem quamdam virtutem & naturalem rerum efficacitatem revocantes, & ita totius retro antiquitatis monumenta & sensum in suam ipsorum detorquentes sententiam.

Digitized by Google

Liceat hic ergò pauca de multis afferre, quæ Novatores illi suis in commentationibus & in opere illo suo de natura operosius explicant. Ecquid enim obsecro fingi potest ineptius, quam dicere idcirco Imperatorem Sinarum solum sacrificare supremo Imperatori, quia cùm sit ipse *Tien çu*, id est, cœli filius (adoptivus scilicet, eò quod omnis potestas juxta illos à cœlo sit) magis utique participat de puriori illa & defœcata virtute cæli & efficacitate; quare, dum cælo sacrificat, id agit scilicet, ut suus aër ille seu influxus purior per sympathiam quamdam connaturalem uniatur cum cœlo, conservetur, & augeatur: & hinc etiam præmittuntur jejunia, & abstinentiâ, ut aërem curis fortè illecebrisque vitiosis, ceu nebulis quibusdam, obscuratum & inquinatum purificet, & ita revocato intrà se regio illo & à cælis infuso rectè dispositus ad sacrificandum accedat: & hanc etiam dicunt esse causam, quod primis illis sæculis fuerint Reges sancti, quod sæcula aurea & tam opulenta sub duabus Principibus Familiis, quia illis temporibus sicuti aër, aërisque vigor ac virtus erat recentior, ita vividum erat, magisque vegetum, & abundans id omne, quod cum Priscis Regibus cœlitus communicabatur; secùs ac usuvênit posterioribus sæculis, paulatim scilicet macrescente, & sterilescente dictâ cœlorum virtute, vique efficiendi; uti, inquiunt, aqua in fonte suo pura est, at quò longiùs prolabitur, eò ex locis sordidis & limosis magis inficitur ipsa quoque, sordesque contrahit.

Alibi etiam dum explicant quo pacto cœlum procreare dicatur Reges & Magistros, & Sanctos, affirmant id fieri per influxum cæli fortuitum, qui in hunc vel illum incidit. Quando vero in textibus refertur, quod cælum seu supremus cœli imperator annuat precibus & votis piorum Principum, id volunt ex eo fieri, quòd cùm animus Pius ac Religiosus hujusmodi Principum sit omninò unitus cum cælo ejusque influxu, ille ipse cælestis influxus, utique sympathicus, sponte suâ protinùs insinuat sese tam piis votis & desideriis, ex quo sperati deinde successus consequantur. Pari modò Interpres *Hu u fum* dum conatur explicare favorem illum singularem, quo supremus cæli Imperator impertitus est imperatricem *Kiam yven*, quando post preces & sacrificium unà cum marito oblatum ipsi *Xam ti*, concepit filium, sic: inquam, 3400. post annis, quàm res illa contigisse scribitur *dum*, inquit, Kiam yven *toto mentis affectu sacrificabat supremo Imperatori; quo tota mentis intentio & affectio ferebatur, eò mox etiam influxus quidam cælestis ferebatur: Quo verò hic ferebatur eò ipso virtus generativa quædam confluxit, & sic acceptatum fuit ejus votum & sacrificium: Quod igitur filiam conceperit & enixa sit, non adeò mirandum est.*

Quàm absurdè verò philosophantur, seu veriùs nugantur de pro-

Digitized by Google

videntia Numinis, & æquâ vel meritorum, aut criminum retributione, quando ſcilicet proſperos ſucceſſus rerum humanarum ſic docent à cælo exiſtere, ut totos adſcribant aëri ſeu influxui cuipiam benigniori & fœcundiori, qui in gratiam benemerentium explicet ſeſe, dilatet atque diffundat; adverſos autem eidem rurſus aëri, ſed jam reſtringenti ſeſe, uſibuſque hominum tam malè promeritorum quodammodo ſubtrahenti. Juvat audire quid de Imperatore *Vu ye* qui è ſecunda *xam* Familia fuit ordine 25. & impiè procax & blaſphemus in cœlum in venatione fulmine percuſſus interiit anno ante Chriſtum 1195. Imperii ſui anno quarto. Quid, inquam, dicant Familiæ *Sum* Interpretes, quos explodit *Tim nan hu* & ipſe Interpres. *Fulmen*, inquiunt, *eſt cœli quidam ſpiritus & exhalatio exardeſcens & violenta; quod igitur hominis auræ & ſpiritui violento & impio ſic occurrerit, ut extinxerit impium* Vu ye, *utique res fuit conſentanea rationi.* Rurſus, ipſas hominis cogitationes pravas aut bonas, quo pacto explicant? Cum quis, inquiunt, ſuſcipit bonam, piamve cogitationem, hoc ipſum dumtaxat eſt, quod libro odarum dicitur *Xam ti lin ju, Supremus Imperator appropinquat tibi & deſcendit ad te*, cùm pravam quis ſuſcipit: Hoc eſt ipſum, *Ti chin nu Supremus Imperator graviter iraſcitur*, & nihil amplius. Atque ita ſuis illis commentis adulteris contendunt cæli Numen non aliud eſſe, quàm ipſum hominis animum. Hunc eſſe *xam ti*, hunc *cælum* eſſe, intrepide affirmantes. Ubi verò de animâ hominis agitur, quandocumque in textu dicitur, in morte corpus in terram redire, ſpiritum verò ſurſum aſcendere, aut etiam, ubi piorum Regum animæ memorantur *aſſiſtere Supremo cæli Imperatori*, ea utique de aërio illo intelligenda, qui mixtus cœlo, fortuito impulſu huc illuc feratur, ac modo deſcendens, modo etiam aſcendens, nuſpiam ſtabilis perſeveret.

Et hæc pauca (quæ de multis modo retulimus) quis ſanæ mentis non explodat, & jure merito etiam non ſuccenſeat, quod homines alioquin docti, de virtutibus vitiiſque, necnon adminiſtrandâ fœliciter Republicâ, tam præclarè quandoque diſſerentes, neſcio quâ correpti dementiâ, totius antiquitatis tot tamque illuſtria circa ſupremum Numen, & Religionem relicta poſteris monumenta, tam fœdè & putidè corrumpant, & quidem non ſine plauſu, faſtuque, quaſi verò ſubtilitate ingenii ſui invenerint modum explicandi omnia per illas ſuas aërias & inanimes cælorum efficacitates & nova chimæricæ Philoſophiæ dogmata, 40. fermè ante ſæculis incognita & ignorata, aut (ut ipſi quidem cenſent) oblivionis tenebris, ex diuturnitate temporum enatis, quaſi conſepulta. Eo prorſus modo, quo heterodoxi nova ſua & peſtifera dogmata authoritate ſacrarum litterarum & Eccleſiæ Doctorum confirmare, & ad ſuum ſenſum arbitriumque depravatum, velut totius antiquitatis reformatores pertrahere non erubeſcunt.

Et erit

Et erit quispiam Europæorum præconum qui adulteris & impiè politicis interpretationibus malit mordicùs adhærere, & in atheopoliticorum recentiorum tam pravè & putide de antiquitate totâ definientium ire sententiam, quàm paucis hisce relictis & proculcatis, sequi saniorem mentem Interpretum & suscitare denuò aureæ Sinensium ætatis pulcherrima ab authore naturæ indita lumina, & revocare quadamtenus Priscorum minimè fucatam innocentiam, pietatem, ac Religionem? Præsertim cum apud hanc gentem (Si modo quis afferat animum minimè præoccupatum, inventurus sit, tot tamque appositа adjumenta è priscis petita monumentis, quæ viam pandant & quadamtenùs etiam complanent ad faciliorem cursum Evangelicæ prædicationis?

PARAGRAPHUS DECIMUS.

EXEMPLO APOSTOLI GENTIUM & Patrum primitivæ Ecclesiæ, aliisque rationibus concluditur eodem, quo Prisci Sinenses, nomine verum Numen compellari posse.

PORRO quæcumque hactenus retulimus, ea potissimum fuêre quæ permovere possunt primos Sinicæ Missionis Fundatores, ut abjectis adulteris interpretum hujusmodi commentariis, nudæ vestigiis antiquitatis insistant, & ad significandum Deum, quem annuntiaturi veniunt, nomine illo appellativo & antiquissimi idiomatis vocabulo *Xam ti* tot olim sæculis usitato & incorrupto tam in sermonibus suis, quàm scriptis libris utantur; quod ut fidenter & haudquaquam dubitanter fiat, præterquàm, quod multorum annorum labor improbus ac studium in volvendis ac revolvendis veterum monumentis ac libris viam aperiat, præterquam etiam quod gravissimorum virorum, & tantâ de re toties consultorum judicia & plurimorum rectè sentientium vota suffragiaque, imò etiam cohortationes atque impulsus minimè deerunt, tamen motivum longè efficacissimum fuerit imitari in re tanti ponderis & momenti Apostolum gentium, & imitatores Apostoli sanctos Patres atque Doctores; Conciliorum item, & Ecclesiæ universalis praxim & methodum in annuntiando verò Numine apud omnes gentes: quippe eo ferè, & non alio ubique terrarum usi sunt nomine, quàm eo, quod apud singulas gentes invenêre, tametsi jam illud invenissent variæ gentilitatis somniis, & figmentis innumeris per multa sæcula corruptissimum, & quasi penitus obliteratum: Sic enim Ecclesia, & Apostoli, & Præcones Evangelici judicarunt (nec in ullo Concilio ea de re

Digitized by Google

fuit controversia) cæteris scilicet præferendum Θεὸς vel *Dei* nomen apud Græcos scilicet & Latinos, quia hoc audito gentiles illi, quos instituebant, in alicujus Numinis notitiam veniebant, quamvis iidem sub eo nomine aut cælum materiale, aut terram, aut elementa, aut planetas, aut homines sceleratissimos, cum intelligerent, adeoque gravius ac turpius ersarent, quam Sinæ, qui nihil turpe aut indecorum affinxerunt isti nomini, nisi quando ad duos homines illud transtulerunt.

Quæramus igitur ab iis, quos fortè metus & scrupuli sollicitant, qua tandem voce usus olim fuerit Augustinus aliique Patres orthodoxi, quando cum Manichæis de Deo disputabant; an fortasse voce illâ, *Deus*, abstinebant Religiosi timidique, propterea quod scirent eis quibuscum disputabatur, corporeum quid, pro hæretico vocis usu ac depravatione, jam significare? Et ipsosmet Ecclesiæ Principes atque Apostolos, quando olim Romanis & Græcis Deum annuntiaverunt, qua tandem voce censent fuisse usos? Illâ ipsâ voce *Deus*, inquient: At enim quid aliud vox illa significare poterat Ethnicis istius temporis, quam Numen aliquod Saturno, Jovi, Mercuriove simile? Quandoquidem de alio quopiam Numine plerique illorum, ne dicam omnes, nihil unquam ne famâ quidem perceperant. Obnoxius ergo gignendis erroribus vocis istius erat usus? Minimè, inquies, sic namque voce illâ Sancti utebantur, ut partim affirmando quæ naturæ divinæ competebant, partim etiam negando quæ non competebant, quamvis imperitos ac rudes docerent, Deum quem annuntiabant, alium prorsus esse, & infinitis intervallis distantem ab iis, quos cæca gentilitas adorabat. Benè habet. At quid aliud in hâc Chinâ Primi præcones verbo scriptoque efficient? quando *Xam ti* binas voces pronuntiabunt, simul etiam & incorporeum esse, & æternum, immensum, infinitum, perfectissimum, cæli terræque Procreatorem ac Dominum disertissimè docebunt. An fortasse Θεὸς sive *Deus* Athænis & Romæ tutò pronuntiari à Paulo potuit, *Xam ti* verò in Chinâ sine periculo pronuntiari non poterit? Cum tamen nomen hoc & ad litteram, & ex prima institutione sua hîc *Supremum Imperatorem*, & juxta Interpretes ethnicos *Tien chi chu çai*; id est, *cæli Dominum ac Gubernatorem* significet?

Quæro ulterius, si ab gravissimis Sinarum Doctoribus juridicè interrogatus Doctor Europæus, quo tandem nomine usi olim fuerint in Europa Ethnica primi Præcones Evangelici, & an *Dei* nomen intactum incorruptumque semper perstiterit, nec applicatum fuerit aliquando mortalibus aut rei materiali, quid oportuit virum prudentem ad hæc respondisse? An nomen *Dei* in Europa semper integrum inviolatumque perstitisse? Ecquis id audeat affirmare, & tamen hoc ipso semper usi primi in Europa Evangelii Præcones?

Digitized by Google

Quæsiverit igitur deinde Sina rationem, quare in suo Imperio dubitet Europæus uti nomine *Xam ti*, tametsi corruptum hoc invenerit, tum à sectariis *Lao kiun*, tum à spuriis Interpretibus, qui mutæ cuidam cœlorum virtuti aërioque influxui illud nomen attribuerunt? Quam obsecro rationem afferre debet, aut potest Europæus contra usum nominis *Xam ti*, quæ ipsa ratio non militaverit similiter, & multò magis in Europâ contra nomen *Dei* multò crebriùs & diutiùs & turpiùs ibidem vitiati & corrupti, quàm fuerit hîc nomen *Xam ti*.

At, inquies, cura saltem ista & metus deterrere deberet præconem Europæum ab usu nominis *Xam ti*, quòd hoc pacto cum litteratorum sectâ convenire in multis videatur lex Christiana, & ita ipsorum ad fidem conversio retardanda sit: At si hoc argumentum urget, militat idem etiam pro modò dictis, nec debebant Apostoli aliique Præcones olim Θεὸς & *Dei* nomine uti ob eamdem rationem præcipuè cum alia supperterent nomina ab ipso Deo instituta ut *Eloe*, *Adonai*, *Jehova*, nec Christianis qui inter Mahometanos versantur cum Persicè aut Turcicè loquuntur, licitum foret nominare *Halla*, nec cum Hebraïcè loquuntur Hebraïcis uti nominibus, ne cum Mahometanis, aut Judæis convenire censeantur. Non igitur, ut una secta ab alia differat, singula utriusque, vel dogmata, vel nomina differre necesse est; quædam sunt legi Christianæ cum Judaïca & Mahometana, & cum litteratorum secta communia, uti hoc; esse supremam aliquam mentem omnia gubernantem, parentes honorandos & illud, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &c. Imò vero quo plura nobis erunt cum litteratis communia, eo facilior eisdem erit ad optatam conversionem via. Ecquis obsecro Hieronymum carpat quod scripserit Christianam Religionem esse Stoïcæ disciplinæ quàm simillimam (ex quâ adeo disciplinâ non pauci ad Christianam transierunt, eamque deinde scriptis suis & sanguine defenderunt) quis arguat Augustinum dum scribit se initium Evangelii D. Joannis, *In principio erat Verbum*, apud Philosophos Platonicos inveniisse? Quis Lactantium damnet, qui toto opere suo contra gentes Ethnicorum authoritatibus utitur, & postquam recensuit, quæ dogmata Religionis nostræ à variis quoque Philosophis tradita fuerint, tandem concludit: *Totam igitur veritatem & omne divinæ Religionis arcanum Philosophi attigêre.*

Quod si lex gratiæ naturæ legem adeò non tollit, ut etiam perficiat, cur pulcherrima naturæ lumina, quæ in Priscorum monumentis reperire est, non licebit afferre, quando etiam sacri Scriptores & Patres illa ipsa, quæ Deo revelante cognovimus, quæque remotissima sunt ab humano intellectu, tamen conati sunt testimoniis, & authoritatibus Ethnicorum magis ac magis confirmare ex. gr. Sybil-

Digitized by Google

larum vaticiniis, effato Trismegisti *Monas genuit monadem*, Serapidis simulachro, quo adumbratam fuisse docent SS. Trinitatem? Non est igitur quod scandalum passivum, aut parvulorum, aut error aliorum pravè interpretantium, aut abusus lapsu temporum invecti deterrerent fidei Præconem ab usu nominis antiquissimi *Xam ti.*

PARAGRAPHUS UNDECIMUS.

OSTENDITUR NON USQUEQUAQUE Standum authoritati Interpretum Neotericorum, sed nudo textui, quoad fieri potest insistendum.

SED inquies, numquid Europæum Præconem deterrere non debeat authoritas tot Interpretum, qui authenticos Sinarum veterum libros interpretati sunt, & novum Philosophiæ genus cuderunt, authoritate Imperatorum confirmatum & omnium encomiis hodieque celebratum? At certè omnes isti Interpretes, licet alii quingentis, alii verò trecentis circiter abhinc annis prodierunt quoniam tamen à conditâ Monarchiâ quater mille anni & post ipsum Imperii communem Magistrum *Confucium* 1700. circiter anni interceserunt, Neoterici merito censendi sunt, & post tot monstra sectarum idololatricarum, tot bella, rebelliones, parricidia & Imperii vicissitudines, quæ (ipsismet fatentibus) cursum & splendorem litterarum, & doctrinæ veterum per decem & amplius sæcula interruperunt, tandem ipsi prodierunt scilicet cum novis suis & chymericis commentis, adeoque ab Europæo præcone merito suspecti censendi sunt. At numquid etiam defuturos existimamus ex Sinicæ gentis litteratis, qui nos temeritatis ac superbiæ insimulent qui, exteri homines cùm simus, neglectis suorum lucubrationibus & commentis, per nos ipsi reconditos Priscorum sensus, & arcana quæque velimus assequi: jamque adeò eos, à quibus discere nos oportebat, erroris arguere quodammodo & docere? At enim si Latinis Græcisve litteris dare operam vellent ipsi, Magistros eorum nos agere vel in China posse; Sinicas vero litteras à Sinis utique tradi oportere, & quidquid in hisce dubii latet obscurive, à Sinis explanari. Cur ergò nos uti falsas & adulteras repudiemus interpretationes eas, quibus Patrum suorum monumenta legitimi filii conati sint illustrare? Ea verò quæ nos ipsi excogitavimus homines alieni ignotique, & Oceanum litterarum Sinicarum tam serò ingressi, doctrinæ ipsorum tanto jam tempore totoque Imperio tam acceptæ, non minus temerè, quam arroganter anteponamus? At certè si in Europam

Europam fortè migrarent ipſi ſacrorum voluminum perdiſcendorum causâ nequaquam ſic eſſe acturos : certum quippe ſibi eſſe, noſtrâ Europæorum hominum expoſitione, maximè quidem eorum, qui ſanctitate doctrinâque floruiſſent, ſtare & acquieſcere; memores in Europam ſe veniſſe diſcendi gratiâ, non autem docendi.

Quam ſpecioſa oratio! Et ſi primam ejus frontem contemplemur, quàm conſentanea rationi, Quàmque plena æquitatis! Quo etiam minus mirandum, ſi ex Europæis hominibus extiterint nonnulli, quibus illâ perſuaſum fuerit. Hoc ergo controverſiæ totius fundamentum eſt: Hinc ſcrupuli curæque omnes, quibus angi ſe fatentur: Quos ego ſcrupulos priuſquam ex animis eorum coner evellere, percontari ab eis id velim: Putent ne probè ſe noſſe Sapientes illos & eruditos Viros, quorum ſententiis & interpretationi ſtare nos oporteat? Profligatæ perditæque vitæ ſunt homines, qui fucatâ quadam ſpecie fidei, integritatis, & æquitatis contenti, & mendacio virtutis potius quàm ipſâ virtute, avaritiâ interim & ambitione, dolis ac rapinis, aliiſque ſexcentis vitiis cumulatum cor habent: homines ſunt Deus quorum venter eſt, qui cæno vitiorum ſuorum, turpiſſimæque libidinis immerſi, nullas non impuritates ſuſcipiunt; & quamvis infra quadrupedes abjecti jaceant, ſuperbiâ tamen inſolentiâque ſuper aſtra ſe tollunt, Magiſtros Orbis, & hominum ſapientiſſimos ſe eſſe rati: Cumque lucem illam Priſcæ veritatis oculis vitiatæ mentis ſuæ intueri non poſſint, & ut poſſint, tamen nolint, tenebris ſuis ſcilicet & erroribus obnubilant involvuntque omnia; adeoque & ſecum ipſi, & multò magis inter ſe mutuò diſſentiunt ac pugnant. Atque ita, quæ docta & religioſa antiquitas ſupremo cuidam Spiritui Cælorum Domino & Moderatori piè ſapienterque tribuebat; ipſi non minùs impiè quàm ſtolidè tribui volunt ſuo neſcio cui *Tai kie, li*, & *Ki, Yn, & Yam* fortuitis ſcilicet influxibus, aliiſque non tam rerum quàm litterarum vocumque monſtris, quarum ſignificata confinxerunt ipſi, erroribus quidem ſuis, & atheiſmo accommodata; ſed profecto ab omni ſpecie veri, necnon à mente Majorum ſuorum tam aliena, ut exiſtimem, Priſcis illis Sapientibus nec per ſomnium quidem tam ridicula depravatæ poſteritatis ſuæ figmenta & ſomnia in mentem aliquando venire potuiſſe.

Et quiſpiam erit, qui hominibus hujuſcemodi tribuendum aliquid eſſe putet? qui, fidem dari oportere, qui ſtare nos velit eorum ſententiis & interpretatione? At, inquient, ſi eos in Europa noſtrâ verſari contingeret, & de Germano ſenſu Bibliorum dubium aliquod aut controverſiam ſuboriri; utique ſtarent ipſi, non ſuâ, ſed noſtrâ Europæorum hominum, maximè quidem SS. Patrum ſententia & interpretatione: cur ergò nos viciſſim, qui in China verſamur, non audiamus & ſequamur ipſos.

Itane verò ? lucis & tenebrarum, fidei perfidiæque, veritatis ac mendacii par jus, parem esse rationem contendas ? Audirent Europæos ipsi. Quidni audirent ? Discipuli Magistros ; Doctos indocti ; Philosophos ii, qui nec rudimenta quidem Philosophiæ norunt ; Gentiles & Athei Christianos ; improbi Sanctos ; ficti ac mendaces eos, quibus nihil tam cordi esse solet, quàm veritas & fides ; densissimis ignorantiæ suæ tenebris involuti, eos, qui à Sole justitiæ illustrati Solis instar refulgent in perpetuas æternitates ; denique, ut verbo complectar omnia, Athei Sinæ Sanctos Europæos. Ubinam, vel in Sinis, vel usquam terrarum, illa quæ in Orbe Christiano tantoperè semper viguit sententiarum animorumque concordia ? Ubi illa tam constans, & ab ipsis mundi exordiis tam immutata Sanctorum Philosophia, sapientiaque verè cælestis, lumini rectæ rationis adeo conformis ? Ubi denique doctrina illa tam illustri tot Magistrorum sanctitate, tot Sanctorum Martyrum constantiâ, tot item prodigiis, & tam præsenti ope Supremi Numinis, ac tot cœli terræque testimoniis confirmata ? Haudquaquam igitur æqua postulatio videri potest, ut eos audiamus & sequamur Europæi in China, qui in Europa si degant audire vicissim nos velint ac sequi.

Ergòne, inquient, floccifaciemus Interpretes omninò omnes ? Neque eò sanè nos provehi necesse erit. Etenim quosnam dicemus esse primos omnium, primæque authoritatis Interpretes, & quos adeo potissimum sequi nos oporteat ? Nonne (siquidem agamus de *Confucii* libris) doctissimus ille *Çemcius* Interpres censeri in primis poterit, quando is Magistri sui librum *Ta hio* explanavit ? Nonne item nomen hoc tribui potest *çu ſu* scriptori acutissimo, quando is Avi sui *Confucii* præcipuum hoc opus de medio constanter tenendo est interpretatus ? Nonne similiter alii discipulorum, Interpretes quoque censendi erunt, quando libros *Lun yu* commentariis suis illustrarunt ? Quid ? Quod & ipse *Confucius*, atque *Memcius* Interpretes vocari poterunt, utpote quorum hæc præcipua laus fuit, quod Priscorum libros cum fide interpretati sunt. At enim ; tam horum, quàm illorum Commentarii vim textûs & authoritatem deinde obtinuerunt. Utique obtinuerunt. Sed an idcirco Interpretes esse desierunt ? Porrò hos Interpretes adeo non parvi pendimus, ut vehementer etiam veneremur, & ne latum quidem unguem ab eorumdem sententiâ discedamus. Sed erit hic fortasse qui rursum quærat : Priscos illos Interpretes vestros ecquis exponit vobis ? Ab hoc ego vicissim percunctor : novos illos Interpretes tuos (ne dicam viciatores) ecquis exponit tibi ? Num alii rursùs Interpretes, aliique ? Non opinor. Sicut ergo tu tuos per te ipse, ita & nos nostros intelligere conamur per nos ipsi.

Sed ne quis existimet, oportere nos abjicere prorsus Interpretes

omnes posteriorum temporum, extant sanè præcipui nominis & dignitatis Doctores *Cham kiu Chim*, *Kieu kium xan*, *Cham tum ço*, aliique, qui, cum susceperint explanandum Priscorum textum, utique non possunt, neque verò audent, rem luce meridianâ clariorem non candidè simpliciterque exponere, esto, sint illi Atheismi Principiis imbuti, & quid obstat nos ipsorum etiam testimonia afferre, tametsi alibi sibi contradicant, & pravas etiam subinde permisceant opiniones, cum videamus & gentium Apostolum, & primos Ecclesiæ Patres, vanorum Poëtarum, Sybillarum, & aliorum Ethnicorum monumentis, & testimoniis usos, & quodammodo è luto ipsorum & sordibus gemmas, aut è tenebris lucida quædam intervalla, seu scintillas intermicantes ab authore naturæ, mentibus hominum insitas collegisse, ut ad primævam æterni luminis cognitionem gentes adducerent. Verumtamen esto, floccifaciamus omnes & maximè modernos Interpretes: Profecto non aliud faciemus, quàm quod exemplo suo primi Patres, & consilio suo Christiani Doctores, ac Sinæ, faciendum esse docuerunt: Quod si horum sententiæ, & authoritati nondum acquiescas, vide quid dicam: Quod sanctissimi quique Viri fecissent, si contigisset eos in has Regiones venire propagandæ Religionis causa, hoc ipsum & nos faciemus; ubi neglectis Interpretibus atheis, uni Priscorum textui, sententiæque saniorum Interpretum adhærebimus.

Declarare rem juvat: ejus autem declarandæ gratiâ liceat nobis paulisper sacra cum profanis conferre. Faciamus ergò (liberæ sunt enim cogitationes) Divos Ambrosium & Augustinum, Basilium quoque & Chrysostomum profectos olim fuisse in Judæam, vel Ægyptum, & eo quidem consilio profectos, ut Hebræis fidem in Christum, uti verum Messiam & Salvatorem Mundi, persuaderent: Patres autem illos iviſſe quidem litteris suis, Græcis, inquam & Latinis præclarè excultos; sed Hebraïcæ linguæ prorsùs ignaros: Faciamus item solâ Hebræorum linguâ, quidquid sacri & divini est, contineri. Quid existimamus viros illos, qui non minus prudentiâ quàm sanctitate vitæ conspicui erant, fuisse facturos? An fortè desperato successu mox eo, unde venerant, reversuros? At enim tam insignis levitas & inconstantia cadere non poterat in viros tantos. An ergò Rabbinos Judæorum, & Legisperitos de germano sensu textûs Hebraïci fuisse consulturos, & quidquid hi vel affirmassent, vel negassent pro vero habituros? dici hoc profectò non potest. Quid enim? Ignorabant fortasse Sapientes viri illi, perfidos homines & in errore suo tam obstinatos, ad hæc superbos, & contemptores Christianæ Religionis interpretaturos omnia in sententiam suam; vim quoque facturos esse textui, & dolis atque mendaciis, quando aliter non possent, errori suo consulturos? Satius enim verò

fuerat nunquam ſuſcipere certamen ejuſmodi, quàm pro arbitrio & voluntate perfidorum hoſtium haudquaquam auſpicatò ſuſcipere. Quid enim aliud hoc erat, quàm ſe pariter, Chriſtumque ipſum, & ſanctiſſimam Religionem noſtram ludibrio adverſariorum exponere? quid, inquam, aliud agere poterant, ſi Judæos ipſos in errore ſuo obfirmare voluiſſent, quam hac de adventu Meſſiæ controverſiâ illis uti magiſtris interpretibus ſacrarum Paginarum? Quid hîc igitur facto eſt opus, dicet aliquis? quid conſilii tu ipſe nobis ſuggeres? Non aliud equidem quàm, quod hîc ſuggeret cuivis prudenti res ipſa & ratio; quamque adeo Viri illi Sapientes ac Sancti procul dubio cepiſſent, ſi illorum temporibus caſus ejuſmodi incidiſſet: Hoc nimirum, ut quando Chriſti causâ patriam relinquere, tranare maria, vitam mille periculis objicere non dubitarunt, non recuſent in ejuſdem Chriſti gratiam Hebraïcæ linguæ, litteriſque perdiſcendis operam dare, & quamvis neceſſe fuerit cum Sancto Hieronymo in ſolitudinem quamdam abdi, ibique per annos tres quatuorve ſtudiis haudquaquam jucundis operam dare, alacri tamen fortique animo id præſtent, maximâ rei utilitate ſimul ac neceſſitate ſemper ante oculos poſitâ.

Ubi verò linguæ peritiam aſſecuti fuerint, tum ipſi per ſe textus Hebraïcos expendere aggrediantur, & ſacras illas Paginas indubitatæ veritatis Magiſtras nocturnâ verſare manu, verſare diturnâ: In quibus ſi quid obſcuri dubiive adhuc offenderint, non dubitent Hebræos ipſos conſulere; eos potiſſimum qui Chriſtianis ſacris jam ſint initiati, vel, ſi horum nulla ſit copia, tum eos in primis audiant, qui vitæ integritate cæteros videantur antecellere, & à mendaciis fallaciiſque magis eſſe alieni; alios verò, quos perverſos obſtinatoſque eſſe conſtet, quamvis docti ſint; & maximâ authoritate apud ſuos polleant, nihil tamen morentur, nequaquam audiant. Ubi autem de verò germanoque ſenſu textûs Hebraïci tandem ipſis conſtiterit, in arenam deſcendant cum Rabbinis ipſis congrediantur, fallaces & aberrantes eorumdem ſententias & interpretationes refellant, ac denique ex illuſtrioribus Prophetarum teſtimoniis Humanæ Redemptionis opus jam perfectum fuiſſe animosè demonſtrent. Quæro hîc igitur à candido Lectore, num quæ alia, præter hanc unam, ſuppeteret via Hebræis Chriſtum annunciandi? Num quod aliud conſilium ſupra memorati Doctores capeſſere potuiſſent? Hieronymus certè quidem magnum illud Orbis Chriſtiani lumen, non aliam viam tenuit: quo autem operæ ſuæ pretio, quo ſucceſſu laboris & fructu, jam terræ omnes, omniaque ſæcula teſtantur.

Perdiſcere ergo litteras ac linguam Hebraïcam Hieronymus dalmata quondam potuit; & deinde obſtinatam gentem domeſticis oraculis

oraculis ac teſtimoniis convincere: Sinarum verò litteras & linguam tam arduo in loco poſitam eſſe arbitrabimur, aut tam contractam eſſe divinæ erga nos munificentiæ manum hoc tempore, ut nullus ex Evangelicis Præconibus ad earum peritiam ſimiliter queat pervenire? At profectò non ita rem habere, ſed horum quoque conatibus afflare Spiritum Domini, ſpiritum, inquam, illum, qui replevit olim, hodieque replet Orbem terrarum, vel inde poteſt intelligi, quod ex Europæis Sinicæ vineæ cultoribus extiterint aliqui tantam aſſecuti peritiam difficillimi idiomatis, tantam item litterarum, quamvis infinito propè ſint numero, ut, niſi eòs os oculique Europæi prodidiſſent, perſpicaciores quoſque Sinenſium, Sinenſes eſſe crediti, fallere potuiſſent. Cur ergo qui tantum facultatis nati ſint, & tam præſentem Numinis opem ſentiant non patiamur aliquid moliri per ſe, per ſe adire fontes ipſos Sapientiæ Sinicæ, relictis ſcilicet poſteriorum Interpretum rivulis, ſeu lacunis potiùs haudquaquam ſinceris & puris, ſed plerumque vel idololatriâ, vel atheiſmo vitiatis?

Certè graviſſimorum Doctorum Sinenſium, Pauli, inquam, Michaëlis, Leonis, Philippi, Matthæi, Lucæ, aliorumque, uniformis & conſtans hæc fuit ſententia: Nullam Civium ſuorum, qui Priſcos libros commentati ſunt, ab Evangelii Præconibus habendam rationem; ſed uni Priſcorum textui eſſe inhærendum; de hoc uno laborandum, in quo, ſi quæ minùs clara offenderint, ſperari poſſe haud defuturos ex Sinis ipſis, etiam non Chriſtianis, Viros primæ eruditionis & authoritatis, qui difficiliores locos cum fide nobis explanent. Intelligebant nimirùm homines prudentiſſimi evenire poſſe (jamque adeò in patria ſuâ uſuvenire fatebantur, ac deplorabant) ut non tantum nobile & imperitum vulgus à Priſcâ veritate rectâque Majorum doctrinâ quandoque aberret; ſed illi quoque ad quos cura tuendæ veritatis ac ſanæ doctrinæ ſpectat vel maximè, per inſignam prævaricationem vitient ipſimet, ac depravent, pervertantque omnia. Quo quidem caſu, quid obſecro ſtultius ſit, quid ita magis pernicioſum, quàm eos audire, qui tamen imperitis incautiſque maximè videntur audiendi; & iis fidem præbere, qui fide digniſſimi putantur, cùm reverà ſint fide indigniſſimi?

De quo ſi quis etiamnum fortè dubitet, eat is ſanè in Regiones illas, quæ in Hæreticorum poteſtate ſunt; accipiat avidis auribus doctrinam eorum, qui ibidem pro officio ſuo & publicâ cum authoritate Sacras litteras interpretantur, & audiuntur incredibili cum ſtudio & plauſu à ſummis pariter infimiſque: Turcicas item, ſi lubet, ditiones petat, & quandoquidem ſuis cujuſque gentis Magiſtris & Interpretibus fides haberi debet, audiat venerabundus Mahometanæ ſectæ Magiſtros, quando hi Teſtamentum vetus exponunt;

verumtamen ecquod operæ ſuæ pretium, qui viam hanc teneat, facturum arbitramur? quem tandem fructum relaturum eſſe laboris ſui? ut homines ab erroribus ſuis ad Evangelicam veritatem traducat? Non aliud profectò, quàm ut obfirmatiores in erroribus ſuis veritatis hoſtes relinquat: atque utinam non ipſemet imbutus perniciosis Mahometiſmi principiis vel dogmatis hæreticorum, &, ſi in Chinam quoque veniſſe contigerit, Atheiſmi, & Idololatriæ tonico afflatus ad ſuos revertatur!

Ex quibus omnibus æquus rerum Judex conſtituat, ecquod tandem Viri prudentis officium ſit, maximè quidem illius, qui Legis Evangelicæ promulgandæ causâ in remotiores terras proficiſcatur: nimirum, ubi is pervenerit in eam Regionem, cujus incolas aggregare Chriſto deſiderat; ſi fortè gens iſta monumenta quædam litterarum & ſapientiæ habeat à Majoribus ſuis accepta, non illa præcipiti cœcove judicio, vel damnet illicò, vel illicò probet: ſed neque eos qui Priſcos gentis libros interpretati fuerint, ſive alienigenæ ſint, ſive indigenæ, temerè condemnet, approbetve. Vitatis extremis mediam prudens inſiſtat viam; atque adeò imploratâ ope ſupremi Numinis, primùm quidem dat operam, ut linguam gentis ac litteras accuratè perdiſcat: tum deinde libros quos illic in majori pretio eſſe cognoverit, necnon interpretationes librorum pervolvat aſſiduè, & iterum iterumque examinet atque expendat; ſtudioſiſſimè interim explorans, an conſtet ſibi priſci textûs ſinceritas atque veritas, an è contrario vitiata ſit poſterorum vel negligentiâ, vel etiam pravitate: Rurſus an ii, qui Interpretes hîc agunt, conſtanter inſiſtant Majorum veſtigiis, an verò doctrinam illorum depravent, ac detorqueant ad errores ſuos; vel certè Principis ſui, cui, quamvis depravato, adulari velint, atque ita, authoritate ſapientiâque Priſcorum, inſaniæ tum ſuæ, tum alienæ, morumque corruptelæ patrocinentur: videat denique, an una mens & doctrina ſit omnium, an contra inter ſe, ſecumque ipſi diſſentiant ac pugnent.

In hunc modum probè cognitis perſpectiſque omnibus, ſiquidem dictis monumentis ac libris nihil ſolidi verive contineri intelligat, utique non attingat illa, neque adeò mentionem eorum faciat: At verò ſi Priſci gentis Reges, aut Magiſtri, naturâ quoque duce ac Magiſtrâ, multa ſunt aſſecuti, quæ adeò non adverſentur Evangelicæ luci ac veritati, ut etiam proſint ac faveant, & crepuſculi matutini inſtar viam Soli juſtitiæ pandere videantur; nequaquam profectò (ſi me quidem audiant) aſpernabuntur illa Præcones Evangelicæ legis: ſed utentur iis aſſiduè; adeoque cum nativo patriæ doctrinæ ſucco (qui hoc ipſo quod patrius eſt, civium palato natus eſt placere) peregrinam doctrinæ cæleſtis ambroſiam teneris Neophytorum mentibus inſtillabunt.

Digitized by Google

PARAGRAPHUS DUODECIMUS.

DE LEGE DIVINA LIBRUM EDIT in lucem P. Matthæus Riccius; quo successu, & fructu.

HIS igitur omnibus maturè coram Deo perpensis, post laborem maximè constantem & improbum, post lucubrationes diurnas nocturnasque, post repetita cum tot præcipui nominis litteratis per 20. ferè annos colloquia & disputationes, post severa librorum tum veterum, tum recentiorum examina, tandem novus ille advena ex occidente, novus ille doctrinæ novæ simul & antiquæ annuntiator Matthæus Riccius in publicam orbis Sinici lucem protulit opus de Christianâ Religione duobus constans voluminibus, cui titulus: *Tien hio xey*, id est, *cælestis Doctrinæ vera ratio*, editumque typis fuit in ipsâ Imperii aulâ imperantis *Van lie* anno 31. qui fuit periodi, seu cycli Sinici septuagesimi secundi annus 40. *Quei mao* dictus, & salutis nostræ annus 1603.

Ante omnia vero in ipso mox limine totius operis fidenter admodum declarat, quam graviter gens tota deliquerit contrà supremum cœli Numen, & Imperatorem per dogmata tam prava, per tot sectas & hæreses tam pernicioſas, per tantam denique morum corruptelam: Quâ etiam de causâ tot ac tantæ calamitates, tamque miserabilis perturbatio rerum temporumque secuta sit: orditur deinde sermonem de supremo omnium Domino Creatore ac Conservatore, ejusque nominibus, proprietatibus, excellentiis divinis: Post hæc ad funiculum illum triplicem trium sectarum dissolvendum delabitur. Hîc Bonzii sua vident eludi somnia, & somniorum, mendaciorumque propè omnium fundamentum, *Metempsychosim*: Hîc sectarii *Tao* superstitiones suas, inaniaque dogmata prorsus everti: corruunt hîc principia Interpretum recentiorum familiæ *Sum* & commenta ipsorum nova, totaque Philosophia de *Tai kie* & *Li*, & *quod omnia sint unum*, ponderibus rationum & æternæ veritatis penitus opprimuntur; ipsos quin adeo in jus vocat animosus, & coram suis ipsorum majoribus, ætatis, inquam, priscæ regibus sapientibusque, ceu totidem judicibus incorruptis apparere jubet degeneres nepotes, ibi rationem dare doctrinæ suæ cujus partes omnes & antiquissima litterarum monumenta, ceu codices quosdam prisci juris severus actor examinat. Quærit in quâ tandem parte classicorum voluminum legerint aliquando sacrificare, servire, obtemperare, timere,

Digitized by Google

adorare, revereri & obsecrare illud suum *Tai kie* vel *Li*, cum tamen creberrimè legantur ista omnia fieri *Xam ti* supremo cœlorum Imperatori, qui utique juxta ipsosmet idem sit cum supremo, quem annuntiatum venit, cœlorum Domino & Gubernatore.

Quin etiam (quod mirere in extero homine inter tot litteratos exterorum contemptores, & sub illâ præsertim familiæ *Mim* longè superbissimos) audet idem Riccius, & audet in ipsâ Regiâ Pekinensi theatro orbis Sinici proferre hæc verba: *Hodiernæ ætatis litteratorum error in explanandis Priscorum libris, nullis verbis satis exprimi potest: quantum spectat ad ornatum floridæ scriptionis sunt expediti, sunt acres; sed quantum ad sensûs intelligentiam remississimi.* Concludit itaque: *Quamvis hodiernus scribendi stylus sit maximè floridus & ornatus, operum tamen & rectè factorum veritas & soliditas deest.* Porrò qui vivos omnes, & in aulâ sic unus arguebat, ab hoc mirabimur mortuos aliquot Interpretes meritissimâ censurâ fuisse castigatos?

Quia vero fidei Christianæ fundamentum est veri Dei & cognitio & fides; illam ipse jam sub nomine *Tien chu Cæli Domini* (quo sub initium uti cœpimus, cum necdum esset peritia librorum Sinicorum, & etiamnum usque in diem hodiernum conservare placuit) ac deinde postquam evolverat Priscorum libros, fidentissimè etiam nomine *Xam ti Supremi Imperatoris* Sinensibus impertiebat: ut autem periculum omne erroris, & offendiculi, omnemque ansam dubitationis & perplexitatis removeret tam ab idololatris, cum audiunt *Tien chu*, quàm ab atheopoliticis, cum audiunt *Xam ti*; consultò aliis atque aliis nominibus Deum nominat; modo cœli terræque Dominum & supremum Imperatorem, modo cœlorum supremum Regem & Gubernatorem, modo supremi Imperatoris majestatem, modo rerum omnium conditorem ac conservatorem; modo communem generis humani parentem, principium & finem, aliaque hujusmodi; denique tot tamque eximiis attributis Deum deprædicat, ut nemo, qui legerit, adeo cœcus esse possit, qui non videat irradiantem mentis oculis divinam claritatem: Plurimi interim litteratorum, qui scilicet & sæpius audierant differentem Riccium, & familiariùs ei etiam adhæserant, mirum in modum exultare, quod non ea tantùm, quæ prisci cives sui de supremo Numine, animæque immortalitate censuerunt, sed illustriora quædam & nunquam sibi vel audita, vel etiam cogitata de supremâ illa majestate discerent: uti quod de nihilo crearit omnia, de creationis ordine, Angelorum lapsu, primo homine, aliaque hujusmodi, quæ nobis æterna veritas revelavit: Magnum insuper ex una re suavissimæ consolationis fructum percipiebant, quod intelligerent divinam clementiam non videri fuisse semper aversam à gente sua, sed Priscos illos cives suos ac pios Patres salutifero quodam veritatis lumine

fuisse

fuisse colluſtratos, & priſcam ætatem illam, ſublatis quibuſdam nævis ac nebulis, ſalvam integramque per aliquot ſæcula, uti piè credebant, permanſiſſe.

Quæret hîc curioſus Lector, quo ſucceſſu fructuve opus hoc Matthæi noſtri prodierit in lucem? Reſpondeo prorſus admirabili, & ſecundum rationes humanas nunquam ſperato. Europæus certè, cui penitus perſpecta ſit hæc China, quid conſtitutiones ac leges circa Religionem hîc ferant, quanta litteratorum tunc temporis eſſet authoritas, quantus rerum, quæ ab exteris proficiſcebantur, & ipſorummet exterorum paſſim contemptus, quantus horror cujuſcumque peregrinæ legis, aut novitatis præſertim invectæ ab extero ſine ullâ facultate, vel authoritate publicâ (neque enim more legati venit Riccius, ſed ut perſona privata, ſuis tamen inſtructus munuſculis, nec venit accitus aut invitatus, uti ſectatores ac magiſtri ſuperſtitionis Indicæ quondam venêre) hæc, inquam, omnia ſi maturè conſideret Europæus, non poteſt non agnoſcere, ac profiteri digitum Dei fuiſſe hoc in opere, operiſque ſucceſſu, quodque Riccio ingredienti promiſerat Dominus *Pekini propitium ſe fore*, utique pro votis, & ſupra ipſa vota fuiſſe perfectum.

Et ut noſtræ Societatis teſtimonia omittam, multorum inſtar ſufficiat unicum R. P. Fr. Dominici Sarpetri è S. Ordine Prædicatorum religioſiſſimi viri, qui per 30. ferè annos in Sinâ commoratus, litterarum Sinenſium peritus imprimis & doctrinâ, virtute, Religioſaq; obſervantiâ planè fuit eximius. Hic itaque in iis litteris, quas dedit ex Metropoli Cantonienſi noſtroque exulum pro fide domicilio, ad S. Congregationem de propaganda fide, & Reverendiſſimum ſuum Generalem, poſtquàm ſanctè profeſſus eſt, ſe nullius gratia, perſuaſione, vel precibus, ſed uno veritatis amore impulſum ſcribere, ſic ait: *De hoc libro* (Matthæi ſcilicet Riccii) *quem ſæpè attente legi, teſtor mihi crebrò veniſſe in mentem, quod dictus liber opus eſset ejuſmodi, ut ſine revelatione divinâ, aut alio ſpeciali Dei auxilio non potuerit ab authore perfici. In quorum fidem manu mea ſubſcripſi nonâ Maii 1667. in Metropoli* Quam-cheu *Provinciæ* Quam-tum.

DOMINICUS MARIA SARPETRUS.

Equidem, nihil hîc ut dicam de favore ſtudioque graviſſimorum Doctorum Pauli, Leonis, Michaëlis, Petri, Philippi, Ignatii, Thomæ, Matthæi, aliorumque; ſimul atque diſſeminatus fuit liber, primum quidem per manus tot virorum litteris & dignitate illuſtrium, qui degebant in aula, deinde verò per cæteras Imperii Provincias, Urbes & Oppida, tantam excitavit in animis fermè omnium admirationem, æſtimationem, reverentiamque ſacroſanctæ Legis, ac nominis Europæi, ut nihil frequentius, ubi de lege noſtra ſermo eſt, hodieque audiatur, quam *Li Mateo*, id eſt *Riccius Matthæus*, primus

illius in aula annuntiator : quin imò nomen hoc & adventus tanti viri in Chinam jam in Urbium Imperii memoratur annalibus, & poſtquam is anno, ab operis editione ſeptimo, in Regia Pekinenſi diem obiit, attributa illi fuit portio non exigua Pekinenſis agri ad honorificam ſepulturam, idque juſſu ipſiuſmet Imperatoris atque diplomate.

Jactis itaque rei Chriſtianæ fundamentis in hunc modum, protinus alii Sociorum ſucceſſu tam fauſto, & exemplo tam illuſtri provocati, alacritate magna accinxerunt ſeſe ad cœptam ædificii Chriſtiani molem, propitio ſemper Numine, altiùs altiuſque educendam: & ad libros quidem quod attinet (ut alios ejuſdem Riccii nunc prætermittam, in quibus ipſe de vanitate rerum humanarum, de morte, de æternitate philoſophatur) imprimis Didacus Pantoja, Matthæi Socius in aula individuus, quod intelligeret animi vitia & peccata molli ſuperbæque genti maximo eſſe impedimento capeſſendæ Religionis (præter paraphraſim in Symbolum 12. Apoſtolorum) conſultò ſcripſit ſeptem volumina de ſeptem peccatis capitalibus, oppoſitiſque ſeptem virtutibus, ea quidem eruditionis, & eloquentiæ Sinicæ, ſapientiæque laude, ut plauſum retulerit propè parem cum Riccio, fructumque non minorem ipſo plauſu referret, ſi non ageret radices tam altas inveterata peccandi conſuetudo, planè ut neceſſarium eſſe videatur brachium excelſi & potentius aliquod auxilium divinæ gratiæ ad Sinas è veterno cœnoque vitiorum, non ſine violentia quadam ſalutari, excitandos.

Et hæc quidem duo opera ſanè præſtantia Sociorum alii atque alii per varias diſperſi Provincias typis Sinicis identidem excuderunt. Julius vero Aleni hortatu litteratorum Auſtralium vitam quoque Riccii, & res geſtas Sinicè conſcriptas unà vulgare non dubitavit ac gloriæ divinæ æmulator plurimos & ipſe libros edidit, quibus partim impia Novatorum dogmata, & interpretationes adulterinas egregiè confutat, libro cui titulus : *Van ve chin yven, rerum omnium vera origo*, partim etiam enarrat res geſtas Chriſti Salvatoris noſtri Virginiſque Deiparæ & de Sacramentis Baptiſmi, Pœnitentiæ, ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio aliiſque Religionis noſtræ myſteriis naſcentem Eccleſiam Provinciæ *Fo Kien* diligenter edocet, ea quidem cum fama virtutis ac ſapientiæ, ut litteratos inter paſſim audiret *Si lai cum çu Occidentis advena Confucius*, alter ſcilicet; adeoque viri maximè illuſtres, atque inter hos *Ye* Colaus quamvis Ethnicus, ſed Riccio pridem in aulâ notus, honori ſibi duxerint nomen & ſigillum ſuum cum Procœmiali panegyri, libris ejus adſcribere, quod ipſum etiam tot alii litteris & dignitate præſtantes viri ad Riccii, aliorumque Sociorum libros factitare ſibi honori ducebant, quo deinde factum, ut ad maximam nominis Chriſtiani commendationem, &

Digitized by Google

Atheoppoliticorum confusionem, duo volumina edita fuerint, quibus solæ panegyres proœmiales à Colais virisque primatibus, nostrorum libris præfixæ, simul collectæ continentur; ut nihil jam dicam de tot illustribus elogiis & titulis, quos auratis & trabalibus litteris insculptos passim erat cernere appensos domibus & Ecclesiis nostris. Porrò quanta Deus incrementa dederit Julio Aleni, vel hinc potest esse perspicuum, quod unus ipse in octo urbibus Metropolitanis Provinciæ modò memoratæ (ne de oppidis agam secundariis) octo fundarit Ecclesias, adeoque in Chinâ Meridionali Christi Nomen, ac fides longè latèque propagaretur.

Quamquam par omninò laus alteri quoque est tribuenda, cui nomen Alphonsus Vagnoni, qui & ipse vestigiis insistens Riccii Chinæ Septentrionali Christum annunciabat eo quidem successu, ut Ecclesias fundarit omnino 40. variis in Urbibus & Oppidis, *Han* Colao patrocinante: Adhæc complura instituerit sodalitia hominum etiam litteratorum ad communes Christianæ virtutis ac Religionis exercitationes; libros denique vulgarit non Christianis modo, sed Ethnicis quoque perquam utiles, qui multis voluminibus continentur. Ad extremum, quæcumque messes animorum, quicumque fructus divinæ gloriæ adhuc collecti sunt ex hoc agro Sinensi, dedicata scilicet Deo tot Templa, coacti cœtus fidelium, correcti mores depravati, pernicioſa vanitas superstitionum patefacta, librorum ingens copia, & in omni propè doctrinæ genere vulgata, & ad eas quoque delata regiones, ad quas pertingere necdum potuerunt pedes Evangelizantium, quamvis veloces, & indefessi, propterea quod illorum paucitas haudquaquam sufficiat incolis Imperii longè vastissimi propè innumeris; hæc, inquam, omnia cum divinę potissimum bonitati sapientiæque referri debeant accepta, tum etiam Riccio nostro, cujus virtus ac prudentia Deo tam feliciter hîc famulata est, suæ debentur gratiæ, sua laus est tribuenda.

Tametsi verò aliquot pòst mortem ipsius annis malus dæmon tabescens invidia propter successus adeò secundos, primam contrà nos neophytosque nostros persecutionem anno 1615. excitarit; paucis tamen pòst annis deferbuit tempestas illa, patrocinantibus more suo innocentiæ Christianæ Doctoribus tam Ethnicis quam Christianis, quorum consilio & operâ libelli supplices privatim & palàm oblati sunt suo nostroque nomine supremis magistratibus, offerendi deinde per hos Imperatori, quibus & exponebatur ingressus Matthæi Riccii, & quanta vulgò tunc fuisset virtutis ejus sapientięque laus & approbatio; simul etiam tradebatur summa doctrinæ Christianæ, quæ in colendo uno Deo & diligendo proximo tota consistat; quæ quidem duo capita de industriâ proponebantur verbis appositissimis, quæ ex textibus ipsorum pervetustis deprompserant. Et

quamvis libelli isti malevolorum quorumdam improbitate, tum quidem supprimerentur, credi tamen vix potest quantam vim facerent in animis virorum cordatorum, sic ut nequaquam esset communis quędam omnium contrà legem divinam conspiratio, sed unius alteriusve tantum Atheopolitici, aut idololatræ, aut etiam invidi gloriæ & sapientiæ Europęæ. Fuit cùm octodecim libelli supplices contrà legem Christi oblati sunt postremo familiæ prędecessoris Imperatori, qui omnes rejecit, castigato etiam eo qui pertinaciter illos offerebat, & ad gradum dignitatis inferiorem dejecto, majori quoque pœnâ mulctando, nisi (uti prudens Imperator renuntiari jussit P. Joanni Adamo Schall) res ageretur hominum exterorum, quos animadversio gravior in indigenam, vocare posset in magnàm apud suos invidiam.

Et verò longo jam usu & experientiâ compertum est, ea quæ maximè offendunt & irritant animos Sinensium non tam esse fidei Christianæ leges & instituta; quam quòd omnes sectę (etiam litteratorum ętatis hujus) damnentur ab una Religione Christiana. Carpunt etiam ceremonias quasdam & ritus, necnon cœtus qui coguntur virorum ac prędipuè fœminarum, licet non eodem loco & tempore cogantur: Displicet etiam exterorum hominum variis in Provinciis sedem figentium frequentia, & apud sectatores suos atque discipulos auctoritas, & apud Ethnicos etiam Magistratus gratia singularis: quod ipsum rursus per hos ultimos annos quando imperante Tartaro longè sęvior contrà nos coorta fuit procella, experiendo, vel maximè didicimus: Vocati namque sumus in suspicionem rebellionis & damnati Religionis falsæ ac depravatæ, & ubi tandem miserante Deo calumniæ impiorum patefactę sunt, & innocentia integritasque Christianę Religionis in solemnibus Regni comitiis juridicè declarata, vulgataque per omnes Provincias edictis Regiis, tanta tamen insedit cura & formido dominatori Tartaro (quem sua hîc paucitas tuta cogit timere omnia) ut postquam Imperator ipse inusitata cum significatione honoris ac benevolentiæ Societatis nostrę Sacerdotes, qui in aulâ degunt, Christiano ritu & pristinâ ferè cum libertate vivere permisisset; idem reliquis mox Sociorum ad pristinas sedes revocatis tacitam quamdam libertatem concesserit, approbationemque legis divinæ, quando anno 1675. 12. Julii ipsemet Imperator in Templum nostrum & Ædes digrediens manu & penicillo Regio binas exaravit trabales litteras *Kim tien*, id est, *reverere cælum*, sive, quod idem apud ipsos est, *reverere cæli Dominum*, quæ quidem litteræ sigillo Regio munitæ, seu potius exemplaria trium ordinum Ecclesiis Ædibusve prędixę mirum quantam fidei Christianæ, ejusque prędonibus authoritatem, etiam per secutura sæcula concilient.

Ex quibus

Digitized by Google

CONCLUSIO.

ATQUE hîc tandem finis ſit declarationis noſtræ Proœmialis, ſi tamen & moles operis, & argumentum nomen hoc admittat quando dici poteſt diſtinctus eſſe Liber. In quo videmur, haud ſatis memores fuiſſe Europæis hominibus nos ſcribere, quibus equidem utpote ſapientibus, quamvis pauca, ſufficiebant: quamquam & ignoſcent, uti ſpero, pro benevolentia ſua prolixitati noſtræ, dum conſiderabunt, eundum nobis fuiſſe per ætates bis mille annorum eoque amplius, & haudquaquam levis momenti eſſe quod agitur, quando id agitur, ut priſca ætas omnis adeo numeroſæ cultęque nationis ab execrabilis atheiſmi ſuſpicione vindicetur. Acceſſit illa quoque ratio, quod in illorum potiſſimum gratiam hæc ſcribantur, qui huc aliquando venturi ſunt annuntiandæ veritatis causâ, quos equidem nolimus, tali imbutos ſuſpicione huc venire: prętерquam enim quod à vero ſit aliena, hoc inſuper trahit incommodi, quod exarmet Chriſti militem prorſus appoſito validoque telo, quo poſſit feliciter ſanè, vel cultores falſorum Numinum, vel nullius cultores Numinis aggredi, atque eodem, Chriſto ſemper duce & auſpice, expugnare.

Ad hæc placuit perſequi res noſtrates ſimul & Sinicas narrando, explanando, controvertendo: Narramus enim primos conatus & induſtrias illorum, qui lucem Evangelicam in haſce terras intulerunt: Agimus de ſcientiâ gentis & morali & politica: Recenſemus libros Claſſicos & præcipua quæque litterarum monumenta, tam vetera, quam nova, ſectas item partim patrias partim exteras, ſed jam inquilinas, commemoramus: Philoſophiam quoque naturalem, quadantenus explanamus ex *Ye kim*, ſive libro mutationum vetuſtiſſimo, quæ omnia perſpicacibus Europæorum ingeniis diſcutienda relinquimus: Ad extremum copioſè diſputamus cujuſmodi rerum omnium principium conſtituerint ætatis, tum Priſcæ, tum poſterioris litterati; quî ſcilicet cognoverint aliquando verum Numen, quo id nomine ſignificarint, quamdiu hæc notitia veraque Religio viguiſſe cenſeri queat. Et quamquam ex ſerie temporum videatur inferri probabiliter poſſe, eam in Sinâ perduraſſe ad tempora *Yeu vam* tertiæ Familiæ *Cheu* Principis duodecimi, ducentis circiter annis ante natum *Confucium*, ante Chriſtum vero annis ferè octingentis; nolumus tamen ex hoc ſtatuere fundamentum certum & evidens opinionis noſtræ, ſed relinquimus ſub judice Europæo totam diſſertationem. Sufficiat hîc nobis oſtendiſſe, ex temporibus diluvio proximis (ſive ea juxta 70. Interpretes, ſive juxta vulgatam computaveris) primos Sinas habuiſſe veri Dei notitiam, & eam ſub nomine *Xam ti Supremi Imperatoris*, aut etiam *Tien* ſive *cæli* habuiſſe.

Digitized by Google

Ad interpretem verò *Confucii*, seu Scientiæ Sinicæ quod attinet, est is *Cham Kiu Chim* oriundus è civitate *Kim lim*, quæ subest urbi *Kim chen* Provinciæ *Hu quam*. Interpres nulli reliquorum, vel ubertate sermonis & copiâ, vel styli claritate secundus, quem proinde Imperator *Van lie* decennis, ut Tutorem & Magistrum & ut primum Imperii Ministrum adeo coluit & veneratus est, ut ægrotantem inviseret, eique potionem medicam à se paratam tanquam Magistro discipulus Imperator porrigeret. Post mortem quoque posthumo titulo *ven chum*, hoc est, *viri litteris & fide præstantis* eundem honoravit, delegans præcipuæ notæ Mandarinum, qui ex aulâ, ubi obierat, defuncti corpus in patrium sepulchrum in Provin. *Hu quam* cum pompâ reduceret: Verumtamen secundo post obitum anno (qui fuit *Van lie* Imperantis duodecimus) ab æmulis graviter accusatus, ipse cum posteris dignitatibus & titulis, Imperatoris decreto exutus, fortunis etiam omnibus fisco Regio addictis.

Cum verò à Senatu censeretur ad ejus memoriam penitus extinguendam, etiam libros & commentarios flammis abolendos, renuit Imperator dicens: *Non peccarunt libri; quorsum igitur adeo proficui, & innoxii pereant?* Cur autem nobis eum potissimum Interpretem præ reliquis seligere placuit, in causâ fuit, quod omnium manibus ejus commentarii terantur & præconiis maximè celebrentur: & quamvis idem recentiores inter, propè sit omnium recentissimus, minus tamen videtur tribuisse chymericis aliorum novitatibus, dignus vel ob hanc causam quem nos sequamur imprimis. Stylum verò ejusdem non rarò luxuriantem in gratiam juventutis Sinicæ, nos in Europæorum gratiam identidem castigavimus: Neque sic tamen effugere poterimus, ut autumo, censuram prolixitatis, haud injuriâ quidem carpendæ, si quidem scriberemus ista non tam in usum Missionis Sinicæ, quam ad oblectamentum Europæ fastidiosæ: quamquam neque hîc deerunt sua fastidiorum remedia ex pervetustis ipsorum libris ac monumentis hinc inde studiosè deprompta; necnon annalium gentis hujus, quos operi adjicere placuit, Chronologica & Genealogica Tabula. Vale & Deo Opt. Max. Sinam commenda, quæ, sive spectes ejus magnitudinem gentisque multitudinem, sive morum ac indolis maturitatem, & præstantia ab Authore Naturæ iis indita lumina, non indigna fortè videbitur, ad cujus conversionem & salutem æternam promovendam, tota sese impendat & superimpendat Europa.

PHILIPPUS COUPLET Societatis JESU
Sinensis Missionis in Urbem Procurator.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Digitized by Google

Digitized by Google



夫子 CVM FV ÇV *siue* CONFVCIVS, *qui et honoris gratiâ* 仲尼 CHVM NHIJ *dicitur, Philosophorum Sinensium Princeps; Oriundus fuit ex oppid*
IO FEV *Prouinciæ* XAN TVM. *Patrem habuit* XO LEAM HE *Praefectum* ÇEV *ditionis, Matrem* CHIM *dictam e prænobili jenfamili*
atus est autem Imperantis LIM VAM (*qui fuit e tertiâ* CHEV *domo Imperiali Princeps 23*) *anno primo et vigesimo, et ante Christum 551. dis*
los numerauit ter mille, quos inter eminebant duo et 70, et hos inter rursus decem selectissimi, quorum nomina in tabellis inscripta, Visuntur in Imper
mnasijs. post irritos conatus et labores desperatâ temporum Suorum et principum reformatione, migrauit e vita anno æt. 73 et KIM VAM *Imperatoris*
5te anno 49o. huius prosapia non interruptâ serie propagata, hoc anno 1687. quo Nepos ordine 68 in natali Confucij Sede cum Ducis titulo residet,
mputat annos 2238.

A Paris. Chez Nolin Rue S. Iacques A L'Enseigne de la Place des Victoires. Auec Priuilege du Roy.

Digitized by Google

PHILOSOPHORUM SINENSIUM PRINCIPIS CONFUCII VITA

CUM FU CU, *sive* Confucius *quem Sinenses uti Principem Philosophiæ suæ sequuntur, & colunt, vulgari vel domestico potius nomine* Kieu *dicto; cognomento* Chum nhi, *natalem habuit sedem in Regno* Lu, *(quod Regnum hodie* Xantum *dicitur) in pago* çeu ye *territorij* Cham pim, *quod ad civitatem* Kio feu *pertinet; hæc autem civitas paret urbi* Yen cheu *dictæ. Natus est anno 21. Imperatoris* Lim vam. *Fuit hic tertius & vigesimus è tertia Familiâ, seu domo Imperatoria,* Cheu *dicta, cycli 36. anno 47.* Kem sio *dicto; secundo item & vigesimo anno* Siam cum *Regis, qui ea tempestate Regnum* Lu *obtinebat: die 13. undecimæ lunæ* Kem-çu *dictæ, sub horam noctis secundam, anno ante Christi ortum 551. Mater ei fuit* Chim, *è Familia prænobili* Yen *oriunda; Pater* Xo leam he, *qui non solum primi ordinis Magistratu, quem gessit in Regno* Sum, *sed generis quoque nobilitate fuit illustris; stirpem quippe duxit (uti Chronica Sinensium testantur, & tabula genealogica, quæ annalibus inseritur, perspicuè docet) ex 27. sive penultimo Imperatore* Ti ye *è 2. familiâ* Xam. *Porro natus est* Confucius *Patre jam septuagenario, quem adeo triennis infans mox amisit; sed Mater pupillo deinde superstes fuit per annos unum & viginti, conjuge in monte* Tum fam *Regni* Lu *sepulto. Puer jam sexennis præmatura quadam maturitate, viro, quam puero similior, cum æqualibus nunquam visus est lusitare: Oblata edulia non ante delibabat, quam prisco ritu, qui* çu teu *nuncupatur, cœlo venerabundus obtuliset. Annorum quindecim adolescens totum sè dedere cœpit priscorum libris evolvendis, & rejectis iis, quæ minus utilia videbantur, optima quæque*

documenta ſelegit, primum expreſſurus ea ſuis ipſe moribus, deinde aliis quoque ad imitandum propoſiturus. Non multo poſt, unà cum Mem y çu & Nan cum kim xo *ad ritus civiles addiſcendos ſe contulit. Decimo nono aut, ut alii, 20. ætatis anno duxit uxorem, quæ unica illi fuit* Kien quon xi, *ex qua ſequenti mox anno ſuſcepit filium* Pe yu; *ſed hoc deinde jam quinquagenario, cum ipſe 69. annos natus eſſet, orbatus eſt, uxore tribus ante annis amiſſâ: Haud quaquam tamen cum filio ſtirps omnis extincta eſt, ſed per nepotem* çu ſu, *qui avitæ laudis, ac Philoſophiæ ſtudioſus, avi ſui libros commentatus eſt, & magnis in Imperio muneribus perfunctus, perpetua poſterorum ſerie cum non vulgari tam opulentiâ, quam dignitate, ad hæc uſque tempora perſeverat.*

Variis in locis Magiſtratum geſſit Philoſophus magna cum laude: curas vero hujuſmodi ac dignitates, non alio fere ſtudio admittebat, quam publicæ utilitatis, & ſpe propagandæ doctrinæ ſuæ: qua quidem ſpe ſi forte falli ſe videret, ultro ſcilicet Magiſtratu ſeſe abdicabat. Hujus rei cum aliàs ſæpè, tum vero 55. ætatis ſuæ anno illuſtre teſtimonium dedit; cum enim in Regno Lu Mandarinum *ageret (loquor hic more Luſitanorum à quibus in hoc Oriente* Mandarini *vocantur, qui publicas res inter Sinas adminiſtrant) tanta legum obſervatio, rerumque, & morum tam felix converſio trimeſtri ſpatio mox conſecuta eſt, ut jam vicini Reges, æmulique invidiâ, metuque aliquo tenerentur, haud ignari, Reſpublicas non aliâ re felicius conſervari, & creſcere, quam diſciplina, legumque obſervatione: finitimi ergo Regni quod* çi *dicebatur Rex atque optimates tam præclaræ æmulorum gubernationi ſtructuri inſidias, donis eas, ut fit, tegunt: puellas forma, canendi gratiâ, aliiſque dotibus præſtantes dono mittunt Regni* Lu *Regi. Rex ignarus inſidiarum doloſum munus admittit, capitur illico muliercularum gratiâ: capiuntur & proceres, ſic prorſus, ut ad trimeſtre totum, dum novis illis deliciis indulgeretur, negotia ceſſarint publica, & Regis adeundi via præcluſa fuerit: Non tulit hoc* Confucius: *Renuntiat muneri, relinquit aulam, atque ad Regna* çi, guei, & çu *ſponteneus exul contendit: verum nec hi bono, quod aliis inviderant, frui noverunt: Non admittitur Philoſophus, qui adeo coactus petere Regnum* Chim, *hîc ad extremam victûs quoque penuriam redigitur: Nec multo poſt, dum Regnum* Sum *peragrat, à quodam* Huon tui *præpotenti viro, ſed inſigniter improbo non ſemel ad mortem conquiſitus eſt, ipſe interim tot ærumnas inter, atque diſcrimina ſui ſemper ſimilis, invicto ſemper animo, & pro cauſa tam bona, vitam quoque ponere paratus: Quamquam fretus ipſe rectè factorum conſcientiâ, præſidioque cœleſti, rurſum negabat, quemquam ſibi nocere poſſe, ſiquidem eſſet ea virtute inſtructus, qua ipſi cœlo inniteretur. Ardens, atque indefeſſum ſtudium divulgandæ per totum Imperium ſanioris doctrinæ ad extremum uſque ſpiritum non remiſit; cumque viri ardor patriis finibus ægre contineretur, non ſemel de navigando mari, terriſque remotioribus adeundis cogitavit.*

Digitized by Google

Discipulos numeravit 3000. ex iis omnino quingentos extitisse memorant, qui variis in Regnis Magistratus gesserint: qui præ ceteris autem virtute litterisque eminerent, duos & septuaginta fuisse, quorum adeo nomina, cognomenta, & qua quisque patriâ sit oriundus, memoriæ proditur. Quatuor doctrina suæ ceu gradus, totidemque discipulorum ordines, constituebat. Supremus ordo in excolenda virtutibus animo ponebat studium; & in hoc quidem ordine primas ferebant Min çu Kien, Gen Pe Nieu, Chum cum, *ac denique* Yen yven *charus præ omnibus, Magistro discipulus, cujus immaturum funus (obiit quippe primo & trigesimo ætatis anno) contineuter lugebat. Proximus ordo ratiocinandi, dicendique facultati dabat operam; hujus Principes erant* çai ngo & çu cum. *Tertius agebat de regimine politico & probè gerendis muneribus publicis; excellebant hic* Gen yeu & Ki lu. *Quarti denique & postremi ordinis labor, atque occupatio hæc erat, ut quæ ad mores spectabant, apto, venustoque stylo declararent, quod duo* çu yeu, & çu hia *præcipua cum laude præstabant. Atque hi quidem inter duos & septuaginta, decem erant selectiores discipuli, & flos scholæ* Confucianæ. *Omne studium ac doctrina Philosophi eo collimabat in primis, ut naturam ignorantiæ tenebris offusam, vitiisque depravatam revocaret ad pristinam lucem atque integritatem, cum quâ ab ipso cœlo conditam asserebat: Ex quo deinde clemens, & æqua rerum administratio, adeoque felix, & maximè pacatus Imperii status consequeretur; quò autem certiùs attingeretur hic scopus, volebat omnes, obsequi cœlo, ipsumque timere, & colere; amare proximum sicut seipsum, vincere se, atque appetitus suos subdere rationi, nec quidpiam agere, dicere, vel etiam cogitare, quod ab hac esset alienum. Porro quæ scripto verboque præcipiebat, primus ipse moribus exprimebat, ac vita, cujus rei testimonium satis luculentum præbere potest tantus tot illustrium virorum numerus, qui in disciplinam ejus se contulerunt, & eorum qui quæcumque gessit, dixitque, quamvis minutissima, ceu oculati testes, posteritati prodidere: ad hæc constans ille favor tot Principum, tantus tot sæculorum honor (de quo mox agemus) argumento esse potest, virtutem sane fuisse Philosopho, non meram speciem fucumque virtutis. Quid? quod nostris temporibus haud defuerint è Litteratorum ordine, qui vel amplexi jam Religionem Christianam, vel hujus integritate sanctitateque probe cognitam perspectâ, non dubitanter affirmarunt, sperari posse Philosophum suum, si quidem vixisset ætate nostra, primum fuisse futurum, qui ad Christi legem transivisset. Certè quemadmodum sectatores ejus tradunt, mira quædam fuit viri gravitas, & corporis animique moderatio, fides, æquitas, lenitas singularis. Severus erat ac pervigil sui ipsius observator, ac censor: Contemptor opum, honorumque, hoc agens unum studio prorsus indefesso, ut doctrinam suam quamplurimis mortalium impertiret. Quod autem in eo vel maximè suspicimus Europæi, & in nostratibus quidem priscæ ætatis Philosophis desideramus, tanta fuit animi demissione* Confucius,

ut non ſolum de ſe ſuiſque rebus admodum modeſtè loqueretur, ſed ultro quoque & palam argueret ſeſe, quod nec in diſcendo (ut aiebat) eſſet impiger, nec conſtans in docendo, neque eâ, quâ par erat, vigilantiâ vitiorum ſuorum emendationi, & ſtudio virtutum exercitioque operam daret. Certiſſimum vero argumentum modeſti, ſincerique animi tum dedit, cum palam ingenueque profeßus eſt doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed Priſcorum, in primis Yao & Xun *Regum & Legiſlatorum, qui ipſum mille quingentis, eoque amplius annis anteceſſerant. Cum itaque non deeſſent, qui cum ſapientia natum eſſe opinarentur, adeoque & prædicarent, perægre id ferebat, & diſertè negabat, ad gradum perfectæ conſummataeque virtutis, aut ſanctitatis pervenire ſe poße. Dicere identidem ſolitus (ut à Sinenſibus traditur)* Si fam, Yeu Xim gin, virum ſanctum in Occidente exiſtere, *quod ipſe de quo, quove ſpiritu pronuntiarit, incertum eſt. Hoc certum anno poſt (chriſtum natum 65. Imperatorem* Mim ti (*fuit is è quinta Familia* Han *decimus ſeptimus*) *motum verbis Philoſophi, magis etiam oblata ſibi per ſomnum ſpecie ſancti ex occidente Heroïs; cum ipſimet ire, non eſſet integrum, miſiſſe* çai cim & çiu kim *legatos ſuo nomine occaſum verſus, inibi virum ſanctum & S. legem quæſituros; qui quidem cum ad inſulam quandam appuliſſent, quæ non procul diſtabat à rubro mari, non auſi longius procedere, idolum quoddam, & ſtatuam hominis* Fœ *dicti (qui quingentis circiter annis ante* Confucium *in India floruerat) necnon execrabilem ipſius legem in hoc Imperium retulerunt: felices, æternumque de patria ſua bene merituri, ſi pro hac peſte, ſalutarem Chriſti doctrinam, quam per eadem tempora Thomas Apoſtolus apud Indos propagabat, reportaſſent. Sed enim felicitas humana, & quæ hinc naſcebatur ſuperbia gentis opulentæ, potentis, & florentiſſimæ; veræ felicitati, tunc, ut opinor, aditum obſtruxerat. Sinenſes ergo, cum idola jam magis magiſque venerarentur, nec ſine exemplo quorumdam regum qui prorſus impenſe novam ſuperſtitionem ſectati ſunt, paulatim ſcilicet diſceſſerunt à genuina Magiſtri ſui doctrina, & præclaris inſtitutis Priſcorum; ac tandem in contemptum Religionis omnis, verumque Atheiſmum ſunt prolapſi: In hunc porro litteratos & acutiores quoſque ccu manuduxit doctrina illius ipſius* Fœ, *ſeu* Xe kia, *qui rudi vulgo idololatriæ Magiſter extitit: Duplicem quippe perditiſſimus impoſtor iſte atque Atheorum Princeps doctrinam reliquit; alteram, qua rerum omnium principium finemque* nihil *eſſe docet, quam qui ſectantur, Athei ſunt & arcanam atque interiorem vocant; alteram quæ exterior dicitur, atque illius adumbratio quædam eſt, ad vulgi & rudiorum ferè captum & ſuperſtitionem accommodata. De* Confucio *tamen dubitari non poteſt quin ab hac, & illa peſte immunis fuerit; idolorum certè cultorem fuiſſe, ne illi qui vitio temporis idola jam venerantur, affirmare auſint: ab Atheiſmo verò quàm fuerit alienus, non ipſe tantum, ſed priſca Sinarum ætas omnis in explanatione lib.* Chum yum *declaramus. Migravit è vita* Confucius

cius *anno ætatis* 73. *lunâ* 4. Ki cheu *vulgo dictâ*, *anno* (*cui* gin ſio *nomen*) *quinquageſimo nono Sinenſis cycli trigeſimi ſeptimi. Erat hic annus primus & quadrageſimus Imperii* Kim vam, *vigeſimi quinti è Familia* Cheu *Imperatoris : quo etiam tempore Regulus* Ngai cum *patrium Philoſophi Regnum* Lu *dictum, annum jam decimum ſextum moderabatur. Paulò antè quàm morbo, qui ſupremus ei fuit, corriperetur, lugens ſuorum temporum perturbationes, hunc verſum cygnæâ voce concinere auditus eſt :* Prægrandis mons (*doctrinam ſuam intelligebat*) quo decidiſti ! trabalis machina everſa eſt : ſapientes, & ſancti exaruere. *Mox inde languere incipiens, ſeptimo die ante mortem, ad diſcipulos ſuos converſus :* Superiori nocte, *inquit*, per ſomnium viſa mihi ſunt in aula juſta fieri. Reges, quæ doceo, non obſervant : Ecquis horum per Imperium noſtrum inſtituti mei ſectator & cultor eſt? hoc unum ſupereſt, ut moriar. *Hæc effatus lethargo corripitur, & cum totos ſeptem dies dormientis inſtar perſtitiſſet, tandem vivere deſiit. Sepultus eſt in* Lu *patrio Regno (domum quippe cum diſcipulis ſuis ſeſe contulerat) prope civitatem* Kio feu, *ad ripam fluminis* Su *in ipſa Academia ſua, in qua docere conſueverat, quæ hodie quidem muris, veluti civitas, cincta cernitur. Luxerunt inibi Magiſtrum ſuum diſcipuli habitu lugubri, multaque cum inedia, & lachrymis, non ſecus ac filii parentem ; idque per annum totum ; nec defuerunt qui ad annos omnino tres, perſtiterunt*, cu cum *vero ſex ipſos annos, in eodem loco, luctuque perſtitit. Fuit admodum procero corpore Philoſophus, & ſi fas eſt Sinis credere, giganteo ; & cui lati humeri, pectuſque amplum, decorem conciliabant, ac majeſtatem : In ipſo vertice capitis grandiuſculus ei tuber erat, quare à Patre ſuo* Kieu, *id eſt*, colliculus, *cujus ſpeciem aliquam præbebat tuber, nominatus eſt, quo ipſo nomine vir modeſtus identidem quoque ſeſe compellabat. Facies ei lata, ſubfuſcus oris color, oculi nigri, ac prægrandes, capillus niger, barba promiſſa, naſus ſimus, vox gravis, ac tonitrui inſtar, ut Sinæ tradant.*

Porrò quantum honoris per annos bis mille eoque amplius, detulerit Magiſtro ſuo, aut potius lucubrationibus ejus & doctrinæ grata Sinarum poſteritas, pro me loquantur quotquot Imperio toto ad dignitates, & munia publica præſidio litterarum ſunt evecti : qui omnes utique fatentur à Confucii *in primis ſcholâ, & libris, è quibus ad gradum examinantur, opes, honores & illuſtre ſibi nomen obveniſſe. Loquantur item ſingulis in oppidis, urbibuſque erecta viro, ac dicata gymnaſia, ante quorum fores quotieſcumque tranſeunt, qui è litteratorum ordine publicos gerunt magiſtratus, protinus è ſublimi auguſtaque ſella, in qua more gentis geſtantur, venerabundi deſcendunt, & paſſus aliquot pedites viam ſuam proſequuntur. Loquantur denique tituli ſane honorifici, qui in iis gymnaſiis, quæ modo dicebamus, cernuntur trabalibus, auratiſque litteris exarati,* Magno Magiſtro, Illuſtri litterarum Regi, ſancto, ſeu (*quod apud*

ipsos idem est) eximia quadam sapientiâ ornato, *aliisque similibus; quibus hunc gentis suæ Doctorem Imperatores Familiarum* Han, Sui, Tam, Sum, Yven (*fuit hæc Tartarorum occidentalium*) *tantum non supra laudes humanas evexerunt. Quamquam illius familiæ (quæ hodiernam Tartarorum orientalium* Cim *proximè antecessit)* Mim *dictæ Fundator vetuit ritu Regio honores deferri* Confucio, *in eo dumtaxat permisso, quo olim solebat memoria* Sien su, *hoc est, vita functi Magistri celebrari; atque adeo non cum aliis muneribus, quam, quibus eos, dum viverent, discipuli sui prosequi consueverant: ad hæc in Gymnasiis statuas* Confucii, *aut discipulorum erigi vetat (* neque enim, *inquit,* eodem ritu quo reliqui Spiritus, aut idola, honorandi sunt) *sed solas tabellas, quibus tituli & nomina singulorum inscripta sint, mandat exponi: sunt igitur tabellæ funebres istæ signa merè memorativa Magistrorum (* & *eadem est ratio de tabellis majorum) ne vitâ functorum de litteris bene meritorum, aut parentalis familiæ pia memoria apud posteros intermoreretur: neque magis erroris cuipiam gignendo tabellæ hujusmodi obnoxiæ, quam nostræ Europæorum tabulæ, quæ nobis vivas avorum effigies venustissimè depingunt, quas amicis & hospitibus ostendentes hunc avum, illum Doctorem nostrum, haud dubitanter & venerabundi quoque dicimus. Quocirca nec offendi nos oportet, licet videamus Sinas ante tabellas istas curvare poplitem more inter Sinas usitatissimo, non magis quam offendimur, si Europæum quempiam, dum is fortè ante patris aut Regis sui effigiem transit, caput aperire videremus, quemadmodum nuper vidimus D. D. Legatos Regni Sinensis, quotiescumque ante imaginem MAGNI LUDOVICI transibant, gradum illicò sistere, junctisque in altum manibus, eas cum totius corporis inclinatione demittere veluti ad pedes tantæ majestatis: Etenim planè civiles sunt honores ac ritus illi* Confuciani; *qui adeo non in Templo, fanove idolorum (quod lege Imperatoriâ vetitum est) sed in gymnasio, qui locus tantum litteratis patet, exercentur, à litteratæ facultatis præfectis, quos inter etiam sunt Mahometani (ut de atheopoliticis non loquar) qui nec divini aliquid hîc agnoscunt, & superstitiones Gentilium atque idola detestantur. Imo si loquamur de litteratis idololatriæ Toxico à teneris jam afflatis (cujusmodi sunt infimæ sortis homines) cum jam tempus appetit examinis subeundi ad gradum aliquem obtinendum, vel ii domesticos suos penates prius consulunt, & horum Numen & opem implorant, vel optati successûs gratiâ publica demoniorum fana supplices adeunt, nequaquam verò cogitant de adeundo gymnasio* Confucii, *quem uei* Pu sa *(nomen hoc est idolis commune) habere aut nominare, aut ab eodem aliquid petere, aut sperare, apud ipsos inauditum est & inusitatum.*

Quod vero magis confirmat ritus illos Confucianos *merè esse politicos ex eo patet, quod non tantum in iisdem gymnasiis tabula* Confucii *oblongior (quam duorum & septuaginta Discipulorum tabellæ utrimque ambiunt) sit collocata, sed & alii Sapientes & probi (de quorum doctrina,*

Digitized by Google

& in geſtis Magiſtratibus integritate & fide, multorum teſtimoniis authentice probata per Prætores Provinciarum Imperatori conſtiterit) in album quoq; & numerum diſcipulorum Confucii *publico diplomate & favore regio uſque in hodiernam diem accenſentur; eorumque nomina tabellis inſcripta, ibidem cum cæteris collocantur, quod equidem maximo ſibi ducunt honori filii & nepotes, quando ipſi præfectos urbium cum muneribus ad gymnaſium ſtatis anni temporibus comitati, ſuis avis ac parentibus, tanquam de imperio optime meritis, publicam honoris ſignificationem, genibus flexis & capite in terram inclinato coram omnibus exhiberi conſpiciunt.*

Una tamen extat in natali ſolo imago Philoſophi, vivæ ac ſpiranti non modo ſimilis, ſed re ipsâ ſpirans, ac viva; Nepos ille videlicet, cujus ante jam meminimus; quem adeo propter avi quamvis intervallo bis mille ducentorum & amplius annorum, & octo ſupra 60. generationibus jam remoti memoriam, ſummi pariter infimique colunt, ſic prorſus, ut eum, cum aulam de more adiiſſet, Xun chi *Monarchiæ Tartaro-Sinicæ conditor perhonorificè exceperit, excipiatque, qui modo imperat* Cam hi *Imperator. Gaudet ipſe perpetuo, & hereditario* cum, hoc eſt, ducis *titulo & dignitate, raro item privilegio, neque ullis præterquam Regii ſanguinis Principibus conceſſo, ut Imperatori nullum vectigal pendat: ad hæc quotquot ſingulis trienniis ad Doctoris gradum evehuntur, pignus aliquod grati animi, & quaſi Minervæ, quod avo non poſſunt, nepoti perſolvere conſueverunt. Quod autem merito laudemus, ac ſuſpiciamus etiam nos Europæi; cum China fortunæ varietatem ſanè magnam ſit experta, cumque tot bellorum caſus, & calamitates ſubierit, tot ortus viderit, interituſque familiarum, penes quas erat rerum ſumma; nunquam tamen honores quos memoravi, grateque poſteritatis erga* Confucium *monumenta ſunt interrupta; ſi tamen paucos annos exceperimus, quibus tertio poſt ſeculo quàm Philoſophus obiit,* çin xi hoam ti *ſecundus è familia* çin *quarta Imperator, non in libros tantum, ſed etiam litteratos barbarè, crudeliterque ſæviit. Cæterum cum hujus morte littera mox revixerunt, & iis honorum incrementis, quæ ſub Tartaris quoque ſpectamus hodie,* Confucii *nomen & fama crevit.*

Quis vero in hujuſmodi honoribus & titulis poſthumis hîc finis ſit atque intentio non alibi clarius, quam ex unico, inter cætera, teſtimonio conſtabit ipſius è Min *familiâ præcedenti Imperatoris ordine tertii* Yum lo *dicti. Hic aditurus honoris gratiâ* Confucii *gymnaſium, decretum edidit, quod ſic habet:* Ego veneror *Confucium* Imperatorum & Regum Magiſtrum. Imperatores & Reges Domini ſunt Populorum. *Confucius* autem rectam Populorum inſtitutionem propoſuit, tria illa (*videlicet*) vincula (*quæ ſunt Regem inter & ſubditos, parentes & filios, maritum & uxorem*) normam item quinque univerſalium virtutum (*pietatis, juſtitiæ, prudentiæ, fidelitatis, civilitatis*) & Sinenſis Imperii magnam ſymmetriam & formam: Omnia hæc,

Digitized by Google

inquam, Confucius declaravit, ut omnia sæcula erudiret. Convenit igitur personam meam pergere ad magnum gymnasium & munera offerre vitâ functo Magistro, eo consilio & intentione, ut litteratos honorem & doctrinam magnifaciam.

Intelliget ex his omnibus prudens Lector, quam non inutilis futura sit Evangelico præconi viri hujus authoritas, siquidem ea apud hanc gentem quæ Magistri sui, & litterarum suarum usque adeo studiosa est, uti quandoque possit (& vero potest) ad Christianam veritatem confirmandam; quemadmodum videmus Apostolum Gentium Poetarum Græcorum authoritate olim apud Athenienses fuisse usum.

Unum tamen hic sollicitè cavendum nobis, posito semper ante oculos eorum exemplo, qui Missionem hanc cum singulari virtute prudentiaque fundatam nobis reliquere, ut apud Sinas admodum moderatè commendemus ac laudemus Confucium, *ne testimonio nostro atque authoritate, æstimatio hominis, doctrinæque ejus, quæ justo propè major est, immodicè prorsus augescat, maximè apud gentem, natura sane superbam, & aliena fere præ suis contemnentem. Multo magis tamen cavendum nobis erit, ne verbo scriptove damnemus, aut lædamus eum, quem tota gens tantoperè suspicit, ac veneratur, ne huic odiosi reddamur, non nos ipsi tantùm, sed ipsemet, quem prædicamus, Christus; & dum forte contemnimus aut condemnamus eum, qui tam consentanea rationi docuit, quique vitam ac mores cum doctrina sua conformasse creditur, videamur nos Europæi, Sinis saltem, non tam cum Magistro ipsorum, quam cum ratione ipsa pugnare velle, & hujus lumen, non autem* Confucii *nomen extinguere.*

Digitized by Google



SCIENTIÆ SINICÆ.

LIBER PRIMUS.

LIBER hic, Authore *Confucio*, Commentatore *çem-çu* ejuſdem ſecundo diſcipulo, publicam lucem videre cœpit. Eſtque incipientium tum ad ſapientiæ, tum virtutis adytâ quoddam quaſi oſtium ac primum limen. Ejus Argumentum triplex eſt; ſui ipſius primùm, deinde aliorum recta inſtitutio ac regimen; tum denique in ſummo bono quies, atque, ut ita dicam, conſiſtentia. Cæterum quia Author triplicem hanc doctrinam Principibus Viris, ac Magnatibus, qui ſubjectos ſibi populos ac Regna moderantur, commendatam in primis voluit, hinc Tá-Hiŏ, Magnæ Scientiæ nomen accepit.

Nota. *Latinam hujus operis verſionem eſſe ad litteram, quæque numeris ſuis diſtincta, phraſi, & textui Sinico, necnon characteri (qui ſeorſim imprimetur) ordinique ad amuſſim reſpondet. In reliquis verò eſt explanatio interpretum, & præcipuè* Cham *Colai & Magiſtri Regii.*

f. 1. p. 1. §. 1.

1. MAGNUM adeóque virorum Principum, [2] ſciendi [3] inſtitutum [4] conſiſtit in [5] expoliendo, ſeu excolendo [6] rationalem [7] naturam à cœlo inditam; ut ſcilicet hæc, ceu limpidiſſimum ſpeculum, abſterſis pravorum appetituum maculis, ad priſtinam claritatem ſuam redire poſſit. [8] Conſiſtit deinde in [9] renovando ſeu reparando [10] populum, ſuo ipſius ſcilicet exemplo & adhortatione. [11] Conſiſtit demùm in [12] ſiſtendo firmiter, ſeu perſeverando [13] in ſummo [14] bono: per quod hîc Interpretes intelligi volunt ſummam actionum omnium cum rectâ ratione conformitatem. Atque hæc tria ſunt, ad quæ reliqua hujus libri reducuntur.

Digitized by Google

In nullo Sinarum Vocabulario litteram hanc [9] *Sin dici, aut novitatem significare invenies; adeóque sola Interpretum auctoritas ac beneplacitum hoc ei nomen & significatum indidit. Nam proprie çin dicitur*, amare parentes, propinquos, *significat; quo sensu, si & hoc loco eam accipias, Authoris textum adeo non vitiabis, ut contra maxime Christianum effecturus sis.*

p. 2. §. 1.

1. COGNITO semel fine, seu in-[2]quo-ultimo-sistere oporteat; [3] tum [4] deinde [5] habebis [6] determinationem seu stabilieris, & tecum ipse statues eumdem persequi. [7] determinatus & stabilitus ubi fueris, [8] tum [9] deinde [10] poteris [11] acquiescere illi determinationi. huic ubi [12] acquieveris, [13] tum [14] deinde [15] poteris firmare-[16] animum, seu in quieta hac mentis statione ita firmus consistere, ut nihil vel prosperi vel adversi dejicere inde te valeat. [17] firmato sic animo, [18] tum [19] deinde [20] poteris meditando [21] discurrere, ac dispicere clare res omnes & negotia quæ sese offerent, sanumque de illis judicium ferre, suis singula ponderibus librando. Ubi usus hoc [22] discursu perspecta penitus habueris omnia quæ occurrerint, [23] tum [24] deinde tuo potitus desiderio [25] poteris [26] assequi eum in quo sistas finem, nimirum summam actionum tuarum omnium cum rationis dictamine conformitatem.

§. 2.

HIC paragraphus continet superiores duos, & quis ordo in supra dictis tenendus ostendit, cum ait; [1] res (expolire scilicet suam ipsius naturam rationalem, ac renovare populum) [2] habent magis-[3] principale, ut arbor radicem, & minus-[4] principale, ut arbor ramos. Postquam enim sua ipsius natura rationalis, seu animus bene expolitus & excultus fuerit, tum deinde recte institui regique poterit etiam populus: quemadmodum in arbore, postquam ipsa radix succo plena fuerit, tum deinde eumdem etiam in ramos diffundet. [5] Actiones itidem illæ quæ sunt cognoscere ubi sistendum, assequi finem, in hoc sistere, &c. [6] Habent [7] finem suum & [8] principium; seu primum, à quo ordiri, & ultimum, in quo terminare oporteat. Postquam enim investigavero, adeoque cognovero eum, in quo sistendum est, finem, tum deinde potero hunc assequi, & hîc sistere. Assequi igitur, finis est, cognoscere, principium. Itaque si hunc rationi consentaneum rerum & actionum ordinem recte [9] noveris, [10] quæ scilicet [11] præponenda, quæ [12] postponenda; tum [13] enimvero teipsum & populum optime institues regesque, probe item scies, & reipsâ assequêris, in quo tandem sistas, summum bonum, adeoque quam-[14]-proxime-accedes ad magnum illud Virorum Principum sciendi-[15]-institutum.

Digitized by Google

§. 3.

IN præſenti paragrapho Author ab enumeratione partium docet quænam ſint illa magis minuſque principalia, quid prius ſit, quid poſterius; quid radix, quid rami, &c. [1] Priſci [2] volentes [3] expolire [4] naturam [5] rationalem [6] in [7][8] imperio, ſeu volentes ut totius Imperii populus haberet, quo naturam ſuam rationalem expoliret; ipſi prototypon futuri, [9] prius recte-[10]-adminiſtrabant ſuum [11] ipſorum privatum [12] Regnum; exemplo ſuo procurantes ut & ſubditi ſui naturam rationalem bene expolirent atque excolerent; gradum hac ratione facientes à propiori, id eſt, Regno ſuo privato, ad remotius, id eſt, ad totum Imperium, privati quippe Regni inſtitutio, radicis inſtar eſt, ex qua felix Imperii adminiſtratio ſuccreſcat. (*Hîc adverte, Sinas binis his litteris* tien hiá, *id eſt*, quod ſub cœlo eſt, *paſſim notare Imperium ſuum Sinenſe; quaſi eo uno hic terrarum orbis terminaretur, adeò ſcilicet, præter minora aliquot Barbarorum, ut vocant, Regna terris ſuis adjacentia, terrarum præterea nihil ipſi hactenus noverant, aut ſi fortè noverant, in cenſum cum hoc ſuo Imperio venire non poſſe exiſtimabant.*

[13] Volentes autem recte-[14]-adminiſtrare [15] ſuum [16] Regnum ſeu bene inſtituere privati Regni ſui populum; [17] prius item recte-[18] inſtituebant [19] ſuam [20] familiam domeſticam, ut ſcilicet ideam haberent, juxta quam deinde bene inſtituerent regerentque totius Regni populum: Regni enim recte adminiſtrandi radix, magiſque principale, eſt familia domeſtica recte inſtituta. De hujus itaque inſtitutione prius laborandum eſt Principi. Rursùm [21] volentes recte-[22] inſtituere [23] ſuam [24] familiam domeſticam [25] prius recte-[26]-componebant, ſeu excolebant ſuum-[27] ipſorum [28] corpus (quo nomine perſonam intellige) tanquam normam atque exemplum, ad quod bene deinde inſtituerent domeſticos ſuos. Nam rectè inſtituendæ familiæ radix, magiſque principale, eſt propria perſona rectè compoſita probiſque moribus exculta. Jam verò [29] volentes recte-[30] componere [31] ſuum [32] corpus, ſeu externum totius perſonæ habitum, [33] prius [34] rectificabant [35] ſuum [36] animum, perdomando ſcilicet, recteque moderando ejus affectiones & appetitus, utpote quæ animum à genuinâ ſuâ rectitudine avertere, ad quævis vitia inclinare ac deprimere ſolent; rectæ enim compoſitionis exterioris, ſive corporis rectè compoſiti radix, magiſque principale, & quod prius procurandum, eſt affectionum animi & appetituum recta moderatio. Hanc igitur priùs cordi habeat quiſquis externam perſonæ ſuæ compoſitionem cordi habet. [37] Volentes autem [38] rectificare [39] ſuum [40] animum, [41] prius [42] verificabant, ſeu veram, ſinceram, ac ab omni fallaciâ fictioneque immunem reddebant [43] ſuam [44] intentionem, ſive voluntatem, id eſt, eò uſque moderabantur & perpurgabant voluntatem

ſuam & intentionem, quoad ab omni fuco aliena, reverâ nihil vellet, niſi quod verè honeſtum ſimul ac utile eſſet, reverà nihil nollet, niſi quod turpe eſſet ac pernicioſum. Adeoque rectificandi animi radix, magiſque principale, & quod priore loco curandum eſt hæc intentionis noſtræ veritas. Ideò auctor dicit, eumqui velit rectificare animum ſuum, prius in veritate ſolidare debere intentionem ſuam. Porrò [45] volentes [46] verificare [47] ſuam [48] intentionem, [49] priùs [50] perficiebant, & ad ſummum quem poterant apicem perducebant [51] ſuum [52] intellectum, ſeu potentiam intellectivam, ita ut nihil hæc non haberet perſpectum. Adeóque conſummata ejuſmodi intellectûs perſpicacia radix eſt, & magis principale verificandæ intentionis noſtræ, ac voluntatis in veritate ſolidandæ. Et hoc eſt, quod vult Author cum dicit, eum qui vult verificare intentionem ac voluntatem ſuam, priùs debere perficere intellectum ſuum; nihil enim volitum quin præcognitum. Ad extremum hac ratione [53] perficere, ſeu ad ſummum apicem perducere vim [54] intellectivam, conſiſtit in penetrando, ſive exhauriendo res omnes, ſeu rerum omnium rationes. Cùm autem pro rerum entiumque diverſitate, diverſæ item ſint rationes cognoſcendi, quas Philoſophi cognoſcibilitates appellant; & modus cognoſcendi ſecundùm eoſdem ſequatur modum eſſendi: utique tum demùm ad ſcientiæ ſeu cognitionis apicem perveniſſe vis intellectiva cenſebitur, quando rerum omnium rationes ac eſſentias ſecundùm omnem cognoſcibilitatem ſuam (quantum vires humanæ ferent) exhauſerit. Atque hoc eſt quod Auctor dicit, perficere, ſeu ad apicem perducere vim intellectivam, conſiſtere in comprehendendo, & quodammodo exhauriendo rerum omnium rationes.

• *Ex his octo ſuprà enumeratis, quinquè poſtrema, nimirùm, penetrare intimè res omnes, ad apicem perducere vim intellectivam, verificare intentionem, rectificare cor, rectè componere propriam perſonam; ſunt id, in quo conſiſtit ille naturæ rationalis cultus & expolitio quæ unicuique quoad ſeipſum in primis curæ eſſe debet. Recte autem inſtituere familiam, recte adminiſtrare Regnum, expolire naturam rationalem ſubditorum in toto Imperio, ſunt id, in quo populi renovátio conſiſtit. Quæ, què debito & non præpoſtero ordine præſtiterit, is demùm naturam rationalem in ſemetipſo expolitam, & in populo renovatam, adeoque ſummum bonum, in quo tandem ſiſtat & conquieſcat, ex magnæ hujus ſcientiæ præſcripto aſſecutum ſe eſſe experietur.*

f. 2. p. 1.

NUNC Author, quò altiùs inculcet doctrinam ſuam ab infima omnium radice exorſus, uti modò gradatim quodammodo deſcenderat, ita viciſſim per ſuos rurſum gradus hîc aſcendens, [1] rebus (inquit) omnibus intimè [2] penetratis, ſeu exhauſtis,

tum

[4]tum [5] deinde vis-[6]-intellectiva [7] consummata erit & perfecta: vi-[8]-intellectivâ [9]consummatâ & perfectâ, [10]tum [11] deinde [12] intentio ac voluntas [13] verificabitur, id est, non errabit vel appetendo quod malum sit, vel fugiendo quod bonum: [14] intentione [15] verificatâ, [16] tùm [17] deinde [18] animus [19] rectificabitur, nullo pravo affectu à suâ rectitudine desciscens; [20] animo [21] rectificato, [22]tum [23] deinde etiam [24] corpus bene-[25]compositum erit, nihilque aget à decoro & morum probitate alienum. Propriâ-[26]personâ-seu-[27]corpore bene-[28]composito, [29] tum [30] deinde [31] familia-domestica illius exemplo bene-[32] instituta erit: familiâ-[33] domesticâ rectè-[34] institutâ, [35] tum [36] deinde etiam privatum [37] regnum rectè-[38]administrabitur: privato [39] regno sic bene-[40] instituto, [41] tum [42] deinde totum etiam [43][44] Imperium optimè institutum pace-[45] perfruetur. Ubi verificaveris intentionem, rectificaveris cor, rectè composueris propriam personam, jam expolitio naturæ rationalis obtinuerit finem suum in quo tandem sistat. Ubi denique rectè instituëris domesticam familiam, Regnum tuum privatum, ac demum universum Imperium; jam renovatio populi etiam obtinuerit finem suum in quo tandem sistat. Quæ omnia Author binâ illâ gradatione repetere datâ operâ voluit, ut scilicet eos, qui Magnam hanc Scientiam addiscere statuissent, doceret, certum in his omnibus ordinem tenendum esse, quem invertere aut contrahere non liceret.

p. 2. §. 1.

1. A [2] Cœli [3] filio seu Imperatore, [4] [5] usque [6] ad [7] plebeios [8] homines [9][10] una [11] omnes in rectâ-[12] compositione suæ ipsius [14] personæ [15] constituant oportet suum [16] principale. Quasi dicat: tametsi diversæ sint conditiones ac status hominum; quorum alii scilicet ad sceptrum, alii ad stivam nati sunt; commune tamen omnibus, tam summis quam infimis, debet esse studium excolendæ virtutibus propriæ personæ; nam penetrare res omnes, perficere vim intellectivam, verificare intentionem, rectificare cor; omnes hæ actiones sunt propriæ personæ rectè componendæ; ad quas deinde alia illa, nimirum familiæ domesticæ, privati Regni, ac totius demùm Imperii recta administratio consequetur: hoc posterius non omnibus commune, adeoque minus principale; primum illud omnibus omnino, ab ipso scilicet Imperatore ad infimam usque plebem commune sit oportet, magisque principale.

Nota. *Sinas binis hisce litteris* tien çu, *quæ Cœli Filium significant, Imperatorem suum denotare: credunt enim etiam Sinæ Regna & Imperia cælitùs conferri necnon auferri, ut patet ex variis Priscorum monumentis. Unde Imperatorem, asserunt, à Cœlo esse dicique* tien çu, *id est*, Cœli Filium; *quia est* tien hoe, *id est*, à Cœlo seu Cœlitùs obtentus, *peculiari scilicet privilegio.*

Digitized by Google

§. 2.

1. SUo [2] principali (id est, propriâ personâ) [3] perturbato seu neglecto, ut [4] tamen [5] secundarium, seu minus principale, id est, Familia, Regnum & Imperium rectè-[6] gubernetur, [7] nequaquam fieri potest; id est, quandoquidem propria persona sit, Familia, Regni, & Imperii fundamentum ac radix; utique hæc prius rectè componenda erit; nisi fortè velis aridâ jam radice adhuc arborem in frondes ac folia virescere. [8] Id [9] quod majoris-[10] momenti est, minoris-[11] facere; [12] ac [13] id [14] quod minoris-[15] momenti, majoris-[16] facere [17] non [18] est è rectâ ratione. Sensus est, tametsi viro Principi cordi & curæ esse debent subditi omninò omnes; debet tamen regiæ suæ Domui & priùs & impensiùs vacare; quosque adeò vel familiæ vel sanguinis ratio propiùs ei conjunxit, haud quaquam potest iis, quos conditio sua remotiores fecit, posthabere.

Atque hæc est ipsiusmet *Confucii* Sinarum Oraculi doctrina, Principum maximè Virorum institutioni accommodata; quæ in sui primùm, ac deinde in aliorum recto regimine, seu gemino cardine vertitur. In sequentibus *çem çu* ejusdem discipulus singula illa ex Magistri sui mente persequitur, priscorum Principum auctoritatibus & exemplis firmando ac illustrando.

f. 3. p. 1. §. 1.

PRima authoritas, qua, *çem-çu* utitur ad declarandam Magistri sui superiorem doctrinam de sui, aliorumque recto regimine, petitur ex vetusto libro à *vù-vâm* Filio Regis *vên-vâm* compositoin quo is patris virtutes celebrat; & *cam-xo* fratri suo exhibet. Itaque liber ille, [1] cam [2] caó dictus (qui & pars est Chronicorum Imperii *cheu*) [3] ait: [4] potuit ille, scilicet *vên-vâm*, [5] expolire suam naturam- [6] rationalem.

§. 2.

ALtera authoritas ex vetustiore etiam libro, *tái-kia* dicto, petitur, quem scripsit famosus ille *y-yn* Gubernator Imperii *xam*: hic enim cum videret *tái-kia* Nepotem Imperatoris *chim-tam* (conditor hic erat familiæ *xam*) degenerare ab avitis institutis, eum in sepulchrali hortò avi sui jussit ad triennium commorari. Cæterum hoc libello adhortatus eum est ad sectandas avi sui virtutes. Et verò resipuit, & ab hoc eodem *y-yn* reductus deinde ad Imperium fuit; quod diu ac feliciter, tanto usus Magistro & adjutore, administravit. Itaque liber hic [1] *tái* [2] *kia* dictus [3] ait: semper-[4] intentos-[4] habebat- [4] mentis-[4] suæ-[4] oculos (Rex scilicet *tam*) [5] huic à-[6] cœlo-[6] datæ [7] naturæ [8] rationali excolendæ.

§. 3.

TErtia demum authoritas ex longè vetuſtiſſimo libro Regis *yaô* [1] *tí-* [2] *tièn* dicto, petitur, qui liber cum duobus modo citatis inſertus eſt libro *xu-kim*. Porrò ſic [3] ait: [4] potuit ille (Rex ſcilicet *yaô*) [5] expolire ſeu excolere magnum hoc & [6] ſublime [7] donum, vel [6] ſublimem [7] virtutem, id eſt, naturam rationalem.

§. 4.

1. OMnes per- [2] ſe-ipſi [3] expoliverunt naturam ſuam rationalem. Quaſi diceret; tametſi omnibus hominibus à cœlo immiſſum ac inditum ſit grande hoc & ſublime naturæ rationalis donum ac lumen; plerique tamen mortalium inordinatis appetitibus ſuis ac vitiis illud obnubilarunt, & imminuerunt, nonnulli etiam propemodùm extinxerunt: at verò dicti Reges *yaô*, *chim-tam*, & *vên-vâm* labore ſuo & conſtantiâ potuerunt illud uſque eò expolire ac illuſtrare, ut non modò jacturam illius nunquam deinde fecerint; ſed è contrario ampliſſimo ejuſdem ſplendore ac luce per univerſum Sinicæ Gentis orbem longè latéque radiarint.

p. 2. §. 1.

1. TAM Regis [2] pelvi, in quâ lavare corpus ſolebat inſculptæ [3] litteræ [4] aiebant: [5] toto [6] die, id eſt, aſſiduè, te lava & [7] renova; imò [8|9] quotidie te [10] renova; [11] iterumque in [12] dies te [13] renova; Quaſi dicat: Princeps qui alios gubernat, nullo non tempore in eo totus ſit oportet, ut pravorum appetituum vitiorumque ſordes, quas fortè contraxerat, ſollicitè abluat & abſtergat; ſicque ad priſtinam munditiem ac puritatem revertatur. Atque hæc eſt illa ſui ipſius renovatio, quam *çem-çu* hoc loco præmittere voluit, ceu radicem ac fundamentum renovationis populi.

Cæterùm obſervatu dignus ſanè eſt antiquus illorum temporum mos, quo in vaſis domeſticis ſimilique ſupellectili (qualis hæc erat tam *Regis pelvis) pulcherrima quæque virtutum documenta inſculpi, aut appingi, & in intimâ quidem vaſis ipſius facie, ſolebat; ut ea tum quoque cum vel corpus lavarent, vel cibum ſumerent, ſemper ante oculos haberent. A priſcis igitur derivatus eſt hodieque viget uſus ille in Sinis; veruntamen cum hoc diſcrimine, ut quas olim interiùs, modò exteriùs plerumque vel appingant, vel inſculpant litteras utpote mero hodie fuco, & exteriori quadam virtutis ſpecie contenti.*

§. 2.

SUpradictus Rex *vù-vâm* in eodem illo ſuo libro [1] cam [2] caó [3] ait: [4] excita ſeu provoca, ut ſeſe [5] renovet [6] populum. Quaſi diceret; tametſi fortè populus malè hactenùs vixerit; ſi tamen in poſterum rectè agere velit, Princeps ei norma ſit, ſuoque exemplo ſubditos ad novam melioris vitæ normam ſtudioſè provocet: hæc enim vera eſt renovandi populi methodus.

Digitized by Google

§. 3.

1. ODA [2]ait: familiæ [3]Cheu [4]tametsi [5]antiquissimum fuerit Regulorum [6]Regnum, [7]ei tamen à cœlo collatum deinde [8]Imperium [9]merè [10]novum erat; quatenus scilicet merè debebatur renovationi tum Regis, tum subditorum. Nam Regnum familiæ *Cheu* per multa sæcula (numerando scilicet ab *Héu-çie* Regulo, per mille & amplius annos) Regulorum ditio dumtaxat fuit, & quidem limitata; quoad postremus omnium *vêm-vâm* Regno finem, & Imperio initium dedit, per sui nimirum, suorumque renovationem.

§. 4.

ATque hæc [1]est [2]ratio, ait *çem-çu*, quare absolutæ [3]virtutis [4]Princeps [5,6]nihil [7]non [8]agat in ordine ad [9]suum [10]apicem; id est, absolutæ virtutis Princeps qualicunque sui ac populi renovationi non acquiescit, sed ad apicem summi boni, (de quo egimus initio hujus libri) in quo tandem sistat, contendit.

f. 4. p. 1. §. 1.

DEclaratâ hactenus sui ipsius aliorumque renovatione, seu rectâ institutione; transit modò *çem-çu* ad declarandam tertiam partem doctrinæ Magnæ hujus Scientiæ, nimirùm consistentiam in summo bono. [1]Oda itaque [2]ait: Regulorum [3]Regia [4]districtum habens [5]mille [6]stadiorum (hoc est, centum circiter leucarum) [7]sola est [8]populus [9]ubi [10]sistat. Quasi dicat; tametsi populus per totius Regni fines latissimè dispersus habitet; eorum tamen animi & oculi semper Regiam ceu centrum suum respiciunt; utpote, in qua omnis opum ac fortunarum suarum cardo vertitur. Ita scilicet res omnes habent ubi tandem singula quiescant.

§. 2.

1. ODA [2]ait: [3]miên-[4]mân [5]crocea [6]avis (à cantu suo sic dicta) [7]sistit [8]in montis-[9]arboribus-[9]consiti [10]cacumine, ceu quieti suæ accommodo tutoque loco. [11] *Confucius* usus hoc simili [12]ait: Crocea avis res equidem est exigua, & rationis expers; [13]in [14]sistendo tamen ostendit se [15]nosse [17]ubi [18]sistere [16]sibi conveniat: & fieri-[19]ne-[19]potest [20]ut [21]homo rerum sublunarium Princeps & caput cum sit, [22]tamen [23]non [24]ut [25]avis sit? id est, ut ab ave superari quodammodo se patiatur? quippe qui mente adeò cæcutiat, ut ignoret summum bonum, ubi sistendum sibi sit; cùm tamen nec avicula ramusculum suum, in quo sistat, ignoret.

§. 3.

POstquàm superiùs §. 1. & 2. *çem-çû* ex Magistri sui doctrinâ ostendit, debere quemlibet scire apicem boni in quo sistat; docet hoc paragrapho quomodo practicè oporteat ad hunc boni apicem contendere, in eoque sistere, allatis veterum Principum exemplis, qui virtutis famâ celebriores fuere. Itaque [1]Oda [2]ait: ô-

quàm-

Digitized by Google

quàm[3] profundæ[4] reconditæque virtutis erat, Rex[5] vên-[6]vâm! ô[7] quàm feliciter[8] conjunxit perpetuum illum virtutis ſuæ[9] ſplendorem cum omnibus ſuis actionibus! nihil non diligentiſſimè[10] obſervans, ut ad deſtinatum animo perfectionis apicem, in-[11] quo-[11] ſiſteret, perveniret. Cùm enim (exponit *çem-çu*) ad regendos feliciter ſubditos communis quædam ergà omnes charitas præcipuam vim habeat; *ven-vam*[12] agens[13|14] Regem[15] ſiſtebat & ſeſe perficiebat[16] in hac[17] charitate. Rursùs cùm præcipua ſubditi virtus ſit honor & obſervantia ergà Regem, *vên-vâm*-[18] agens[19|20] ſubditum[21] ſiſtebat[22] in[23] obſervantiâ; hujus partes omnes fidi promptique animi conſtanter explens. Cum item prima & præcipua filiorum virtus ac laus conſiſtat in obedientiâ, *vên-vâm*-[24] agens[25|26] filium[27] ſiſtebat[28] in[29] obedientiâ; cujus partes omnes inſigni quadam pietate, & exactiſſimis amantis filii obſequiis indefeſſus explebat. Cùm verò Patris viciſſim præcipua virtus ſit amor ergà filios ex piis viſceribus profluens; *vên-vâm*[30] agens[31|32] patrem,[33] ſiſtebat[34] in hoc filiorum[35] amore; quem prodebat identidem non indulgentiâ quadam vitioſâ, ſed aſſiduâ ad omnem virtutem inſtitutione; quæ adeò ad nepotes, horumque deinde filios feliciter propagata ſit. Denique cùm promiſcuæ hominum inter ſe conſuetudinis & ſocietatis prima laus ſit fides, *vên-vâm*[36] cum[37] Regni ſui[38] hominibus[39] agens[40] ſiſtebat[41] in[42] fide; quam in verbis ſuis factiſque inviolatam ſervabat.

Cùm adeò celebris ſit inter Sinas Regis vên-vâm *memoria, juvat hic obiter de eodem aliquid attingere. Huic* ven-vâm *pater fuit* vâm-kí; *mater* tái-çín, *quam memorant eâ fuiſſe verecundiâ, ut nihil inhoneſti videre vel audire ſuſtineret; eâ modeſtiâ ut nihil arrogantiæ, nec in verbis quidem, notaretur. Piæ matris pius filius* vên-vâm, *cùm anno vigeſimo imperantis* cheù *tyranni alio nomine* xeù-sin, *lethaliter ægrotaret, & terra quintum jam diem prodigioſis motibus concuteretur, tantam calamitatem cœlique iram ſuis unius peccatis adſcribebat; & tamen vir fuit tantorum virtutum, & tam illuſtri apud exteras nationes famâ, ut quatuor ſuprà quadraginta Regna eidem ſeſe ultrò ſubjecerint. Cæterùm nihil æquè in hoc Principe enituit ac ſingularis ergà omnes animi pietas; cujus unum è multis exemplum hic adduxiſſe ſufficiat. Referunt Sinenſium Annales, & liber,* Lie-que-chí-chuen, *quod cùm fortè offendiſſet in campo oſſa inſepulta ignoti hominis, protinùs ea humari juſſerit; cumque eſſet è circumſtantibus qui diceret, ignorari defuncti Dominum, adeòque non eſſe illius habendam rationem: at enim, inquit Rex, qui tenet Imperium, Imperii Dominus eſt; qui Regnum, Regni Dominus; ego igitur & hominis hujus ſum Dominus; quorſum hoc ultimæ pietatis officium illi negem? quæ dicens regali ſe veſte exuit, eâque involvi jubet oſſa ac de more tumulari. Attoniti tantæ virtutis exemplo proceres, ſi, inquiunt, tanta eſt Principis noſtri erga arida oſſa pietas, quanta erit ergà reliquos homines! Et*

Digitized by Google

certè tanta fuit ejusdem Principis erga Senes, Viduas, ac Pauperes charitas, ut eos veluti filios singulari curâ tueretur ac sustentaret. Hujus præcipuè exemplo restituta creditur pia illa primorum Imperatorum consuetudo & lex; quæ hodieque viget in toto Sinensi Imperio; ut in singulis urbibus, civitatibus ac oppidis centum circiter pauperes senes expensis publicis sustententur. Morti proximus piissimus hic Princeps tria filio vù-vâm *reliquit monita duodecim verbis seu litteris ea complexus; nimirum,* cùm[1] *videris quid ex*[2] *virtute factum, vide*[3] *ne sis*[4] *deses in ejus imitatione: Cùm*[5] *tempus & occasio*[6] *adest rei agendæ, illâ uti*[7] *ne*[8] *dubites: à*[9] *tollendis & extirpandis*[10] *vitiis*[11] *ne unquam*[12] *desistas; Tribus his monitis meis tota probæ rectæque vitæ ratio continetur. Quæ postrema patris sui monita* vù-vâm *filius venerabundus excepit. Obiit* vên-vâm *anno ætatis 97. postquam novem annis partem Imperii administrasset non tamen cum titulo Imperatoris, ut qui de tribus duas duntaxat Imperii partes obtineret. A morte suâ Rex à Sinensibus inter divos numerari cœpit, hodieque numeratur, ut suo loco dicetur.*

p. 2. §. 1.

REgis *vên-vâm* exemplo subjungit *çem-çù* alterius item Principis exemplum è libro carminum, ubi[1] oda[2] ait:[3] aspice[4] illius aquæ,[5] *kî* dictæ[6] Sinum:[7] viridantia ejus[8] arundineta ô quam[9] amœnum[10] luxuriant! sic[11] est[12] ornatus virtutibus[13][14] Princeps noster (scilicet *vù-cum* Princeps Regni *guéi*, cui populus hoc carmine applaudebat)[15] ceu[16] cædens,[17] ceu limans-[18] ossa,[19] ceu[20] scalpens,[21] ceu[22] poliens lapillos. O quam[23] sublimis &[23] arcanus! O quam-[24] fortis ac[24] serius! quàm-[25] famosus! quàm[26] spectabilis![27] habemus[28] ornatum virtutibus[29][30] Principem; cujus in[31] finem[32] usque[33] non[33] possumus[34] oblivisci. Hæc declarans *çem-çù* ait: quod in odâ dicitur,[35] ceu[36] cædens,[37] ceu[38] limans,[39] denotat[40] doctrinam ac sapientiam Principis *vu-cum*, ut qui non contentus veterum monimenta resque præclarè gestas ipse domi suæ privato studio recoluisse, ea etiam foris ac in publico cum aliis identidem conferre & communicare solitus erat, nec ante desistere aut acquiescere quàm consummatus omnium imitator evasisset: haud absimilis artifici, qui è cornu vel ossibus figuram statuam-ve quam mente concepit efformaturus primùm quidem rudiori opere incîdit illa; tum deinde etiam ad limam vocat radit, scabit, ac lævigat. Quare hanc Principis sui doctrinam studiumque extollens populus, illis usus est verbis, *ceu cædens, ceu limans ac lævigans ossa.* Quæ autem sequuntur nimirùm,[41] ceu[42] scalpens,[43] ceu[44] poliens, significant sui ipsius actionumque suarum rectam-[46] compositionem, à qua idem populus hunc suum Principem laudabat, ut qui semetipsum jugiter ad virtutis regulam efformans, severus sui-met Censor & Judex, rejectis superfluis, & cupiditatibus edomitis consummatam perfectamque ab omni labe & nævo puri-

Digitized by Google

tatem vitæ ſectaretur : Gemmario ſimilis , qui poſtquam pretioſum lapidem quem ſub manu habet jam excîdit , formavit & ſcalpſit, mundiſſimè eumdem extergit expolitque. Et ideò oda ait ; *ceu ſcalpens, ceu poliens.* Illæ verò acclamantis populi voces ô quàm [46] ſublimis & [47] arcanus ! O [48] quam fortis [48] ac ſerius ! ſignificant Principem *vù cum* ea quæ ſuo illo ſtudio è majorum monimentis & exemplis hauſerat, aſſiduâ curâ, [49] circumſpectione, & [50] cautelâ ita conſervaſſe, ut ſemper attentus vigilaret, ne fortè vel torpore deficeret, vel præfidentiâ exorbitaret. Reliquæ duæ illæ exclamationes, quam [51] famoſus ! quàm- [51] ſpectabilis ! ſignificant ejuſdem *vù cum* [53] authoritatem & [54] exemplum , quibus populum ad venerationem & imitationem ſui excitaverat. Nam quia illa interior vigilantia , circumſpectio , & obſervantia non ita latere poterant , quin exteriùs ſeſe proderent ; hinc eam viro reverentiam authoritatemque apud omnes conciliarunt , ut nemo non eum revereretur ac ſuſpiceret, nemo non obſervaret & imitaretur. Illis denique verbis, [55] habemus ornatum [56] virtutibus [57] [58] Principem , cujus in [59] finem [59] uſque [60] non [61] poterimus [62] obliviſci ; [63] denotatur ejuſdem Principis [64] conſummata [65] virtus, [66] ſummeque [67] perfecta , & talis ut à [68] populo [69] nunquam [70] poſſit oblivioni- [71] dari.

Fuit hic vù cum *Regulus Regni* guéi, *quod hodie eſt Provincia* hô-nân. *Princeps pius admodum ac prudens, & Priſcorum Regum tam egregius imitator, ut quam illi olim, hanc & ipſe apud populum poſteroſque ſuos virtutum famam ſit commeritus. Hic cùm nonagenario jam major eſſet, publico edicto ſuos hortatus eſt, ut haudquaquam deſinerent ob ætatis ſuæ quamvis grandævæ , & canorum reverentiam accedere ad eum identidem ad quælibet negotia pertractanda. Quâ tam paternâ curâ populum adeò ſibi devinxerat, ut quotquot cenſeret ſubditos, totidem haberet virtutum optimique regiminis ſui præcones. Obiit ferè centenarius anno decimo tertio imperantis* pîm vâm *ex tertiâ familiâ* cheu *Imperatoris decimi tertii. Reliquit hæredem filium* chuam cum *dictum.*

f. 5 p. 2.

POST recenſita dictorum Principum exempla, nunc communi quodam velut corollario omnes complexus , ex eodem carminum libro, immortalem eos apud poſteros memoriam inde conſecutos eſſe oſtendit. [1] Oda [2] ait ; [3] ô [4] quàm [5] priores [6] Reges (ut *vên vam* & *vù-vâm*) non- [7] ſunt in- [8] oblivione : nam ut *çem çû* ait , in [9] [10] Regibus poſteris etiamnum [11] reſplendebat [12] illorum (Priſcorum Regum) [13] virtus ac probitas , [14] & [15] perſeverabat etiamnum [16] illorum [17] amor ergà ſtirpem ſuam, & cura in conſervando penes eamdem Imperio. Sed & [18] [19] populi item poſteri, quamvis multa poſt ſæcula, etiamnum [20] gaudebant [21] illorum [22] lætitiâ, ſeu beneficio & exemplo, conſervatâ altiſſimâ pace ; [23] & [24] fruebantur [25] illorum Providentiâ &

[16] commodis, ob agrorum divisionem singulari cùm æquitate, & insigni Reipublicæ emolumento, Priscorum curâ perfectam: [17] hac de [18] causâ elapsis [19] à morte [19] ipsorum etiam [20] sæculis omnibus [21] nulla eorumdem erit [22] oblivio.

Ex his duobus paragraphis intelligi vult, quo pacto & expolienti naturam suam rationalem, & ad hujus ideam renovanti deinde populum suum, sua mox constet boni consecutio, & in ipso bono consistentis quies.

p. 2. §. 1.

EXplicatâ hactenus hujus Scientiæ triplici illâ Doctrinâ, de sui, aliorumque renovatione, & quiete in summo bono, transit modò *çem çû* ad declarandum quod *Confucius* libri hujus initio dixerat; nimirùm, res habere magis minusque principale. Allegans itaque ipsiusmet Magistri sui verba ait: [1] *Confucius* [2] dicebat; [3] audire & decidere [4] lites [5] ego possum perinde [6] ac alius quilibet [7] homo: verùm quod foret [8] necessarium, esset [9] efficere ut populus, cæterique homines mutuo sese honore & amore prosequentes [10] abstinerent à [11] litibus: quod utique majoris faciendum. Quæ Magistri sui verba prosequens *çem çû* sic ait: homines quamvis [12][13] excordes ac subdolos Vir sanctus virtute suâ tam potenter cohibet, ut [14] non [15] possint, vel saltem non ausint pertexere cogitatas fraudes, atque ad- [16] exitum- [16] perducere suas- [17] illas [18] contentiones & jurgia (vel, ut alii explicant, homines subdoli non possunt finem facere suis contentionibus) adeòque citrà omnem suppliciorum comminationem, sola illa quæ in Viro sancto elucet virtutis Majestas maximoperè [19] valet ad- [20] subjiciendas sibi [21] populi [22] voluntates, & abrumpendas lites ac simultates. Atque hæc voluntatum in populo unio sublatis simultatibus, est illa, quæ hic tantoperè commendatur, populi renovatio: Id autem quo avertuntur ac tolluntur ejusmodi lites ac simultates, est suæ ipsius naturæ rationalis expolitio; quam quisquis adeptus fuerit, in avertendis aut componendis aliorum litibus non laborabit. Itaque expolitio propriæ naturæ rationalis est prius quid ac magis principale; Ideò subdit *çem-çû*, hoc [23] illud esse quod [24] dicitur [25] = scire [26] principale.

Tam longè ab hac aureâ Magistri sui doctrinâ hodie absunt Sinenses, ut meritò inclamare possim Tullianum illud, ô tempora! ô mores! infinitus enim litium & litigantium in Chinâ hodie est numerus; tantùmque jam invaluit horum temporum perditus mos, ut plurimos ubique locorum invenias, qui scribendarum aut fingendarum litium mercatu vivant. Unde mille passim fallendi fingendi ve artes quibus Tribunalia omnia plena sunt. Porrò ut videat Lector quanta olim in Sinensibus Tribunalibus cautela, quantus-ve in audiendis litibus rigor fuerit, en quinque Regulas Judicibus constitutas ad dignoscendum ex ipsâ exteriori specie, an lis quam

actor

actor intendebat, ſyncera & vera; an malitioſa & ſubreptitia eſſet. Prima igitur obſervari jubebat verborum compoſitionem ac loquendi modum in actore movente litem, & dicebatur, çû-tím, *id eſt*, verborum obſervatio. *Secunda oris totiuſque vultûs compoſitionem, & dicebatur*, ſe-tím, *id eſt*, vultûs obſervatio. *Tertia modum reſpirandi dum litem actor proponeret, & dicebatur* kí-tím, *id eſt*, reſpirationis obſervatio. *Quarta expeditas actoris aures; an ſcilicet actor à Judice interrogatus perplexè perturbatéque, vel aliena, vel ambigua reſponderet, & dicebatur*, ûlh-tím, *id eſt*, aurium obſervatio. *Quinta denique incertos oculorum conjectus nictúſque, ſi quid in his ſcilicet ſubdoli minuſ-ve ſyncери appareret, & dicebatur* mô-tím, *id eſt*, oculorum obſervatio. *Ex tot nimirùm indiciis priſca illa Sinarum Areopagus, quamvis occultos, animorum ſenſus ſolerter explorabat; ſed hæc hodie aut ignorantur, aut negliguntur.*

§. 2.

1. HOC[2] dicitur[3] ſcire magis[4] principale. Videtur hæc repetitio (ut Interpretes notant) otioſa ac per errorem irrepſiſſe, utpote jam proximè allata.

§. 3.

1. HOC[2] dicitur[3] Scientiæ[4] apex. Paragraphus hic mutilus eſt; nam ut Colaus Interpres arguit, Epiphonematis, aut concluſionis eſt inſtar, & præmiſſam aliquam, quæ jam deſideratur, ſupponit.

Ubi nota, quòd non deſunt his libris ſua menda; verum quia jam olim, & ab ipsâ propè origine in prima operis exempla, vel Scriptorum vitio, vel Typographorum irrepſerunt; vel etiam quia veriſimile eſt, ex communi illo Librorum incendio non ſic potuiſſe eripi, ut non ambuſti quidpiam ad poſteritatem pervenerit hæc tamen menda Sinæ neutiquam tollunt; ſed conſtanter omnia imprimunt iis verbis, & eo ordine quem in vetuſtis illis codicibus & primis exemplis invenerunt; ſic tamen, ut Lectori indicent ipſum mendum. Hoc autem faciunt tum ob antiquitatis reverentiam, tum etiam ne anſam præbeant litteratis ea pro libitu ſuo immutandi.

f. 6. p. 2.

HOC paragrapho explanat *çem çu* ſenſum ac mentem Magiſtri ſui in eo quod ſuprà f. 1. p. 2. §. 3. & mox iterum f. 2. p. 1. §. 1. dixerat de veritate & ſynceritate intentionis ac voluntatis.[1] Quod *Confucius* (inquit) ſuprà[2] dixerat, ſcilicet[3] verificare ſeu depurare ab omni fuco & fallaciâ[4] ſuam[5] voluntatem, eſſe[6] non[7] ſemetipſum[8] decipere; id eſt ſyncerè averſari quæ mala ſunt & vitioſa,[9] ſicut[10] averſatur quis[11][12] fœtida; & ſyncerè affici & gaudere iis quæ bona ſunt & honeſta,[13] ſicut[14] gaudet quis & delectatur[15] ſpecioſis pulchriſque[16] viſu. [17] Hujuſmodi[18] dicitur[19] ſibi[20] ſatisfaciens, ſeu ſe ipſo contentus:

utpote qui perſpectum jam habens quid bonum, quid malum ſit, hoc quidem averſetur ex animo, illud ex animo proſequatur. [21] Ideò [22] perfectus [23] vir tam- [24] ſeriò [25] attendit & invigilat [26] ſuo [27] interiori, ſeu cogitationibus animique motibus omnibus ne quid horum ipſum lateat, aut fictio aliqua incauto ſubrepat.

f. 7. p. 1. §. 1.

PRoſequitur hic *çem çu* ſuperioris paragraphi doctrinam, & probat à contrario, adducens exemplum ſimulatoris & improbi. Ait itaque; [1/2] improbus cum [3] ſolus ac ſine arbitris [4] degit, [5] facit [6/7] improba; nec [8] eſt malum aliquod ad quod [10] non [11] pertingat. Ubi verò [12] conſpexerit [13] probum aliquem [14] virum; [15] tum [16] deinde [17] fictè ſeſe [18] componens [19] velat & occulit [20] ſuam [21/22] improbitatem, [23] & [24] ſimulat [25] ſe [26] probum. Verum [27] homines probi [28] perſpiciunt & cognoſcunt [29] ipſum intimè & in cute, ut aiunt; ac [30] ſi oculis [31] viderent ipſa [32] ejus intima [33/34] viſcera eodem [35] planè [36] modo. [36] Itaque [37] quid [38] proficit ſuâ illâ ſimulatione? [39] Hoc nimirum eſt quod vulgò [40] dicitur, quod quis revera [41] eſt [42] in [43] interiori, hoc [44] apparet [45] in [46] exteriori. [47] Ideò [48] perfectus [49] vir tam [50] ſeriò [51] attendit [52] ſuo [53] interiori; ut ſcilicet verâ ſincerâque mente & intentione in omnibus procedat.

§. 2.

AD uberiùs declaranda quæ dicta ſunt, unus diſcipulorum *Confucii* hîc adducit axioma, quod à Magiſtro ſuo identidem audiverat. [1] *çem* [2] *çu* itaque aſſiduè [3] dicere ſolitus erat: [4] decem, ſeu multi [5] oculi [6] quod [7] vident, & [8] decem [9] manus [10] quod digito- [11] monſtrant, ab [12] eo quam [13] timendum! vel (ut alii explicant) veluti ſi eſſes decem oculis obſervatus, & decem manibus monſtratus, *ſic* cautè vivas. Quaſi diceret; circa interiorem animi plerique hominum paſſim torpent & ſocordes ſunt; nam quia ea, quæ animus in interiori pertractat, recondita adeò eſſe exiſtimant, ut nullo ſui indicio innoteſcere exteriùs poſſe ſibi vanè perſuadeant; hinc fit, ut neglectâ illâ interiori curâ, & laxatis appetituum habenis in nullum non ſcelus præcipites ruant; ignari ſcilicet, ſuam ipſorum conſcientiam mille teſtium eſſe inſtar; & res item omnes ſuo ſe veſtigio prodere; nec eſſe quidpiam tam occultum quin aliquando ſe prodat ac reveletur. Certè uti qui defert aromata, quamvis ea ſtudiosè occulat, fragrantiâ tamen ipsâ proditur; & eum qui purulento carcinomate laborat, ſua vel invitum prodit graveolentia; ita nec virtus diu latere poteſt, nec vitium; quamvis maximè latere velis; nec ullæ fingendi ſimulandi-ve artes tibi proderunt.

p. 2.

EXpoſita jam virtutis neceſſitate, eandem à decoro & utili commendat hîc *çem-çu* dicens [1] divitiæ [2] ornant [3] domum: [4] virtus [5] ornat [6] perſonam. Quaſi dicat; ſicut is, cui opum divitiarumque

Digitized by Google

domi est affatim, plerumque in ipsa tecta & parietes eas redundare facit; & quod auri & argenti intùs abundè habet, in exteriore totius domûs supellectili & apparatu ostendit: sic virtus, in cujus animo hospitatur, illicò in totam personam seu, exteriorem etiam totius corporis habitum redundat; & quod reverà est intùs, apparere facit exterius. Hinc enim est, quod homo virtute præditus, quia interiùs nihil habet de quo ipsum animus remordeat, dilatari corde se sentiat, & altâ quadam pace, tranquillitate, ac gustu ita demulceri interiùs; ut eadem etiam in corpus redundent, illudque velut dilatent ac impleant; quæ est mens verborum illorum: [7] *corde* [8] *lato & amplo, etiam* [9] *corpus* [10] *dilatatur* ac proficit. Verumtamen quia virtus ista, quæ sic corpus ornat & afficit à synceritate ac veritate voluntatis nostræ proficiscitur ac dependet; [11] propterea virtutis [12|13] studiosus omni [14] studio [15] perficit [16] suam [17] intentionem seu voluntatem.

Et hactenus quidem de recto intellectûs & voluntatis usu, penes quæ supremum est interioris hominis dominium.

f. 8. p. 1. §. 1.

NUNC autem docet *çem-çu* rectam exterioris hominis compositionem consistere in rectâ interioris hominis, seu cordis compositione; & huic quidem illam famulari debere uti Dominæ; & ab hac, si quando exorbitet aut repugnet, fræno rationis cohiberi ac domari. Hanc itaque animi rectitudinem, & hoc cordis dominium à Magistro suo tantoperè commendatum declaraturus *çem-çu* ait: [1] quod suprà [2] dicebatur, recte [3] componere suum [4] corpus; sive, rectam sui ipsius compositionem [5] consistere in [6] rectificando [7] suum [8] animum, sic intellige: siquidem animus est totius corporis Rector ac Dominus; exerrante illo à suâ rectitudine, profectò non poterit hoc esse compositum; consistit autem illius rectitudo in eo quod quacunque suarum affectionum ac motuum insurgente & sollicitante, ipse vel omninò nihil, vel saltem non plus debito, ac citrà rationis præscriptum moveri se sinat; sed semper sibi similis, rectusque in medio persistat. Nam si [9] animus noster [10] habeat ob- [11] quod v. g. [12] irascatur immoderatè; id est, irascatur cùm non oportet, aut plusquam oportet; [14] certè [15] nondum [16] obtinuit [17] suam [18] rectitudinem. Sic si [19] habeat [20] quod item inordinatè (uti de ira dictum est) ac immodicè [21|22] timeat, [23] profecto [24] nondum [25] obtinuit [26] suam [27] rectitudinem. Si [28] habeat [29] quo inordinatè immoderatéque [30|31] gaudeat, [32] profectò [33] nondum [34] obtinuit [35] suam [36] rectitudinem. Si denique [37] habeat ob [38] quod inordinatè [39|40] tristetur; [41] profectò [42] necdum [43] obtinuit [44] suam [45] rectitudinem.

Digitized by Google

§. 2.

PRoſequitur *çem-çü* præcedentis paragraphi argumentum hîc à conſequentibus docens, ubi animus paſſionum vi de ſtatione ſuâ dominioque ſemel dejectus ac velut extrà ſe abductus ſibi non conſtiterit, conſequenter corpus, totumque exteriorem hominem mortui inſtar eſſe, & nequaquam officio ſuo rectè fungi poſſe. Ait enim: ſi cujus [1] animus pravarum affectionum impetu abreptus [2] non conſtet [3] ſibi; tametſi apertis oculis [4] aſpiciat, eſt [5] tamen velut [6] non [7] videns; tametſi patentibus auribus [8] audiat, eſt [9] tamen velut [10] non [11] audiens & intelligens, tametſi patulo ore cibum [12] captet, [13] tamen [14] non [15] percipit, nec dignoſcit [16] ejus [17] ſaporem; adeóque eſt veluti non comedens. Nam quia & oculos videre, & aures audire, & os manducare, &c. omnes ſunt exterioris hominis ſeu corporis functiones; id verò, quo organa illa functiones ejuſmodi rectè vel malè præſtant, eſt animus; utique hoc non conſtante ſibi, etiam illa officio ſuo rectè fungi non poterunt.

§. 3.

COncluſio hæc eſt, quam præcedentibus duobus paragraphis, ceu duabus præmiſſis, conſequentiæ loco ſubjungit *çem-çü*, dicens: [1] hoc igitur eſt quod ſuprà [2] dicebatur [3] componere [4] corpus, ſeu exteriorem totius perſonæ habitum, [5] conſiſtere in [6] rectitudine [7] ſui [8] animi.

p. 2. §. 1.

EXplicata interioris hominis, ſeu animi rectitudine, ad rectam corporis, ſive propriæ perſonæ, compoſitionem tam neceſſaria: tranſit modo *çem-çu* ad declarandam hanc ipſam perſonæ propriæ compoſitionem, ejuſque neceſſitatem; utpote à qua omnis domeſticæ familiæ recta inſtitutio dependeat. Ait itaque: [1] quod ſuprà [2] dicebatur, recte [3] inſtituendæ [4] propriæ [5] familiæ rationem [6] conſiſtere in recte [7] componendo [8] propriam [9] perſonam, ſic accipe: Radix & fundamentum totius meæ, v. g. domeſticæ familiæ, eſt mea unius propria perſona: hæc autem quia pro diversâ ſingulorum, quibuſcum agit, qualitate & exigentiâ, diverſimodè jam erga ſingulos affici ſolet; amore erga alios; erga alios odio; hos parvi, illos magni faciendo, &c. difficile utique eſt, medium in his ita tenere, ut neque ſuprà, neque infrà exigentiam quidquam fiat; plerumque enim nimiâ affectuum indulgentiâ abrepti mortales, vel plus, vel minùs, quàm par eſt, amant vel oderunt, verentur vel contemnunt, venerantur vel aſpernantur, &c; adeóque neglecto hujuſmodi affectionum moderamine, æquitate, rectitudine, ac menſurâ; ipſorum quidem animus velut incurvatus rectitudinem ſuam, corpus verò perſonaque propria rectam ſui compoſitionem deperdit. Sic enim v. g. [10] homines [11] in [12] illis [13] quos propinquitatis [14] amore [15] diligunt, [16] mox

à recto

à recto [17] deflectunt dum plus, vel minus, quam par est, diligunt; Parentes enim ac propinqui diligendi quidem sunt; Si tamen Patrem delinquere in aliquo contigerit, monendus à filio de delicto est: Sed & si filius peccaverit, corripiendus à Patre est & docendus: quod si horum alteruter non quò recta ratio, sed quò sanguis & affectus trahunt, inclinet, illius utique amor non rectus, sed curvus quodammodo est, quia à rectæ rationis regulâ desciscens. Sic etiam homines [18] in [19] illis, [20] quos [21] vilipendunt aut [22] oderunt, [23] item à recto [24] deflectunt. Nam tametsi viles, v. g. & nauti homines vilipendere, eisque etiam indignari & succensere quandoque conveniat; si tamen etiam habeant quod æstimationem laudemque aliquam mereatur, abjiciendi prorsus non sunt; si bonæ institutionis adhuc capaces sunt, penitus reprobare eos non convenit. Quare si quis affectioni suæ indulgens, eos usque & usque ita aspernetur & oderit, ut nullum benignitati, ac mansuetudini locum relinquat ejus contemptus & odium, non recta sed curva item, & à recta ratione aliena sunt. [25] In [26] illis quoque [27] quos homines [28] timent & [29] venerantur, passim [30] item à recto [31] declinant; tametsi enim vereri ac revereri v. g. Majores, Superioresque oporteat; intrà tamen rectæ rationis mensuram præstare id convenit; quam qui excesserit, ejus metus ac reverentia jam item non recta, sed curva erunt & vitiosa. Similiter homines [32] in [33] illis, [34] quos [35][36] miserantur, plerumque [37] item à recto [38] deflectunt; tametsi enim condolere dolentibus, afflictosque miserari omnino æquum sit & conveniens, si quis tamen ultrà, quàm recta ratio admittat, id præstet, ejus commiseratio jam non recta sed curva item est ac vitiosa. Homines denique [39] in [40] illis etiam, [41] quos [42] humiliùs [43] tractant, [44] item à recto [45] declinant, nam tametsi vulgares infimæque sortis homines humiliùs quandoque minùsque officiosè tractari citrà vitium possint, id tamen juxtà rectæ rationis regulam & mensuram fieri par est, quam qui negligit, & ejusmodi plebeios homines eò usque despicatur, ut ne quidem in aspectum admittat, ejus gravitas non recta utique, sed curva item est & vitiosa: [46] propterea qui [47] ament alios [48] simulque [49] noverint nec dissimulent [50] eorumdem [51] vitia, vel contrà [52] aversentur [53] simulque [54] noverint & observent [55] eorumdem [56] bona, [57] in [58] orbe [59] rari sunt.

§. 2.

1. HINC [2] proverbium [3] datur, quod [4] ait: [5] homines amore cæci [6] non [7] agnoscunt nec vident [8] suorum [9] filiorum [10] vitia; & fascinante eos avaritiâ [11] non [12] norunt [13] sui proprii [14] agri [15] fertilitatem,

f. 9. p. 1. §. 1.

COncludit superiora *cem-çu*: hoc [1] illud est, inquiens, quod suprà [2] dicebatur suâ [3] ipsius [3] personâ [4] non rectè [5] compositâ, [6] non posse item rectè [8] ordinari [10] suam [11] familiam domesticam: quia nimirum quandiu meæ ipsius, qui familiæ sum caput, affectiones à rectâ rationis regulâ deflectunt, necesse est & res omnes actionesque meas perturbatè item procedere; adeoque, si velim, ut domestici mei seu parvi seu magni omnes rationem ducem ita sequantur, ut in nullo ab eadem discedant; meo utique ipsius exemplo primùm ad id opus est, ad quod tota deinde domus sese rectè componat.

§. 2.

A Rectâ compositione propriæ personæ, gradum nunc facit *cem-çu* ad bonam propriæ familiæ institutionem; dum [1] quod suprà *Confucius* [2] dixerat, ad bene-[3] administrandum [4] Regnum, [5] necessariam [6] priùs esse bonam [7] institutionem [8] suæ [9] domûs aulæ-ve domesticæ; ita ostendit: Propria domus, seu aula, est Regni totius velut radix ac basis; ut quis igitur [10] propriam [11] familiam [12] non [13] valens exemplo suo benè [14] instituere (utpote malè ipse à virtute instructus indomitisque suis affectionibus depravatus) & [15] tamen [16] possit rectè [17] instituere ac docere reliquos Regni [18] homines, [19] nequaquam fieri potest. [20] Propterea bonus [21][22] Princeps in propriam personam virtutibus excolendam incumbat totus, si quidem velit juxtà eandem, totam item aulam suam domesticam probè instituere; suo scilicet unius exemplo efficiens, ut pater, filii, fratres & conjuges suo singulari munere, ut par est, fungantur: Sic enim illud tandem consequetur, ut ipse, etiam [23] non [24] exiens [25] domo suâ, virtutis [26] tamen prototypon fiat & exemplar totius Regni populo; exemplo scilicet suo domestico propagans & [27] perficiens bonam [28] institutionem [29] in toto [30] Regno. Horum porrò ratio illa est, quòd tametsi diversæ inter se res sint aula domestica & Regnum; communis tamen utrique similliimaque sit œconomiæ ac regiminis ratio. Sic enim v. g. observantem & obsequentem esse Patrifilias, obedientia dicitur; atque ut domui suus est Paterfamilias, sic Regno suus est Princeps: eadem itaque illa [31] obedientia [32] est [33] qua [34] serviendum etiam [35] Regi à subditis. Sic item amare & colere se invicem fratres natu majores, fraterna dicitur observantia: Porrò quod domi privatæ fratres natu majores sunt, hoc in Regno sunt seniores, Ministrique Regii. Eadem itaque illa fraterna [36] observantia [37] est [38] quæ [39] colendi Regni [40] Majores. Sic denique fovere domi suæ benignèque habere pusillos ac imbecilles, dicitur pietas sive benignitas; atqui in Regno populus plebsque infima idem planè est, quod domi illa pusillorum imbecilliumque turba, eadem itaque illa [41] benignitas [42] est [43] qua [44] tractandus Regni [45] populus. Atque hæc tria, *obedientia* sci-

Digitized by Google

licet ergà parentes, *obſervantia* erga fratres natu majores, & *benignitas* ergà puſillos, ſunt illa recta ſui ipſius compoſitio in perfecto Principe; qua primùm quidem domeſticam ſuam familiam optimè inſtituit, ac deinde ad ejuſdem exemplum totum item Regnum ſuum componit; perfectâ ſcilicet ſubditorum erga Regem obedientiâ, inferiorum ergà Majores ſubjectione & obſervantiâ, ipſius demum Regis Regiorumque Miniſtrorum erga populum infimamque plebem benignitate & elementiâ.

§. 3.

UT ſuprà memoratos illos filialis obedientiæ, fraternæ obſervantiæ, benignitatiſque paternæ, clementiæque affectus, hominibus innatos ac proprios, & non operoſo aliquo ſtudio comparatos eſſe oſtendat *çem-çù*, comparatione utitur ex libro *xu-kim* deſumpta, dicens: [1]*cam* [2]*cáo* [3]ait: Rex bonus populum ſuum amat & complectitur, [4]ceu Mater amantiſſimè [5]ſtringit [6]nudum recenſque natum [7]filiolum ſuum. Quæ verba aſſumens *çem-çù* ita proſequitur; recens natus infans, ut & loquelæ impos, ita animi ſui ſenſa & deſideria voce aut ſermone ipſe exponere non valet. Porrò Mater ut eſt filii amantiſſima, ſic [8][9]animitùs & ex intimis præcordiis [10]inquirit, mentemque ſuam omnem intendit in percipienda filioli deſideria: quæ [11]tametſi [12]non uſquequaque [13]aſſequatur, tamen [14]non longe [15]aberrat: Norunt enim Matres magiſtrâ naturâ abſque alio ſtudio affectus percipere filiorum. Unde [16]non [17]fuit unquam ulla mulier quæ aliunde priùs [18]addiſceret rationem [19]educandi enutriendique [20]liberos [21]ac [22]deinde ipſa [23]nuberet. Quâ comparatione, ut dixi, *çem çû* innuit, etiam ſupradictas illas tres virtutes bono Principi debere eſſe ſpontaneas & quaſi nativas, minimè autem violentas aut ſimulatas. At noſſe unde ordiri illas, & quouſque extendere oporteat, eſt quod ſuprà dictum fuit, non exire domo ſuâ, & tamen rectam in virtute inſtitutionem toto latè Regno oſtendere.

p. 2. §. 1.

HOC paragrapho jam declarat *çem çû* quod paulo ſupra dixerat, nimirum, perfectum Principem tametſi Palatio ſuo non exeat, tamen optimè inſtituere totum Regnum. Sic itaque ait [1]unica [2]domus ſive Aula Regis domeſtica ſi [3]pia ſit amoremque mutuum inter domeſticos foveat, illicò exemplo famâque illius [4]toto [5]Regno [6]conſurget & florebit [7]pietas benevolentiaque mutua. [8]Unâ Regis [9]familiâ civilitatem [10]colente, [11]totum brevi [12]Regnum [13]erigetur ad eamdem [14]civilitatem: contrà ſi [15]unica Regis [16]perſona, nec pia, nec civilis, ſed [17]cupida ſit turpis [18]lucri, [19]totum brevi [20]regnum ejuſdem exemplo depravatum, [21,22]perturbabitur: [23]horum quippe [24]mutua- [24]ratio ac nexus eſt [25,26]hujuſmodi, juxta vulgare illud, qualis Rex talis grex. Et [27]hoc eſt quod olim [28]dicebatur, [28]unum aliquod [29]ver-

Digitized by Google

bum temerarium [31] perdit magna [32] negotia, uti & [33] una probi Regis [34] persona firmat [35] stabilitque [36] Regnum universum.

§. 2.

PRæsens hic paragraphus ab exemplo jam ostendit, quàm revera arctus & individuus sit inter Regis exemplum & populi imitationem nexus; & quoniam contraria juxtà se posita magis elucescunt, duobus optimis Regibus duos pessimos opponit. Ait itaque, [1] *Yaô* & [2] *Xún* [3] rexerunt [4][5] imperium [6] pietate & clementiâ [7] & [8] populus secutus [9] est [10] illos. Contrà, duo illi pessimi Reges [11] *Kie* & [12] *Chéu* [13] rexerunt [14][15] Imperium [16] crudelitate ac tyrannide, [17] & [18] populus item secutus [19] est [20] ipsos, imitando illorum improbitatem & scelera. Quod si quandoque [21] ea, [22] quæ publicis Edictis ejusmodi Reges [23] mandaverant, [24] contraria [24] erant [25] iis [26] quæ ipsi amabant [27] agere; [28] tum [29] populus [30] non [31] obsequebatur, quia scilicet videbant, ipsos alia foris præcipere, & alia domi suæ agere. [32] Hac de [33] causâ [34] probus [35] Rex priùs habet- [36] virtutem [37] in [38] semetipso, ac [39] tum [40] deinde eamdem rectè [41] exigit [42] ab [34] aliis, & priùs irreprehensus ac sine- [44] vitio [45] in [46] semetipso, [47] tum [48] deinde rectè illud [49] reprehendit [50] in [51] aliis: quod verè est, ex se metiri alios, & virtutem, quâ prior ipse plenus sis, in alios diffundere: Ubi enim virtus tuo ipsius exemplo ac famâ ad alios semel dimanaverit, tum enimverò his excitatus populus imitari te volet & sequi; tu verò tum demùm docere illum optimisque legibus instituere efficaciter poteris; secùs operam perdes. Nam ut [52] qui virtutis inops, vitiisque obnoxius [53] deliteſcit [54] in suâ- [55] ipsius [55] personâ, [56] nec boni aliquid ipse habet quod propaget [57] exteriùs, [58] tamen [59] possit [60] docere riteque instituere [61] alios, omnino [62] non potest [63] esse; nam sibi qui nequam, cui bonus esse potest?

Injurius Lectori essem, nisi hoc loco, quo prima horum quatuor Imperatorum facta est mentio, pauca saltem ex plurimis quæ de ipsis per omnes passim Sinarum Libros sparsa occurrunt, referrem. Primas demus ei, qui hic primus occurrit, Yaô *Sinensium Imperatorum maximè celebris, unà & Legislator: Hic Patre* Tí-co *Imperatore, & Matre* Kím tu, *dictâ ejusdem Reginâ decimo quarto à conceptu mense natus. Imperii gubernacula suscepit anno ante Christum 2357. quod quidem universim per annos 100. feliciter tenuit; & per postremos quinquaginta adeò pacificè rexit, ut subditi, an regeret, necne, nescirent. Hinc tantam apud omnes, non tantùm subditos, sed & posteros, virtutum suarum famam reliquit, ut quæ de ipso Sinensium Annales perhibent, non sine auxesi aut hyperbole dicta videantur; pietate enim cœlo, prudentiâ sapientiâque spiritibus, oris cultûsque majestate soli penè parem fecêre. Certum est fuisse Principem omnibus naturæ dotibus instructissimum; divitem sine elatione; nobilem sine insolentiâ; honestum syncerumque sine fictione. Vulgare humileque tectum erat ei Palatium; vestitus simplex, nec acupictus; cibus frugalis sine condi-*

mento

mento; vasa fictilia rejectis curiosis & peregrinis; stramen cubile erat; Rhedam non elaboratam, minimeque curiosam aut pictam Equi albi trahebant. Musica Tá cham *dicta gravis erat, pia & modesta; nam turpes cantilenas oderat. Totus in eo, ut Cœlo serviret, & egentioribus subveniret: Hinc illæ ipsius voces:* Fames populi mei, mea est; peccatum populi mei, meum item est. *Quo adeò subditorum voluntates sibi devinxerat, ut ei non jam metu pœnæ, aut spe præmii, sed gratuitis omninò animis velut Patri ac Matri parerent. Hinc illi defuncto justà per triennium per soluta ab omni populo veluti Patri ac Matri, ut in lib.* Xu kim *1. fol. 16. refertur; tantoque ejus desiderio tenebantur omnes, quanto nubis roscidæ in siccitate. Doctrinam* Tá-hio, *&* Chum-yûm *primus dicitur exemplo suo instituisse, factus ipse omnium posterorum sequentiumque Imperatorum prototypon & exemplar. Aulam habuit in urbe* Pîm yâm-fû *totius Provinciæ* Xan-si *celeberrimam. Anno regiminis sui secundo suprà septuagesimum elegit in præcipuum Imperii per octo & viginti annos collegam, ac deinde successorem* Xún, *motus scilicet famâ obedientiæ ejus erga parentes, & ut arctiori vinculo eum sibi adstringeret duas è filiabus suis in matrimonium ei dedit. Cumque audiisset, filium suum* Tan chu *malè habere, eò quòd excludi se videret à successione in Imperium, respondit:* Malo uni malè esse, ut benè sit toti populo, quàm populo malè esse & uni filio benè. *Tandem plenus dierum obiit anno ætatis suæ suprà centesimum decimo octavo; sepultusque est in Provinciâ* Xan-tum.

Xún, *alio nomine* Yû, *suo decessori per omnia similis eadem felicitatè rexit Imperium Sinense; & quia omnibus aurem facilè dabat, omnium animis mirâ facilitate imperabat. Sapientum consortio adeò delectabatur, ut eos conquiri undique, & magnis quandoque expensis voluerit. Musicam non minùs quàm antecessor suus, coluit. Nec Regiæ Majestati indecens judicavit pulsare, quinque, octo, & viginti quinque fidium instrumenta,* Kîn *appellata, quin imò & canebat ipse identidem versum, usque hodie decantatum, de venti australis in ditando populo suo, terrisque fœcundandis benignitate. Ex quo videas licet quàm alta illo Imperante pax extiterit, quantaque felicitate Sinense tunc Imperium abundaverit, quantisque incrementis in dies profecerit. Certè Annalium testimonio constat quam plurima Barbarorum Regna & Populos tam fortunati Principis famâ commotos illi sese ultrò subjecisse. Quam ejus felicitatem aquila per totum Imperium volitans, & novæ item stellæ sub eodem visæ designarunt; quæ tam felicia omina Populus gloriabatur, à* Xám-tí, *hoc est,* Supremo cœli Imperatore *descendere, Regem hunc suum tot favoribus prosequente. De centum & decem quibus vixit annis, unum suprà sexaginta felicissimè regnavit; rejectoque filio* Xam-kiun, *virtutem sanguini antepositi, dum magnum illum* Yù *in successorem elegit.*

Cæterùm quantum desiderii ac laudis Yaô *&* Xún *Legislatores, tan-*

tum execrationis & vituperii apud omnem retrò posteritatem commeriti fuêre duo illi alii Kie *&* Chéu, *gemina crudelitatis & libidinis monstra.*

Kie, *qui &* Lì-quèi *alio nomine dicebatur, Patre* Tí-fa *genitus, anno ante Christum 1818 regnare cœpit, decimus-septimus & postremus Imperator primæ familiæ Imperatoriæ* Hiá *dictæ, quæ jam inde à* Cùm-kia *decimo quarto Imperatore ejusdem familiæ ruinam minari cœperat. Iis erat corporis viribus, ut ferrum manu diffringeret. Mortuo Patre, anno imperii sui decimo nono tyrannide & crudelitate divexare populum cœpit & decimo quarto post anno, qui fuit imperii ipsius trigesimus tertius; pellicem insuper duxit* Muí-hi *dictam, cujus nutui in omnibus infami sanè servitute parebat. Monitus à suis, non solum non resipuit, sed & benè monentes spernens per summam ingratitudinem & crudelitatem neci dabat, dicere solitus, se habere imperium, ut Cœlum solem, ac proinde tùm demum se desiturum, cùm Sol desineret. Turrim ex Jaspide extruxit expensis populi. Lacus integros vino implevit quo tria hominum millia dato signo sese ingurgitare jubebantur. His atque aliis sexcentis ejusmodi crudelitatum, luxûs, libidinumque turpitudinibus diu insanientem, cœlum non uno prodigio monuit resipiscentiæ: anno enim ejus imperii quinquagesimo stellæ palàm visæ è cœlo decidere, terra insolitis motibus horrendùm concuti, exsiccari flumina, & montis* Tái-xan *pars magna terræ motu concidere. Cùmque tot prodigiis minisve necdum saperet, eodem anno à* Chîm-tam *(qui inter Regulos piis Priscorum legibus & avitis institutis impensius insistebat) Regno ejectus, fugit in locum* Nân-chaô *dictum, ubi triennio post exul obiit anno imperii 52. & cum ipso simul expiravit familia* Hiá, *quæ annos 458. duraverat.*

Chéu, *alio nomine* Xeù-sin, *Patre* Tí-ye, *ex Matre tum creatâ Reginâ tertiò-genitus (nam natu majores duo ex eadem quidem matre, sed adhuc pellice seu concubinâ nati jure Regni à successione excludebantur) Anno ante Christum 1154. imperare cœpit; fuitque vigesimus octavus & postremus secundæ familiæ Imperatoris* Xam, *vel* Yn *dictæ. Omnibus naturæ & ingenii dotibus ac talentis præ cæteris omnibus instructus. Eo pollebat corporis robore ut feras manibus discerperet: at luxu, libidinibus, & ebrietatibus talenta tam præclara prorsùs extinxit. Non sacrificabat* Xàm-tí, *seu supremo cœlorum Imperatori neque aliis, nec spiritibus; nam blasphemè passim jactabat, se habere* Tien-hiá *seu orbem totum infrà pedes. Octavo Imperii anno nactus pellicem* Tan-kì, *omnia pro hujus libidine administrabat. Turres & Palatia sumptuosa populi impensis extruebat peregrinis quibusvis ac sylvestribus feris alendis. Vini lacum aperuit, in quem viri mixtim ac mulieres deposito cum vestibus pudore sese immergerent. Crudele supplicii genus,* Paô-lo *dictum, eâdem pellice inventrice & auctrice, instituit: Erat autem illud columna ænea, latitudinis octo, longitudinis viginti cubitorum, interius cava tota, &*

tribus distincta orificiis, uno scilicet infrà, altero in medio, alio denique in parte ejus superiore; quibus velut ternis receptaculis immissus ignis multiplicatâ urendi vi molem illam tantò citiùs vehementiusque candefaceret: huic columnæ, etiam leviorum criminum reus, ferreis catenis strictissimè alligatus, eo situ pendebat, ut pedibus manibusque eam veluti amplexaretur; atque ita incandescente paulatim machinâ torrebatur & assabatur miser velut in sartagine horrendùm vociferans ac ejulans, donec diffluente undique carne, nervis & adipe, ipsa etiam ossa carbonis instar incandescerent, ac tandem in cineres abiret totus; vidente adhæc, ceu grata & amœna oculis suis spectacula Pellice Tan-kì, *& nihil minùs quàm miserorum ejulatus miserante. Tantam Regis Pelliciſque libidinem ac tyrannidem, tametsi qui à consiliis erant, non semel notarent, & ad frugem reducere vesanum niterentur; adeò tamen nihil profecere, ut surdo ad omnia, imò ampliùs furente ac fremente Rege, horum alii neci darentur, alii latebris sese abderent, alii demùm etiam amentiam simulantes in sylvas & ferarum latibula se proriperent.*

Tandem à Vù-vâm *inter Regulos præcipuo, in prelio victus ad Turrim confugit, ubi spe omni evadendi amissâ, ipse se cum omni supellectili Regiâ incendit, ne vivus in hostium suorum manus deveniret; idque anno imperii sui* 32. *Et cum ipso simul finem accepit familia* Xam *postquam annos* 644. *duravisset.*

f. 10. p. 1. §. 1.

CLaudit his *çem çù* suprà factum discursum de individuo nexu, qui inter domesticæ familiæ institutionem & rectam Regni administrationem intercedit; & postquam eumdem ab exemplo satis confirmavit, sic tandem infert; [1] itaque recta [2] gubernatio [3] Regni [4] consistit in recte [5] instituendo [6] suam [7] familiam aulamque domesticam.

§. 2.

POstquam superiorem ratiocinationem de rectâ familiæ Regnique institutione jam clausisset *çem-çu*, ad uberiorem ejusdem argumenti declarationem, nonnulla item ex Odarum libris mutuatus, hîc, ceu appendicem superaddit his verbis: [1] carmen [2] ait: malus [3] persica cum ineunte vere ô quàm [4] pulchra! ô quam [5] bella! [6] ejus [7] folia ô quàm [8] florida! ô quàm [9] amœna! Talis est [10][11] sponsa seu recèns nupta [12] cum [13] transit in domum sponsi, ubi quod [14] convenit [14] præstat [15] suis [16][17] domesticis, singulis quod suum est tribuens, mariti scilicet parentibus observantiam, pacem cognatis, marito obedientiam, benevolentiam inferioribus & curam; ex quo illud viciſſim consequitur, ut omnes ac singuli ejus domestici tam erga ipsam, quam ad invicem debitè item sese habeant; adeoque domus tota ejus unius exemplo benè ordinata sit & composita. Postrema loci hujus verba excipiens *çem-çu* eadem Regi applicat dicendo;

Digitized by Google

ita & Rex familiam aulam-ve ſuam domeſticam exemplo ſuo ſic inſtituat, ut in eâ omnes ac ſinguli quod ſui eſt muneris viciſſim præſtent; ſic enim ubi Rex quæ [18]par [18]eſt [18]præſtiterit priùs [19]ſuis [20][21]domeſticis, [22] tùm [23]deinde [24][25]poterit [26]docere ſancteque inſtituere etiam [27]Regni totius [28]populum.

§. 3.

ALterius Odæ hic locus eſt eidem propoſito ſerviens, ubi [1]Oda ſic [2]ait : frater minor quæ [3]par [3]eſt [3]præſtet [4]majori; & frater major quæ [5]par [5]eſt [5]præſtet [6]minori. Quod non ita ad uterinos dumtaxat fratres reſtringendum eſt, ut non æquè inter alios locum habeat. Nam in unâ aliquâ integrâ familiâ domeſticâ quicunque aut ætate aut conditione nobis majores, fratrum majorum loco habendi nobis ſunt; atque ut tales omni reverentiâ & obſequio demerendi; tunc enim & ipſi viciſſim nos veluti minores fratres ſuos & amabunt & fovebunt. Atque hoc eſt, quod Oda ait, frater minor quæ par eſt præſtet majori. Sic item qui vel ætate, vel conditione inferiores nobis ſunt, diligendi à nobis & fovendi ſunt ut natu minores fratres; & ipſi procul dubio viciſſim nos veluti fratres ſuos majores & honore & obſequio proſequentur; quod eſt, ut Oda ait, fratrem majorem quæ par eſt præſtare minori. *çem-çu* hæc Odæ verba applicans, ſi Rex (inquit) priùs domi ſuæ & in privatâ aulâ valet adimplere ipſe, & exemplo ſuo efficere, ut domeſtici ſui omnes adimpleant, & præſtent [7]quod [7]par [7]eſt fratribus [8]majoribus, & quod [9]par [9]eſt [10]minoribus, ut modo dictum eſt; [11] tum [11] deinde [13][14] poterit etiam [15]docere, recteque inſtituere [16]Regni totius [17]populum; efficiendo ſcilicet, ut juxta ſuum ipſius exemplum etiam ipſi fraternâ inter ſe lege vivant; obſervantiâ nimirùm ergà majores ac ſeniores ſeu fratres ſuos natu majores; amore verò & benevolentiâ ergà puſillos acinferiores, ceu fratres ſuos minores.

§. 4.

ALIA demum [1]Oda [2]ait; ſi Rex [3]ſuo in omnibus [4]exemplo [5]non [6]deficiat, rectè [7]inſtitutum [8]erit ex [9]omni [9]parte [10]regnum ejus. Quæ Odæ verba declarans *çem çu*, ſi (inquit) [11]ipſe Rex domi ſuæ perſonam [12]agens [13]patris, [14]filii fratris [15]majoris & [16]minoris, [17]ſufficiens ſe præbuerit [18]exemplar, id eſt, ſi amorem ut pater, obedientiam ut filius, concordiam & benevolentiam, ut frater major, obſervantiamque ſubjectionemque, ut minor, adamuſſim ſervaverit, erit, ut Oda inquit, ejus exemplum undequaque perfectum ſeu in nullo deficiens; ac [19]tum [20]deinde [21]populus ipſum veluti prototypon ſuum [22]imitabitur. Parentes ſcilicet etiam ipſi benignitatem colent amoremque paternum; filii pietatem & obedientiam; atque ita totum denique Regnum omni ex parte recte inſtitutum erit.

Digitized by Google

p. 2. §. 1.

TRes isti modò citati & ex Carminum libro mutuati textus, tametsi verbis differentibus, idem tamen omnes dicunt, nempè hoc [1]ipsum quod superiùs dictum [2]fuit, recte [3]gubernare [4]regnum [5]consistere in rectè [6]instituendo [7]propriam [8]familiam.

EXpeditis iis quæ ad rectam familiæ Regnique institutionem pertinent, aggreditur nunc tandem *çem çu* postremum membrum doctrinæ Magistri sui superiùs libri hujus initio traditæ, & [1]quod ibi [2]dicebatur, [3]pacificare [4][5]imperium [6]consistere in rectè [7]gubernando [8]proprium [9]regnum; simili discursu explicat dicens: Quia homines ejusdem rationis sortiti sunt animam, ideo eadem in omnibus est etiam affectuum ratio; sic videmus, ubique terrarum parentes velle & amare in filiis obedientiam; Seniores Majoresque subjectionem & reverentiam in inferioribus, miseros & pupillos optare in potentioribus miserationem ac beneficentiam, &c. Sed enim horum omnium moderatio ac mensura penes unum ac solum est Regem, utpote qui instar primi mobilis Ministros ac Subditos suos, ceu inferiores orbes, eò quò ipse inclinat, secum unà exemplo suo rapit & impellit: sic enim si [10]Rex domi suæ omnes [11]obedientis- [11]filii- [11]partes [11]impleat erga [12]parentes suos; [13]tum & [14]populus exemplo illius excitatus [15]erigetur ad [16]obedientiam ergà suos. Si [17]Rex debitæ [18]obedientiæ [18]leges [18]adimpleverit erga [19]fratres [19]suos [19]natu [19]majores, alioque si quos domi suæ habeat Seniores, [20]tum & Regni totius [21]populus ejusdem exemplo [22]erigetur ad [23]subjectionem reverentiamque erga [23]majores suos. Si denique [24]Rex [25]commiseratione ac [25]benignitate ut par est [25]utatur ergà illos quos domi suæ habet [26]orphanos ac [26]pupillos, [27]tum [28]populus [29]non aget [30]contrarium; sed omnes item ac singuli eadem benignitate fovebunt quoscunque domi suæ habuerint pupillos ac imbecilles. Tanta scilicet est Majorum Superiorumque cum inferioribus connexio, ut in quibus illi præeunt, isti illicò sequantur. Unde videre est, sicut eadem est toti alicui Regno quæ privatæ unicuipiam familiæ, sic eamdem item esse toti Imperio quæ privati Regni populo affectionum rationem. Quæ [31]est [32]ratio cur [33]probus ejusmodi [34]Princeps [35]habeat in se [36]mensuræ [37]normæque [38]rationem; qua ex suâ ipsius personâ metiens alios, exemplo suo ad eadem quæ ipse vel amat, vel aversatur, agenda vel non agenda excitat.

Loci hujus opportunitas invitat, ut hic breviter aliqua de Sinensium Imperatorum erga Senes, pupillos, alioque paupertate, aliâve calamitate pressos, observantiâ & pietate attingam; ut scilicet hinc deinde intelligat Europæus Lector, quantùm honoris & observantiæ sempèr detulerint Sinæ parentibus suis, aut potius quantùm pietatis, amoris ac solicitudi-

Digitized by Google

nis iidem parentes liberis; & Reges ſubditis ſuis jam olim impenderint. Et certè eſt quod & Europa Chriſtiana miretur ac æſtimet tantam in Gentilitate illâ veteri pietatem; tametſi ab eâ poſteri adeò jam defecerint, ut aliam planè naturæ indolem quam veteres illi habuerint, nacti eſſe videantur. Referunt itaque officiorum libri fusè ac paſſim, ab ipſis Yaô *&* Xún *Legiſlatoribus piam hanc conſuetudinem invaluiſſe, peculiari ſcilicet curâ alendi Senes, & quidem in loco ad eam rem deſtinato: honoratiores quidem in ſuperiori aut Orientali Gymnaſio, plebeios in inferiori aut Occidentali. Atque hanc conſuetudinem deinde apud poſteras familias,* Hià, Xam *&* Cheu *conſtanter perſeveraſſe; ut ex variis ejuſdem libri officiorum locis quæ brevitatis causâ omittimus manifeſtum redditur. Certè de* Xún *Imperatore Annales perhibent (& illius exemplo alios deinde Reges) dum Imperii Provincias obiret, ſciſcitari paſſim ſolitum, an qui eſſent centenarii; & ſi quos ipſe comperiſſet, eos coram inviſiſſe. Imò eorumdem Annalium teſtimonio conſtat, veteres illos Sinarum Reges poſt peracta Sacrificia, mutatâ veſte ſeſe ad alendos Senes conferre ſolitos, idque (ut ibidem refertur) quod putarent, hoc miſericordiæ corporalis opere aſſequi à cœlo quod petierant. Cæterum ex eodem officiorum libro illud Nobis præterea conſtat, hanc Sinenſium Imperatorum pietatem ac beneficentiam non ad unos dumtaxat ſenes, ſed ad miſeros quoſvis, pupillos, viduas, mutos, claudos, mutilos, &c. ſeſe extendiſſe.*

f. 11. p. 1. §. 1.

AD uberiorem ſupradictorum declarationem, modò à partium enumeratione oſtendit *çem-çu* in quo illa menſuræ normæque ratio conſiſtat; ſeu quâ ratione & in quibus metiri alios ex nobis conveniat, dicens: Hominum quibuſcum degis; [1]alii ſuprà, alii in[2]frà te, alii ante, alii poſt, alii demùm à dextris ſunt, alii à ſiniſtris; & omnes quidem ſimiliter, ut tu, affecti; eadem quæ tu fieri tibi ab ipſis vel velis vel nolis, ipſi quoque ſibi à te fieri vel volunt, vel nolunt. [1]Quæ igitur tu [2]averſaris [3]in [4]ſuperioribus, [5]ne [6]agas cum [7]inferioribus; & [8]quæ [9]averſaris [10]in [11]inferioribus [12]ne [13]agas cum [14]ſuperioribus. [15]Quod item [16]odiſti [17]in [18]anteceſſoribus, in eo [19]ne [20]præeas tuis [21]poſteris; & [22]quod [23]odiſti [24]in [25]poſteris, in eo [26]ne [27]ſequaris [28]anteceſſores. [29]Quæ denique [30]damnas [31]in iis qui ſunt [32]à [33]dextris, [34]ne [35]agas [36]cum iis qui [37]ſunt [38]à [39]ſiniſtris; & contrà, [40]quæ [41]improbas in [42]iis qui ſunt à [43]ſiniſtris, [44]ne [45]agas [46]cum iis qui ſunt à [47]dextris. Verbo: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Atque [48]hæc eſt & [49]dicitur vera [50]menſuræ [51]normæque [52]ratio; qua uſus probus quicunque Princeps illud tandem conſequitur, ut factus ipſe cum populo ſuo velut cor unum & anima una, eadem, quæ populus, velit nolitque, pater jam veriùs dicendus populi quàm Dominus. Quod *çem-çu* ex Odarum libro planè perappoſitâ ad hunc locum authoritate confirmat, dicens;

Digitized by Google

§. 2.

1. CArmen [2]ait: laudabilis [3]amabiliſque ejuſmodi [4][5] Princeps, planè eſt [6] populi [7]pater ac [8]mater. Quod carmen idem *çem-çú* proſequens ait: [9] populus [10] quibus [11] gaudet [12] gaudere, & [13] populus [14] quæ [15] averſatur [16] averſari; [17] hoc [18] dicitur eſſe [19] populi [20] patrem & [21] matrem. Quaſi diceret: Regem actiones ſuas omnes ex populi ſui affectu & voluntate metiri moderarique, filiorum inſtar ipſum fovendo ac tuendo, res eſt, qua populus devinciri in primis, ſubditique, omnes ac ſinguli mirificè gaudere ſolent. Si itaque hoc eodem Rex etiam ipſe gaudeat, ut quod populus in votis, hoc ipſe in opere habeat; iſtud eſt, Regis cor in ſubditorum ſuorum animos ita transfuſum eſſe, ut iiſdem, quæ iſti deſiderant, ille gaudeat; & quæ hi oderunt, etiam ipſe averſetur; planè patris inſtar ac matris filium ſuum intimo affectu complectentis. Unde & populus hunc ejuſmodi Regem viciſſim patris utique & matris loco habebit; qui eſt præcipuus metientis alios ex ſeipſo effectus.

p. 2. §. 1.

SUpradicta confirmat à contrario *çem-çu* ex alio loco ejuſdem libri carminum; ubi [1] Oda [2] ait: [3] ô quàm [3] præruptus [3] eminet [4] ille [5] auſtralis [6] mons! [7] ejus [8] rupium ô quanta-quàmque [9] horrida [10] congeries! Sic potentiâ dignitateque [11] verendus [12] emines magne- [13] magiſter Regie [14] *Tn*; & [15] populus quidem [16] omnis [17] te veretur ac [18] ſuſpicit; ſed non amat, utpote privato, non communi bono conſulentem. Quem Odæ locum declarans *çem-çu* ait: cùm [19] habens [20] regnum, ſive Rex, in arduo illo Regiæ dignitatis faſtigio conſtitutus ſubditorum oculis nunquam non pateat; [21] non [22][23] debet [24] non ſolicitus [25] vigilare, curaſque omnes eò intendere, ut quidquid rerum negotiorumque aggreſſus ipſe fuerit, omnia cum populi votis, & expectatione conſentiant: quod ſi enim metiri ex ſe alios non noverit, ſed omnia pro ſuâ unius libidine & cupiditate agens, eâ quæ populo proficua & in votis ſunt negligat; quæ verò populo inviſa perniciosaque ſunt, propulſare & avertere non laboret: futurum procul dubio eſt, ut alienatis ab ipſo animis, & ſeditionibus ac tumultibus diſtractus populus ab ipſo tandem diſcedat; ipſeque relictus ſolus tueri à ruinâ conſervareque Regnum diutiùs non valeat. Propterea ſi Rex (inquit *çem-çu*) ab hac regulâ [26] deflexerit, [27] omninò [28] erit [29][30] imperii occaſus [31] & ruina.

§. 2.

ALterius Odæ hic locus eſt, qui ab exemplo item oſtendit, totius Regni incolumitatem ab amore populi pendere, quo ſemel perdito, Regnum nec poſſe diu conſiſtere. Sic igitur [1] Oda [2] ait: familia [3] *Tn* (vel, quod idem eſt, familia Imperatoria *Xam*, cujus truncus fuit famoſus ille Rex *Chim-tam*) [4] antequam [5] amitteret [6] po-

pulum, seu populi amorem, pacificâ possessione tenebat regebatque Imperium, & ob virtutis suæ cum cœlo conformitatem [7]poterat, sive digna erat in [8]societatem [8]& consortium [8]admitti à [9]supremo [9]cœli [10]Imperatore. Posteaquam verò ab avitâ Majorum Antecessorumque suorum virtute degener posteritas deflexit, populique amore excidit; excidit & cœli favore, seu imperio cælitus collato. Quapropter [11]oportet nunc posteros familiæ nostræ *Cheu* (quæ successit in Imperio familiæ ϒn, seu *Xam*) conjicere [12]oculos [13]in familiam [14]ϒn, & cavere sibi, ne malum ejusdem exemplum secuti, Imperium & ipsi similiter amittant. [15]Altissimum enim cœli [16]mandatum seu cœli favor, quo Imperia conferuntur, [17]haud [18]facilè conservatu est. Oda igitur vult [19]dicere (ut exponit *çem-çu*) [20]obtento [21]populi amore, [22]mox [23]obtineri & [24]regnum; uti è contrà [25]amisso [26]populi amore, [27]mox item [28]amitti [28]regnum.

f. 12. p. 1. §. 1.

QUandoquidem, ut dictum est, Imperii diuturnitas & conservatio à populi amore, amor autem populi à virtute, quæ sola Principem facit amabilem, dependet; [1]ideò [1]perfectus [4]Rex ante [5]omnia invigilat, & [6]incumbit [7]in [8]virtutem: [9]habitâ quippe [10]virtute hoc [11]ipso [12]habebit & [13]hominum seu populi voluntates: [14]habitis autem pro se [15]hominum seu populi voluntatibus eo [16]ipso [17]habebit & [18]terras, quas colens & incolens populus ejusdem dominio subjacere libens lubensque volet. Porrò [19]habitis [20]terris hoc [21]ipso [22]habebit & profectas inde [23]opes ac [23]facultates. [24]Habitis demùm [25]opibus, eo [26]ipso [27]habebit omnia ad Regni [28]usum & conservationem necessaria.

§. 2.

ILlatio hæc est, auro cedroque dignissima, qua ex dictis infert Author, [1]virtutem esse magis [2]principale, sive majoris momenti ad pacificam Imperii gubernationem, & tanquam radicem à qua omnis Regnorum incolumitas vigorque proficiscitur; [3]opes verò minus [4]principale seu, ut ita dicam, accessorium, minorisque momenti, ac proinde veluti ramos in arbore, qui fixâ semel altè vigenteque radice non possunt non amœnum virere etiam ipsi. Nam ut ut ad Imperii conservationem necessariæ sint opes, ejusmodi tamen sunt, ut ubi domina virtus domicilium fixerit, eòdem illæ ceu pediseæquæ ultrò sequantur.

§. 3.

QUandoquidem virtus juxtà modo dicta, est magis principale majorisque momenti, ut pote radix & fundamentum felicis regiminis; opes verò minùs principale minorisque momenti, utpote rami qui ex fœcunda illâ virtutis radice deinde ultrò enascuntur; consequens est, bono Principi illam in primis cordi esse debere

debere, ac velut domesticam habendam; has verò minùs curandas, ac velut alienigenas foris locandas. Quod si igitur Rex in [1] extimis [1] habeat minusque curet id quod magis [2] principale, id est, virtutem: In [3] intimis seu cordi in primis habeat id quod [4] minùs [4] principale, id est, opes, per fas nefasque eas coacervando; populus utique ejus exemplo doctus eadem illicò aget; jurgiis, litibus, furtis, ac rapinis sese invicem consument omnes. Propterea (inquit *çem-çu*) ejusmodi Rex ad [5] rixas [5] seditiones ac [5] turbas [5] commovebit [6] populum, viamque [7] aperiet [8] furtis ac [8] rapinis.

§. 4.

[9][12] IDcircò cum [1] opes per fas nefasque [4] corraduntur, eo [5] ipso [6] populus [7] dispergitur; & contrà, ubi [8] opes prudenter in populi Regnique communes necessitates [9] disperguntur, eo [10] ipso [11] populus [12] congregatur; omninò enim opum iniqua coacervatio est populi dispersio, & opum largitio atque dispersio, populi est adunatio & congregatio.

§. 5.

IMO verò avara ejusmodi opum divitiarumque coacervatio, non tantùm populi, sed & ipsarummet etiam opum est certissima perditio & jactura. [9][12] Propterea enim (inquit *çem-çù*) sicut [3] verbum [4] temerarium ore [5] egressum, [6] etiam [7] temerarium iterum [8] intrat; sic [2] opes per [10] nefas [11] ingressæ, [12] etiam per [13] nefas iterum [14] egrediuntur. Quasi diceret: Sicuti qui verba injuriosa contrà alios profert, similia item ab aliis contrà se prolata audiat necesse est; sic opes malè semel partæ conservari diu non poterunt quin malè iterum dilabantur. Adeoque iniqua opum coacervatio, non tam accumulatio est, quàm perditio. Si igitur iniquæ ejusmodi opes conservatu difficiles adeò sunt, quorsum Rex eas ita in intimis, virtutem verò in extimis habeat.

p. 2. §. 1.

QUOD præposterum illum divitiarum amorem, populi dispersio, ac per consequens ipsiusmet Imperii ruina sequi soleat; ab authoritate confirmat *çem-çù* his verbis: Liber [1] *Cam* [2] *caó* [3] ait: Cœli [4] mandatum, seu Imperium, non [5] est [6] diuturnum. Vult [7] dicere (inquit idem *çem çû*) Rex qui [8] probus virtutisque est amans, eo- [9] ipso [10] obtinet conservatque Imperium; qui verò [11][12] improbus pluris aurum quam virtutem æstimat, [13] illicò illud [14] amittit. Virtutem itaque Rex in primis colat, & hanc unam præ opibus in pretio habeat siquidem stabilem esse cœli favorem in conservando sibi Imperio desiderat; hæc enim unà, ut suprà dictum est, Regnorum, Imperiorumque solidissima est basis ac Firmamentum.

Digitized by Google

§. 2.

EXemplo ex Chronicis desumpto ostendit hîc *çem çû*, quàm reverâ nihil virtute pretiosius esse Regi debeat, dum auro & gemmis potiorem apud bonos Principes jam olim fuisse commemorat. Cum enim Regni *çù* (nunc est Prov. *Hû-quàm*) Legatus, *Vân-sim-yù* dictus à *Chao-kien-çù* Magnate Regni *çín* de opibus gemmisque pretiosis illius Regni interrogatus aliquando esset ; ejusdem, [1] *çù* Regni [2] Chronica [3] aiunt ita respondisse ; [4] *çù* [5] Regnum [6] nihil habet quod reputet [8] pretiosum ; solam & unicam [10] virtutem [11] reputat [12] pretiosam. Quasi diceret : Tametsi Regno nostro *çu* aurum, uniones lapidesque pretiosi non desint ; non tamen hæc ita in pretio habemus, ut virtutem virtuteque præditos viros, qui Regno nostro non desunt, auro & gemmis potiores longè pretiosiores non ducamus. Et reverà tum temporis illo in Regno duo virtutis famâ insignes viri vivebant, quorum unus *Quón-xé-fú*, alter *çò-sù-y* dicebatur : Ambo enim hi viri sapientiâ, consilio, integritate, justitiâ & pietate, Regem suum Regnumque ipsum, velut firmissimæ duæ columnæ, sulciebant.

Simile huic planè parallelum est, quod sub Hiên-vâm *trigesimo secundo Imperatore familiæ* Cheu *(sub quo Philosophus* Mem-çú *vixerat) accidisse Sinarum Chronica memorant. Regulus Regni* çî *fœdus cum Regulo Regni* Guéi *contraxerat : hic cum ex illo, an lapides pretiosos in suo Regno haberet, percunctatus esset, & ille non habere respondisset ; miratus, & respondenti vix credens, ego (inquit) qui Regnum tuo longè minus possideo, lapidem tamen habeo pretiosum (putà carbunculum) qui duodecim quadrigarum spatium fulgore suo illuminat ; cui igitur credam, in Regno tuo quod præ meo longè amplum est non haberi lapides ejusmodi pretiosos ? Ad quæ Regulus Regni* çî, *habeo (inquit) quatuor ministros, seu Dynastas, qui Provincias sibi creditas cum magnâ prudentiâ & virtute administrant ; hi ipsi scilicet sunt carbunculi lapidesque mei pretiosi, qui non tantùm duodecim quadrigarum, sed mille omninò stadiorum Sinicorum spatium virtutis suæ radiis ac luce longè lateque collustrant.*

Alterum huic attexo longè antiquius & æquè illustre virtutis testimonium ex iisdem Chronicis, datum ab illustrissimâ illâ Heroïnâ Kiam *Reginâ conjuge Imperatoris* Siven-vâm, *ex familia* Cheu *undecimi, qui annis ante Christum 827. ante Confucium verò 200. & ampliùs regnare cœpit. Cum enim hic Imperator 33. Imperii sui anno conviviis ac libidinibus totum sese ingurgitaret, Regina* Kiam *conjugis incontinentiam luxumque detestata, detractis sibi priùs inauribus gemmisque pretiosis quas gestabat, Regem adiit, eumque intrepida coarguit, dicens,* Vâm lo se, ûlh vâm te, *id est,* tu ô Rex, gaudes luxuriâ, & obliviscéris virtutis, *quam ego præ lapidibus pretiosis longè pluris facio, &c. plura deinde in illam rem disserens adeò Imperatoris animum immutavit, ut omninò*

Digitized by Google

ad virtutem rectumque regimen ſe ſe applicuerit, quod deinde 13. adhuc annis cum laude adminiſtravit.

§. 3.

NON minùs huc facit laudatiſſimum illud magni illius viri *çù-fan* (qui Principis *vên-cum* avunculus erat) pronunciatum; quo nepotem ſuum *vên-cum* ad pietatem defuncto patri *Hién-cum* debitam hortatus fuit. Hic enim *Vên-cum*, cum adhuc Regulus eſſet Regni *çin*, novercæ ſuæ *Lî-ki* inſidias & tyrannidem declinaturus, extrà Regnum longiùs abierat (quæ cauſa fuit, cur hoc loco in ſui compellatione uſus ſit litterâ *vam*, quæ mortuum ſignificat, quaſi Regno ſuo defunctus mortuuſque eſſet) tùm pererratis variis circum regionibus tandem ad *çîn* Regnum delatus, etiam patre ſuo *Hién-cum* qui interim fatis conceſſerat, orbatus eſt. Quo intellecto Regni *çin* Regulus, *Mo-cum* dictus, pupillum hoſpitem ſuum ad capeſſenda arma & recuperandum poſtliminio Regnum *çîn* hortatus eſt, oblatis liberaliter ad tam juſtam expeditionem & armis & milite: verum hic non aliud, quàm quod avunculus *fan* docuerat, reſpondit his Verbis: *Mortuus ego homo nil habeo quod ducam pretioſum*; nequidem ipſum Regnum, quo ultrò exceſſi; *Sola virtus & pietas erga parentes eſt quam duco preti ſam*: Et ita quidem ut malim carere Regno mihi debito, quam arma capiendo frangere luctûs jura & lædere pietatem demortuo patri debitam, quæ arma capere hoc luctûs tempore prohibet.

§. 4.

SUſpiria hîc ſunt & vota *Mo-cum* Principis *çîn*, quibus vel unum aliquem probatæ integritatis ſolidæque virtutis virum ſibi à conſiliis, & in Regni adminiſtrationem adjutorem optabat; cui ſcilicet omnem officiorum dignitatumque diſpenſationem tutò committeret. Itaque Regni hujus [1]*çîn* Princeps vota hæc ſua proceribus [2]notificaturus identidem [3]dicebat; ô [4]ſi [5]haberem [6]unum [7]aliquem [8]Dynaſtam virum [9]integrum ac [10]ſyncerum; cui tametſi [11]nullum eſſet [12]aliud [13]talentum; [14]ejus tamen [15]cor [16]amplum & [17]tranquillum, liberumve invidiæ eſſet: [18]Hic talis [19]ſi [20]haberet eam animi omnes æquè complectentis [21]amplitudinem, ut videns [22]hominem [23]habentem præclara [24]talenta animitùs eumdem amaret, tanquam [25]ſi [26]ipſemet ea [27]haberet; videnſque [28]alios [29]ſapientiâ [30]virtuteque præditos, [31]ipſe ex [32]corde [33]gauderet, eoſque [34]non [35]merè verbo tenùs, & [36]velut [37]à [38]ſuo dumtaxat [39]ore [40]profectâ laude commendaret, ſed [41]verè ac ſyncerè [42]valeret [43]admittere ejuſmodi viros à virtute & naturâ egregiè commendatos, utendo eorumdem operâ, eoſque ad congrua ipſorum talentis munia & dignitates evehendo. Hujuſmodi ſcilicet vir is eſſet, [44]ut [45]valeret [46]tueri & conſervare [47]meos [48]filios ac [49]nepotes in ſtabili Regni fortunarumque poſſeſ-

sione & affluentiâ [50][51] populum verò in pace, unione & tranquillitate perenni, sed quid dico conservare? [52] imò [53] etiam [54] esse [55] lucro Regno ipsi universo & novo in dies incremento. Contrà, si procerum meorum unus aliquis esset, qui totus suis unius commodis intentus, suis dumtaxat unius dotibus ac talentis arrogaret omnia; adeoque [56] viris aliis [57] habentibus bona [58] talenta [59][60] invideret [61] ideoque eosdem etiam [62] odisset [63] viros item [64] sapientiâ virtuteque [65] præcellentes ipse mille technis & astibus armatus excluderet, [66] impediretque, nihil non [67] faciens ut [68] non [69] emergant: hic talis philautiæ labe usque eò infestus, pectorisque adeò angusti homo [70] reverâ [71] non [72] valet [73] admittere aut secum compati viros à virtute ac naturâ insigniter commendatos, multoque minùs ad altiora evehendos ipse proponere. Adeoque in Primatis dignitate constitutus facit, ut Rex ultimis tandem angustiis pressus regios animos despondeat ipse, & pessimi quique votorum suorum potiantur; atque ita res omnes Regni ac negotia pessum eant. Talis itaque est [74] ut [75] neutiquam [76] valeat [77] tueri [78] meos [79] filios ac [80] nepotes, nec efficere ut in ipsis regius honor & dignitas diu perseverent; sed nec [81,82] populum in longâ pace conservare quin ipsius tyrannide & vexationibus exacerbatus insurgat. Nihil igitur tutelæ, nihil præsidii ab hoc tali aliquando expectandum; [83] imò verò ausim [84] dicere futurum illum Regno meo universo regiæque stirpi extremo tandem [85] discrimini ac [86] ruinæ.

§. 13. p. 1. §. 1.

DOcet hoc paragrapho *çem çu* [1] solum [2] pium & verè [3] amantem [4] populi [5] Principem, qui scilicet populi sui affectus & vota ex suâ unius personâ metiri novit, esse ejus virtutis & animi, ut, ubi pernicioſum ejusmodi Dynastam, aut Consiliarium deprehenderit, illicò eumdem [6] [7] proscribat, longissimèque [8] exterminet à Regno [9] ad usque [10] quatuor plagarum [11] Barbaros, exterasque gentes, [12] non permittens eum [13] [14] cohabitare reliquis in [15] medio *(hoc est Sinarum)* [16] regno; ne scilicet viris à naturâ & virtute egregiè instructis intrà Regnum damno esse aut obstaculo possit: Ut enim medullitùs hærente dolore irâ-ve te liberes, ipsam mali radicem extirpes necesse est. Atque hoc [17] ipsum planè est quod *Confucius* [18] dixerat; videlicet [19] solum [20] pium perfectumque [21] Principem [22] esse qui [23] norit [24] amare [25] homines, & [26] norit item [27] odisse [28] homines.

p. 2. §. 1.

QUia suprà dixerat *çem-çu*, viros probos magno esse Reipublicæ emolumento, & improbos non minori detrimento; monet jam in præsenti hoc paragrapho bonum quemlibet Principem, ne in illis ad regimen adhibendis, in his verò removendis, segniorem sese exhibeat: sic enim ait: [1] videre seu nosse virum aliquem [2] probum ac [3] sapientem [4] & [5] non [6] velle [7] evehere & uti illo; vel, [7] evehere quidem

quidem, sed[8] tamen non voluisse id facere [11] citiùs, est injuriam [12] facere. Sed è contrà [13] videre [14][15] improbum ac pernicioſum Reipublicæ hominem in dignitate constitutum, & [16] tamen [17] non [18] velle eum inde [19] removere; vel, [20] removere quidem, sed admodum segniter ac remisse; [21][22] nec [23] velle removere [24] longius, crimen [25] est.

§. 2.

SCire amare homines, & scire odisse, est perfectè adimplere supra dictam illam probi Regis normam ac regulam, qua populi affectus ex suâ unius personâ metiri solet; nosse viros probos, nec eosdem evehere, aut saltem evehere seriùs quam par est; & contrà, nosse improbos reique publicæ pernicioſos, nec eosdem averruncare longiùs, est deficere ab eadem regulâ. Et de his duobus utroque proximè antecedenti paragrapho *çem-çu* egerat; hoc præsenti nunc agit de improbo Principe qui dictam regulam, non tantùm non sequitur, sed eidem ex oppoſito adversatur. Ait itaque, [1] amare [2] quæ cæteri [3] homines passim [4] oderunt; & [5] odisse [7] quæ cæteri [6] homines [8] amant; [9] hoc [10] dicitur [11] repugnare communi [12] hominum [13] naturæ. Quasi diceret, improbus consiliarius, pacisque publicæ in Regno perturbator (de quo paulò suprà facta mentio) est ille exoſus omnibus; adeoque ab officio & dignitate longiùs removendus: hunc talem fovere nihilominus, ejusque malitiæ & impoſturis non tantum credere, sed ejusdem insuper operâ ad res quasque Regni etiam maximas uti; hoc scilicet est, quod *çem-çu* ait, *amare quod homines oderunt*: Contrà, vir probus & integer Regique fidelis est ille, quem unanimi affectu boni omnes amant, adeoque dignus qui ad primos in Regno honores ac dignitates quantocyùs evehatur: porrò hunc talem contemnere, nec tantùm non admittere, sed & longiùs abjicere; hoc demùm est, quod idem *çem-çu* ait, *odisse quæ homines passim amant*. Sed enim odisse malum, & amare bonum, hæc ipsa est communis omnium natura, quam mortalium nemo non æquâ portione sortitus est: Amare itaque quem alii omnes oderunt, & odisse quem alii omnes amant & æstimant, an non est repugnare adversarique communi mortalium omnium naturæ? Qui autem huic sic adversatur, quidnî simul etiam omnium odium invidiamque ipse incurrat? atque ita invisus omnibus & exoſus, quid à vindice cœlo aliud expectet, quàm ut amisso populi amore amittat & Imperium, ut *çem-çu* illis verbis innuit; [1] calamitates [15] certò [16] imminent [17] istiusmodi [18] personæ.

§. 3.

QUOD Multi, ut suprà dictum fuit, ament quæ alii omnes passim oderunt, & contrà; *çem-çu* inde fieri asserit, quod non eadem omnibus sit animi integritas & rectitudo: hæc enim [1] est [2] causa quòd [3] perfectus [4] vir in dignitate constitutus siquidem [5] habet

[c]magnam illam totiesque laudatam virtutis [7]regulam, quâ populum ex suâ ipsius personâ metitur; [8]utique [9]syncericas & [10]fides (candidè scilicet sine dolo, ac syncerè sine fictione agendo) fuere illæ [11]quibus eam assecutus [12]fuit, ut & contrà, [13]arrogantia & [14]procacitas fuit illæ [15]quibus eadem [16]perditur. Etenim ubi syncericate tantùm profeceris, ut factus affectuum tuorum Dominus, jam nulli, ne tibi quidem ipsi, fraudi sis; fide item, seu consentaneâ rebus omnibus regulâ actiones tuas omnes moderatus fueris; tum enimverò illam animi integritatem, rectitudinem, & æquabilitatem assecutum te esse deprehendes: nec jam amabis, nisi quod boni homines probant: nec odio habebis, nisi quod boni item omnes detestantur: tum demùm citrà errorem ex temetipso metiri alios poteris, tuamque unius virtutem (ut suprà dictum fuit) in subjectos tibi populos ac Regna, quâ famâ, quâ exemplo feliciter propagare: quæ est magna illa hucusque tradita, & Principibus Viris tantopere commendata virtutis norma ac regula, qua & odisse ritè, & amare alios scies: factus verè populi pater ac mater. Quod si contrà dignitate & potentiâ insolescens tuæ unius effræni cupidini indulseris: nec quid communis boni ratio, sed quid propria libido suadeat, attenderis; tum utique clausis alienæ utilitati visceribus, voluntatem pro ratione secutus, non jam prodesse aliis, sed tibi uni, non populi reique publicæ emolumento, sed tuo unius commodo studebis, amando quæ boni homines detestantur, & detestando quod boni homines amant probantque: adeoque communi hominum naturæ rebellis factus, cequid tandem amissâ magnâ illâ regulâ, nisi calamitates & ruinam expectes?

f. 14. p. 1. §. 1.

QUIA auri sacra fames, opumque coacervandarum insatiata cupiditas plerumque est, quæ Reges Virosque Principes à regiâ virtutis semitâ divertit, transversosque agit, cum hoc paragraphò regiam planè viam indicat, qua non tantùm citrà vitium, sed cum magnâ insuper virtutis commendatione, votorum suorum potiri, opesque regias perpetuo incremento augere valeant. Sic igitur ait: [1]augendi [2]opes facultatesque regias [3]datur [4]magna quædam & eximia [5]regula, in primis si qui [6]pariunt & augent [7]illas, seu ad augendas illas operam suam conferunt, sint [8]omnes nemine otioso relicto, sed omnibus agriculturâ aut honestâ negotiatione occupatis: Contrà, Præfecti ac Ministri qui [9]comedunt, seu redditus suos annuos percipiunt ex [10]illis regiis opibus, sint [11]pauci, resectâ scilicet supervacaneâ officiorum Ministrorumque multitudine quæ regio censu alitur. Præterea si qui [12]laborant & agros colunt strenuè [13]operentur, congruo scilicet agriculturæ tempore non ad alia distracti, sed in uno Agriculturæ opere solerter occupati. Si demùm qui

[14] utuntur illis, seu qui dispensant regias illas opes, lenti [15] moderatique sint, providâ scilicet parsimoniâ longiùs in futurum ita prospiciendo & comparcendo, ut qualibet, v. g. trieteride, unius saltem anni census supersit, quem Regio ærario in perenne auctarium adjiciant. Hac [16] quippe ratione futurum est, ut [17] opes facultatesque Regiæ [18] semper [19] sufficiant.

§. 2.

SUperiore paragrapho *cem çá* regulam tradidit comparandi augendique divitias. Hic jam rectum earum usum docet, dicens: [1] probus & amans suorum Princeps [2] divitiis [3] illustrat [4] personam suam; contrà, [5][6] improbus suâ unius [7][8] personâ [9] ornat [10] divitias. Quasi diceret: Clemens amansque suorum Princeps qui novit magnam illam regulam augendi opes, hoc unum in primis satagit, ut populo suo opum sit satis, nihil de suo unius lucro solicitus; quo illud deinde consequitur, ut & ipse, suspiciente & applaudente populo, omnium ore ac votis celebretur, charus factus omnibus ac venerabilis, quod est quod hic dicitur, *contemnere divitias* & extollere ornareque personam suam. Contrà verò, vir inclemens ac improbus qui magnam illam augendarum divitiarum regulam non novit, illud solùm agit, ut Regium ærarium corrasis per fas nefasque opibus implear; de egentis populi necessitatibus ærumnisque nihil equidem laborans; quo fit, ut alienatis à se subditorum animis, & Regno, & sibi ipsi tandem sit exitio; quod est, quod hic dicitur, *contemnere personam & extollere divitias.* Itaque divitiis ornare personam, propriè est, non appetere quidem divitias, & tamen devinctis sibi hac modestiâ populi animis reverâ nunquam carere divitiis. Contrà verò personâ suâ ornare divitias, propriè est, velle quidem honorare personam, re autem ipsâ eandem perdere, quâ perditâ, ecquæ tandem divitiarum est utilitas?

§. 3.

AB utili jam confirmat supradicta *cem-çu*: [1] nondum visum [2] est, inquiens, quod in [3] superiori [4] loco [5] constitutus, id est, Rex, [6] amaret [7] pietatem clementiamque ergà subditos, [8] & [9] subditi [10] non [11] amarent [12] fidelitatem, seu non vicissim Regi suo responderent fidelitate quam debent ex justitiâ: [13] neque etiam hactenus visum [14] est quòd populus [15] gauderet [16] fidelitate erga Regem, & [17] illius (scilicet Regis) [18] negotia & conatus [19] non [20] sortirentur optatum [21] exitum. Ubi verò populus ejusmodi fidelitati Regi suo adhæret, utique Regis opes ac thesauros pro suis habet, ac velut suos in pace conservat & in bello defendit. Unde, [22] nunquam visum [23] est fidelem ejusmodi populum [24] regii [25] ærarii [26] divitias [27] non habuisse pro [28] suis propriis [29] divitiis. Tanti scilicet interest Regi, pietate ac beneficentiâ populum sibi devinxisse.

§. 4.

PErgit *çem-çu* inculcare ampliùs ſuprà memoratam pietatem beneficentiamque Regis erga populum, ut quæ Principibus Viris nunquam ſatis commendata ſit virtus. Ad hoc autem adducit pulcherrima illa cedroque digniſſima monita magni illius Viri *mén-hién çu* dicti qui præcipuâ Regni *Lù* Præfecturâ olim functus erat. Sic itaque [1] *mém* [2] *hien* [3] *çù* [4] ait: qui [5] alunt [6] [7] quadrigas *(hi erant optimates* Tá-fu *dicti, & quadrigâ, ſeu quatuor equorum curru vehebantur)* quandoquidem regio vivunt cenſu, [8] non [9] tractant [10] gallinas & [11] porcellos, magnam ſcilicet horum vim ac numerum in privatæ domûs ſuæ lucrum alendo, & præripiendo ſuum plebi, cujus hæc eſt propria negotiatio. [12] Findentium item [13] glaciem [14] familia *(Superior hic Dynaſtarum ordo erat,* Kím *dictorum, à quibus numerando ad uſque ſupremum ordinem, omnes in officiis parentalibus glacie utebantur)* quia ampliore quàm optimates gaudent cenſu [15] nec ipſa [16] alat [17] boves & [18] oves, numeroſos ſcilicet armentorum oviumque alendo greges, ſordido quidem domûs ſuæ lucro, damno verò non mediocri miſeræ plebis quæ captato ex humili ejuſdem negotiatione lucello vivere ſolet. [19] Centum denique [20] curruum [21] familia *(Satrapæ hi erant Regulorum,* Kím *item dicti: qui decem ſtadiorum Sinicorum ditionem vectigalem habebant, poterantque centum curribus bellicis, cum neceſſitas ita poſceret, in campum prodire)* [22] non [23] alant foveantque domi ſuæ [24] aggravantes [25] vectigalia [26] miniſtros, qui pretexto vectigalium nomine ſubjectum populum immaniter deglubant ſuiſque facultatibus exuant. Quod [27] ſi [28] ille *Satrapa* domi ſuæ fortè [29] habeat ejuſmodi injuſtè [30] multiplicantem [31] vectigalia [32] miniſtrum, [33] ſatius illi foret [34] habere palàm [35] deprædantem gazophylacium theſauroſque ſuos domeſticos [36] miniſtrum; hic enim uni dumtaxat, ille plurimis nocet. Qui igitur fieri poteſt, ut communem ejuſmodi Regni latronem, populique ſanguiſugam, ſubditorum ſudores & ſanguinem crudeliter adeò haurientem domi ſuæ patiatur? Atque hæc erat laudatiſſimi Viri cautio; quam declarans *çem-çu*, ait: paucis [37] his ſupracitatis verbis [38] dicere magnus ille vir voluit, [39] Reges Viroſque Principes [40] non [41] in privato ſuo [42] lucro [43] conſtituere [44] lucrum, ſed [45] in ſuâ populique mutuâ [46] æquitate & amore [47] conſtituere [48] lucrum. Quaſi diceret, Viros Principes non debere aggravare populum nimiis vectigalibus, & referta auro argentoque ærariæ præcipuo ſibi lucro ducere; ſed illud dumtaxat veri lucri loco habere, in cujus magnam partem etiam populus venit; quem ubi amore beneficentiâque lucrati fuerint, ſuumque fecerint, tum demùm verè rerum potitos ſe eſſe exiſtiment.

Digitized by Google

p. 2. §. 1.

QUOD proximo paragrapho *çem-çu* dixerat, Principes debere lucrum ſuum præcipuè ex populi ſui utilitate & commodis metiri; idipſum nunc amplificat à damnis, quæ illos manent, qui nullâ populi habitâ ratione privatum ſuum ipſorum lucrum procurant. Ait itaque; ſi quis [1] gubernat [2] regiam, domum, [4] & totum [5] ſe [6] impendit [8] divitiis [7] coacervandis, id [8] haud-dubiè [9] oritur [10] à vili & [10] abjecto [11] homine qui malitioſis conſiliis ſuis circumventum Regem ad id inducit, tantumque vectigalium & exactionum pondus, tanquam induſtriam locupletando Regno maximè idoneam, ſuadet; [12] idque [13] habere [14] pro-bono & æquo perſuadet. Hujuſmodi pernicioſus conſiliarius, verè [15] vilis & [15] abjectus [16] homo, ſi [17] adhibitus fuerit ad [18] gubernandam [19] regiam [20] familiam, utique rapinis & furtis replebit omnia; ſubditorum bona & facultates pro ſuo unius libitu diripiendo; adeóque abalienatis à ſe & à Rege populi animis cœlique juſtâ irâ in ſe concitatâ procul dubio & [21] calamitates à cœlo, & ab hominibus [22] ruinæ ac cædes ſimul [23] unà ſeu [23] cumulatim [24] ſupervenient: & [25] tametſi fortè [26] detur [27] vir aliquis [27] probus [27] qui conetur ſuccurrere & tantam malorum vim avertere; [28] tamen [29] ne [30] ſic eveniat [31] quomodo valebit unus ille impedire? Atque hoc [32] eſt quod ſuperius dictum [33] fuit, Regem [34] probum [35] non [36] in ſuo unius privato [37] lucro [38] conſtituere [39] lucrum, ſed [40] in ſuâ & populi mutuâ [41] æquitate & amore [42] conſtituere [43] lucrum.

Perappoſita ſanè ad totam hujus libri doctrinam Concluſio! planéque digna quâ & çem çu *primi hujus finem libri ceu proprio epiphonemate coronaret; &* Memçius *quarti initium ceu primâ dicendorum epigraphe inſigniret. Certè enim, qui omnes libri hujus paragraphos æquâ mente inſpexerit, illud equidem liquidò deprehendet, Philoſophum noſtrum Sinicum,* Confucium *inquam, eo in primis collimaſſe, ut Regibus viriſque Principibus, ad quos præ cæteris magnam hanc ſcientiam ſuam direxerat, virtutem ad Regnorum Imperiorumque pacificam & felicem gubernationem antè omnia neceſſariam eſſe, non tam ex ſuo unius, quam ex Antiquiſſimorum quorumque unanimi ſenſu, oſtenderet. Ut enim omnis Sinenſium retrò antiquitas Imperia à cœlo conferri & auferri non vanè credidit, & etiamnum hodie eorumdem poſteri fatentur; incolumitatem verò & conſervationem eorumdem Regnorum ſecundùm ſuperos à populi amore ac fide dependere longa tot ſæculorum experientia comprobavit: ita communi jam olim ſenſu primi illi Sinicæ hujus Monarchiæ Fundatores judicarunt & etiamnum hodie è Sinenſibus optimi quique fatentur; virtutem eſſe quæ bene de ſe meritis Principibus, & Cæli ſuperumque favorem & populi amorem unà conciliet. Sic ut de quamplurimis taceam,* lib. 3. xu kim *fol. 17. Laudatiſſimus vir ille* y-yn *Magiſter Regius, ut novum, eumque juvenem & juvenilibus vitiis laborantem Imperatorem* t'ái-kiâ *(qui à 1750. annis*

ante Christum regnabat) ad virtutis amorem tantò vehementiùs accenderet, his ipsis verbis è textú depromptis commonebat. O Rex, *inquit*, Cœlum non agitur affectu, qui tamen novit illud debitè venerari & colere, charus & gratiosus illi est *semper*: populus item non semper afficitur; afficitur *tamen semper* illi qui habet pietatem; denique spiritus non semper exaudiunt; exaudiunt autem eum qui pollet verâ virtute. *Hac unâ habitâ, & cælo æternum, ne dubita, dilectus, & populo semper charus, & spiritibus demùm superisque omnibus nunquam non gratiosus eris, &c. Quam tantam virtutis præ auro & opibus prærogativam cùm author toto hoc libro (ut legenti patet) quâ ratione, quâ authoritatibus passim adhibitis demonstrasset, non poterat sane (meo quidem judicio) altero magis idoneo uti Epilogo, quàm his ipsis verbis, hoc est, dicere, Regem probum non in sordido illo privatarum opum lucro constituere lucrum; sed in suâ populique mutuâ æquitate constituere lucrum. Quasi diceret; tota libro hoc à me tradita doctrina in hoc uno velut cardine vertitur, unumque hoc præcipue docet, ut Reges Principesque viri non tam in refertis auro arariis quàm in mutuâ ipsorum & populi æquitate, amore, clementiâ, fide, &c. verbo, in virtute rationem veri lucri constituant; quandoquidem ad illius possessionem cætera omnia quæ desiderari possint aut mereantur, aurum scilicet & opes, populi amor, longa nepotum series, pax demùm, & perennis imperii quies stabilitasque ultrò consequantur.*

Atque hæc est illa ex Sinensi hac Areopago jam olim profecta Magna Scientia, tanto nomine utique dignissima, sive doctrinæ ipsius nobilitatem spectes, sive antiquitatem: illam à virtute (quid nobilius?) quam docet; hanc ab ipsis pene Sinicæ Monarchiæ primordiis (quid antiquius?) unde nata est, demonstrat. Et tametsi argumenti nobilitate Europæa Philosophia cum hac Sinica competere, &, si de styli elegantiâ, subtilitate, facundiâ varietate, & gratiâ contendas, hanc etiam antecellere non immeritò possit; antiquitate tamen ausim dicere, adeò ad hanc non accedit, ut longissimo plane intervallo sequatur. Sane antequam superstitiosa Asiæ & Europæ Numina nata essent, jam inter Sinas adulta virtus crescebat, ipsæque Regum aulæ in virtutum Lycea transibant; quando Europa sine Rege adhuc ac lege inculta penitùs fuisse creditur, jam Monarchia Sinica cultissimis Regibus ac legibus regebatur; & ea erat virtutis apud Sinas notitia, valor & praxis; ea cultioris vitæ ratio, vis, ac tenor, ut aurei cujusdam sæculi pax & felicitas in ipsas etiam feras certo quodammodo dimanasse videretur uti constat ex Xukim l. 3. f. 10. *Certe* hû-xuam-hû *Classicus Sinensium Annalium interpres, ut videre est in Appendice Chronicâ,* Cám-Kién-pù *dictâ,* lib. 1. f. 20. *disertis verbis affirmat, totam libri hujus* Tá-Hiô *doctrinam haud aliis constare, quam Regum* Yaô, xún, yù, tám, yên-vâm, vù-vâm, & chéu-cúm, *ac ipsiusmet etiam* Confucii *documentis & exemplis. Imò de ipso* Confucio *nepos ejus* çù-sû *testatur (uti videre est in sequenti libro* Chûm-yûm) *ipsum in suis libris non aliam, quàm priscæ*

rum illorum Regum *doctrinam adferre ; ut proinde* Confucius *doctrinæ hujus non tam Author quàm Interpres ac præco dicendus ſit ; quia ſcilicet pene totam longe ante ſua tempora traditam, ab aliis potiùs accepit, & ad poſteros tranſmiſit, quam ipſe invenit. Tametſi non inficior, etiam huic ſuam inde partem aliquam deberi ; primas tamen, & quidem potiores, ſibi vendicant modò recenſiti antiquiſſimi Sinarum Reges, qui primi doctrinam hanc & præceptis inſtituêre, & exemplis docuêre.*

Finis Libri Tá Hiô.

Digitized by Google



SCIENTIÆ SINICÆ

LIBER SECUNDUS.

EST Liber hic opus quidem *Confucii*, ſed ab hujus nepote *çù-sũ* dicto, editus. Agit autem potiſſimum de *medio ſempiterno*, ſive de aureâ mediocritate illâ, quæ eſt, ut ait Cicero, inter nimium & parum, conſtanter & omnibus in rebus tenendâ; ideóque *Chũm-yûm* Libri titulus eſt; *Chũm* quippe *medium* ſignificat; *yûm* verò (quod vulgò ſolet pro ordinario vel quotidiano accipi) hoc loco ſecundum Interpretes idem ſonat quod *conſtans*, vel *ſempiternum*.

f. 1. p. 2. §. 1.

ID quod à cælo eſt homini inditum dicitur natura rationalis: quod huic conformatur natura & eam conſequitur, dicitur regula, ſeu conſentaneum rationi, reſtaurare quoad exercitium hanc regulam ſe ſuaque per eam moderando, dicitur inſtitutio, ſeu diſciplina virtutum.

§. 2.

DICTA Regula cùm ſit naturæ rationali intrinſeca nunquam poteſt, nec verò debet vel uno temporis momento abeſſe aut ſeparari ab homine; quod ſi poſſet aliquando abeſſe aut ſeparari, jam non eſſet regula ſeu ratio à cælo naturæ inſita. Atque hæc eſt cauſa cur perfectus vir adeò ſemper ſollicitè attendat ſibi, atque invigilet in his etiam quæ non percipiuntur oculis, uti ſunt minimi motus animi; cur itidem adeò timeat & paveat in his etiam quæ non percipiuntur auribus; ut ita, cum aliquid faciendum fuerit, ne momento quidem deflectat à norma rectæ rationis ſibi impreſſa.

f.2.p.1.

Digitized by Google

f. 2. p. 1. §. 1.

MOtus namque animi d ferè ſunt, quod non apparet, quia reconditi & ſibi ſoli noti; ſunt item id quod non eſt manifeſtum, quia admodùm ſubtiles & minimum quid; ideòque perfectus vir tam ſollicitè invigilat cordis ſui ſecreto, & cautus eſt in internis quæ ſolus ipſe intuetur; quo deinde fit, ut qui aliis reconditi & abſtruſi ſunt, intimi ſcilicet cordis receſſus, ei tamen ſoli pateſcant; qui item ſubtiliſſimi ſunt ac percipi vix poſſunt, minutiſſimi ſcilicet animi motus, ſive ad bonum, ſive ad malum, ei tamen ſoli manifeſti omninò ſint.

§. 2.

CUM autem radix paſſionum intima ſit naturæ hominis, vel potius ipſamet natura ſit iſta radix; hæc autem in actus ſuos vel paſſiones prorumpat aſſiduè, ſummâ cum vigilantiâ attendit ſibi Vir perfectus ut has, ipſius quòque naturæ fræno, quatenus hæc rationis & diſcretionis principium eſt, moderetur. Itaque paſſiones animi, ut ſunt gaudium ex proſperis, ira ex adverſis, triſtitia ex jacturâ, hilaritas ſeu læta fruitio rei obtentæ, priuſquàm pullulent prodeantque in actum dicuntur medium ſeu eſſe in medio, quia ſunt adhuc indifferens quid ad exceſſum vel defectum; at ubi pullularunt, & omnes attigerunt rectæ rationis dictamen, dicuntur conſentaneum, ſeu quidam paſſionum inter ſe & cum ipſa ratione concentus. Et quidem, cum ſunt in medio; orbis univerſi magnum principium ac omnium bonarum actionum fundamentum dicuntur; cum ſunt rationi conſentanea, *orbis* univerſalis regula, ſeu Regia humani generis via dicuntur.

Doctrinam de tenendo medio, veluti fontem omnis Sapientiæ Sinitæ, per omnia retrò ſæcula manantem, jam mille ſexcentis & amplius annis ante Confucium *inter alia commendavit* Yaô *Imperator Succeſſori ſuo* Xún; *& hic rursùs magno* Yù, *dum hæredem Imperii eum conſtituit. Continet autem ſexdecim litteras, quas multò pluribus & exponunt & extollunt Interpretes. Nos hic eam verbis* Cham-*colai, ſed in compendium redactis explicabimus. Sic igitur* Xu-kim lib. 2. f. 10. ait: Cor homini unicum eſt: hoc dum privato affectu ducitur, vocatur *Gîn ſin*, id eſt hominis cor, cum ex rectæ legis dictamine agit, *Taó-ſin*, id eſt, rationis cor nuncupatur: hominis cor, *ſeu voluntas, cum ſit varium quid & facile à quovis objecto moveri & flecti*, res eſt periculis *ſemper obnoxia*: *idem cor verò ſeu voluntas ad* bonum & virtutis normam conformata eſt quid excellens ac reconditum; unde oportet, ut ſerio examine cor illud identidem depures à pravis & privatis, quæ tacitè ſeſe inſinuant, affectionibus; atque ita rectum cor à pravo ſecernas: quo facto rejice penitùs quod eſt humani & privati cordis, & rectam illius cordis legem veluti unicam tuæ perſonæ dominam

Digitized by Google

conſtitue, unum & idem ſervans ſemper in omnibus: Sic ab hac lege neque defectu, neque exceſſu aberrabis; adeòque ſolidè ac veracite apprehenderis ipſum medium. Radix igitur & fundamentum, cui innititur recta orbis terrarum adminiſtratio, unius eſt cordis rectitudo & norma, *&c. Hæc colaus.*

p. 2.

UBI igitur perſpecta fuerint medium & conſentaneum, tum demùm Cœli quoque ac terræ ſtatus quietus, permanens ac pacificus, & omnium rerum uniformis propagatio vigòrque conſequetur. Nam (*ut Interpretes addunt*) ſi homo agat ſemper juxta rectam rationem, quandoquidem hic unum veluti corpus cum univerſo efficiat, conſequens erit, ut etiam cœlum & terra juxtà normam ſibi inditam agant, Planetæ influant abſque vitio, quatuor anni tempeſtates abſque defectu decurrant, Juvenes optatos vitæ annos, Senes finem naturæ conſentaneum, res denique omnes debitum ſibi ſtatum & locum conſequantur.

Quis hic non videt eò dumtaxat collimaſſe Philoſophum, ut hominis naturam, quam ab origine ſuâ rectam, ſed deinde lapſam & depravatam paſſim Sinenſes docent ad primævum innocentiæ ſtatum reduceret? Atque ita reliquas res creatas homini jam rebelles, & in ejuſdem ruinam armatas, ad priſtinum obſequium veluti revocaret? Hoc f. 1. §. 1. libri Tà Hiô, *hoc item hic, & alibi non ſemel indicat. Etſi autem neſciret Philoſophus, nos à primævâ felicitate propter peccatum primi parentis excidiſſe, tamen & tot rerum quæ adverſantur & infeſtæ ſunt homini, & ipſius naturæ humanæ ad deteriora tam pronæ, longo uſu & contemplatione didiciſſe videtur, non poſſe hoc univerſum, quod homo vitiatus quodam modo vitiarat, connaturali ſuę integritati & ordini reſtitui, niſi priùs ipſe homo per victoriam ſui ipſius, eam, quam amiſerat, integritatem, & ordinem recuperaret.*

f. 3. p. 2. §. 1.

HIC, & reliquo hoc libro, *çù-su* citat Magiſtri verba dicens: *Confucius* ait: perfectus vir tenet *medium* ſemper & ubique; *improbus* verò prævaricatur *medium* vel exceſſu, vel defectu.

§. 2.

PErfectus Vir) exponit *çù-su*) habet *medium*, ſive ſemper eſt in medio, & quia *perfectus* eſt, ideo ſemper ſeu quovis tempore, adverſo ſcilicet & proſpero, conformat ſeſe ſuaſque actiones cum eo, in quo eſt, medio; idque cum eâ (de quâ ſuprà) cautelâ, vigilantiâ, & timore circà minimos animi motus; *improbus* etiam habet ſuum *medium*, quod teneat, ſed quia *improbus* eſt, ideò nullo tenetur metu nec pudore illud prævaricandi; paſſim enim omnia pro libidine agit.

Digitized by Google

f. 4. p. 1. §. 1.

CONFUCIUS ait: *medium* ô quàm illud ſublime! è vulgo pauci illud tenent. Neque hoc novum; vetus iſte morbus eſt, querela vetus, jam olim ſic fuit.

§. 2.

CONFUCIUS ait: cauſam, cur mortalium plurimi per regiam hanc medii viam non incedant, ego quidem probè novi: prudentes enim hujus ſæculi illud tranſgrediuntur; & quia plura quam hoc medium & altiora ſe intelligere arbitrantur, medium quaſi parvum & non ſufficiens negligunt; rudes verò non pertingunt ad medium, quia aut non norunt aut difficultate territi, diffidunt eò pervenire. Cauſam item quare complures hanc medii viam, quamvis adeò conſpicuam, non habeant perſpectam, ego novi; ſapientes enim ſeu qui profitentur ſtudium ſapientiæ, medium ſuis factis excedunt & prætereunt, ſive exceſſu ferè peccant, periculoſa quædam & inuſitata principia viaſque ſectantes; *inertes* autem & hebetes animæ factis ſuis ad id non perveniunt, quia deſperant medii notitiam, nedum medium ipſum conſequi.

p. 2. §. 1.

QUOD verò paſſim ſic peccetur, oritur ex defectu examinis; cum enim regula illa ſit homini intima, actiones quæ à naturâ procedunt, utique nonniſi ex dictâ regulâ plerumque procederent, ſiquidem hæc foret probè cognita, Ex. gr. inquit *Confucius*, hominum nullus eſt qui non bibat in dies & comedat; & tamen in re tam obviâ pauci valent dignoſcere rectos ſapores, ſeu rectum judicium ferre de potûs ac cibi tot condimentis vitiati naturâ & efficacitate, quam ſi accuratiùs explorarent, non toties temperantiæ limites excederent.

§. 2.

CONFUCIUS concludens ait: quod igitur medii via hæc non frequentetur aut obſervetur, ea itidem cauſa eſt, quia nec hanc (proh dolor!) homines indagare nec cognoſcere laborant; adeoque aut excedunt medium, aut ab hoc recedunt.

§. 3.

CONFUCIUS ad ſerium medii examen exhortans omnes, adducto exemplo Imperatoris *Xún*, ſic ait: *Xún* Imperatoris illius quàm magna fuit prudentia! Siquidem ille non ſuo unius judicio & privatâ prudentiâ, ſed conſiliis ac ſapientiâ ſuorum fretus Rempub. adminiſtrabat. Itaque *Xún* gaudebat de obviis quoque rebus alios conſulere; & ſolebat ſeu gaudebat examinare omnia quamvis obvia & vulgaria ſuorum reſponſa; qui ſi fortè quidpiam ſuggererent rationi minus conſentaneum, ſic eò non utebatur, ut tamen prudenter diſſimulans occultaret quod inerat mali, fovens hoc modo

Digitized by Google

ſuorum fiduciam & candorem monendi identidem Principem ſuum: conſiliis verò quæ cum ratione congruebant, ſic utebatur, ut etiam deprædicaret quod iis inerat boni, quò alacriùs fidentiuſque ſenſum animi ſui declararent. Quod ſi dicta reſponſa pauxillùm à medio aberrarent, arripiebat ſedulò illorum (reſponſorum) duo extrema, quibus ad rationis trutinam maturè expenſis, utebatur dumtaxat horum (extremorum) medio in ordine ad populi regimen; quo fiebat, ut non ex ſuo unius tantùm, ſed ex ſuorum judicio ac conſilio ſemper res ageret. Atque hæc illa fuêre propter quæ factus eſt *Xún*, talis ſcilicet ac tantus Imperator.

Memorant Annales Sinici, Imperatorem hunc ſolitum fuiſſe in anteriori atrio Palatii ſui tabulam ſuſpendere, in quâ licebat ſubditis fidenter Regem ſuum commonefacere, & notare, ſi quid ab illo fortè peccaretur.

f. 5. p. 1.

CONfucius arguens ſuorum temporum fallacem ac degenerem à Priſcis Regibus, prudentiam, ait: hominum quivis nunc dicit, ego prudens ſum, ſcio quid agendum ſit, quid non agendum; at verò quia lucrum & commodum proprium dumtaxat, non autem ejus damna & pericula æquè præ oculis habet, impulſu quolibet mox intrat incautus in mille retia & laqueos, ac demùm incidit in foveæ medium, & iſthuc, unde nequaquam ſcit effugere nec ſeſe expedire: hominum item quilibet dicit; ego ſatis ſum prudens, & de facto ſeligit ſibi *medium*, & juxtà hoc agit; ſed ecce ſocordiâ victus, non valet nequidem per ſpatium unius menſis illud conſtanter ſervare. Ut quid ergò iis prodeſt ſcientia & cognitio medii?

p. 2. §. 1.

CONfucius ait: Diſcipulus meus *Hoeî* hic nimirum erat Vir ſanè prudens; noverat enim res inter ſe probe diſtinguere, ac dein ſeligere *medium*: & ſi quando aſſecutus erat unam virtutem, illicò velut ambabus ulnis illam venerabundus arctè ſtringebat, fovebatque intrà pectus, & nunquam ſemel apprehenſam à ſe dimittebat.

§. 2.

CONfucius ait: *Orbis Regna* erunt equidem, qui poſſint pacificè regere; dignitates & cenſus erunt qui valeant recuſare; nudos enſes erunt qui poſſint fortiter calcare; at verò *medium*, quamvis primâ fronte facilè appareat, tamen non poteſt quivis niſi cum majori quodam certamine & labore obtinere.

f. 6. p. 1. §. 1.

HAC fortè occaſione diſcipulus *çù-lú*, ut erat indolis bellicoſæ, & appetens gloriæ militaris quæſivit de fortitudine.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

SCiscitatur ex eo *Confucius*, & ait : an quæritur hic de hominum illorum, qui in Australi regione degunt, fortitudine ? An de eorum, qui Borealem regionem incolunt, fortitudine ? An verò de vestrâ, qui sapientiam colitis, fortitudine ?

§. 3.

LArgiùs, leniùsque se gerere, & cum indulgentiâ quadam in suorum institutione non castigando semper, nec justo severiùs, eorum desidiam, vel tarditatem, nec ultionem aut pœnas exigere à refractariis, sed eos patienter ferre ; ea demum est Australium regionum fortitudo qua hominum animos paulatim student rationi subjicere : Et hæc viri perfecti præstare possunt.

§. 4.

IMpavidum & securum cubare lanceas super loricasque ; medias inter mortes versari, & tamen non pertimescere nec affici tædio vitæ hujusmodi, Borealium quidem regionum fortitudo est ; & hæc fortes & robusti præstare possunt ; quoniam tamen multum hic temeritatis adesse solet, mediique regula crebro ad nodum violari, non ea est fortitudo, quam à vobis expecto, discipuli mei.

p. 2. §. 1.

ITaque Vir perfectus sui unius victoriæ semper intentus, ad mores & ingenia aliorum se fingit quidem & accommodat, attamen (ut est sui Dominus) non patitur sese velut diffluere, neque depravari inertium molliumque consuetudine & exemplis, nec in omnibus sine discrimine obsequitur & hæc fortitudo proh quanta est ! Rursùs in medio aliorum à recto aberrantium ipse unus rectus stat, & neutram in partem inclinat, hæc fortitudo quanta est ! Item si in Regno vigeant virtus & leges & ipse Magistratum gerat, hos tamen honores inter non mutat mores, nec eam vitæ normam, quam privatus servabat, adeoque nec inaniter intumescit ; hæc fortitudo proh quanta est ! Contrà verò si in Regno jaceant virtus & leges, si magna sit rerum perturbatio ; ipse tamen, quamvis prematur inopiâ & aliis atque aliis ærumnis affligatur, etiam redactus ad ipsam usque mortem inter hæc non mutatur, suscepti semel propositi semper tenax, hæc quoque fortitudo proh quanta est, & quàm eximia ! Nimirum sita est illa in assiduâ sui ipsius victoriâ. A vobis ergò discipuli mei præ illâ Australium & Borealium Gentium fortitudine, & expeto & expecto fortitudinem ejusmodi.

§. 2.

Confucius ait : Sunt qui temerè transiliunt medii limites dum sectantur virtutes nescio quas prorsùs inusitatas & reconditas, ac gaudent patrare miranda quædam, ut posterioribus sæculis sint qui nomen eorum deprædicent. Sed ego certè non fecerim ejusmodi

Digitized by Google

rem; quod passim nosse convenit & agere, id nosse & agere studeo.

f. 7. p. 1. §. 1.

PErfectus Vir aggreditur viam ordinariam, & ideò in eâ constanter progreditur: at sunt qui vel inusitata & abstrusa, nec non majora viribus suis temerè affectant, vel, tametsi virtutis viam eo, quo par est, modo sint ingressi, tamen in medio ipsius viæ cursum abrumpunt, & turpiter deficiunt. At ego certè non velim nec possim sic sistere; quæ cœpi conabor perficere.

§. 2.

ITaque perfectus Vir in omnibus semper conformat se *medio*, nil ultrà, nil citrà agens; amore autem virtutis fugere sæculum, honores, &c. adeoque jam nunquam videri ab hominibus, imò nec cognosci; & tamen nullo inde seu tristitiæ seu pœnitudinis sensu afsici, tam arduum est, ut solus is qui sanctus est, præstare id possit.

p. 2. §. 1.

HOC & sequenti paragrapho *çù-su* ait *perfectorum* in medio sectando regula usu ampla est & universalis; & tamen intima illius vis ac ratio in re parva est & subtilis ac recondita, adeoque à paucis cognita

§. 2.

VIRI fœminæque, quamvis rudes, intrà Sphæram suam naturalem possunt quadantenùs pervenire ad practicam medii notitiam; sed cognoscendo pervenire ad hujus subtilissimum apicem, quamvis sanctus quispiam sit, & probè intelligens, equidem habebit aliquid, quod nondum cognoverit. Viri fœminæque, quamvis sint *inutile* vulgus, tamen fieri potest, ut in quibusdam rebus juxtà medii regulam subinde queant ex parte operari; at verò pervenire ad hujus supremum apicem, quamvis sanctus quispiam sit, adhuc habebit quò non possit pertingere, & quæ servare nequeat; quin imò ipsum cœlum & terra, quamvis horum tanta sit magnitudo, perfectio, atque ergà homines beneficentia, tamen ob elementorum temporumque vicissitudines nequeunt explere singulorum vota, sic prorsùs, ut homo in eis reperiat quæ arguat, & adhuc habeat ob quod indignabundus de cœlo terrâque conqueratur. Propterea si Vir perfectus agat de ejus magnitudine, necessariò fatebitur, orbem universum non posse tantæ virtutis molem capere aut sustentare; si verò agat de ejusdem reconditâ exiguitate & subtilitate, fatebitur item, quòd orbis totus non possit eam dividere aut penetrando perrumpere. Sensus est; nulla res adeo magna est, in quâ ratio non insit; nulla item adeò exigua, quæ ratione quadam careat.

Digitized by Google

f. 8. p. 1. §. 1.

COnfirmat prædicta citans Odam, quæ sic ait: Avis *rvên* dicta volando penetrat cœlos: piscis immergitur in pelagus, id est (exponit *çù-su*) uti avium volatus ad alta cœlorum, & piscium impetus ad ima profundi fertur; ita hæc ipsa virtus & ratio ad summa pariter & ima pertingens, in maximis minimisque rebus suprà & infrà exerit sese ac manifestat.

§. 2.

ITaque ut dixi, perfecti Viri in hoc medio servando regula ducit initium ab ipsis homuncionibus & mulierculis; atque adeò eadem illa, quæ perfectorum in medio servando virtus seu regula, cùm sit universalis & omnibus ingenita, sua quoque rudimenta habet in promiscuo hominum vulgo: at verò quatenùs extendit sese illa ad suum apicem; vel, si discurramus (ut alii explicant) de illius apice; longè latèque resplendet ac manifestatur & patet in cœlo pariter & in terra.

Postquam *çù-su* explicavit quod superius dictum est, rationis regulam & ei consentaneum nunquam ab homine posse abesse, hoc idem sequentibus paragraphis ex *Confucii* dictis penitùs explanat.

p. 2. §. 1.

CConfucius, ut probet omnes promiscuè ad eam, quæ homini insita est, regulam suo modo posse pertingere, explicans illud axioma, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Sic ait: Regula rationis (quæ versatur, Ex. gr. inter Regem & subditum, inter Patrem & Filium, Maritum & Uxorem, Majores natu & Minores, denique Amicos inter) Non longè abest ab ipsomet homine; illa verò, quam homines sibi fabricant regula, & longè abesse volunt ab ipsomet homine (cujusmodi sunt exotica & ardua quædam principia, quæ modò dictis quinque hominum ordinibus haudquaquam concordant) non *potest* censeri regula & ratio.

§. 2.

COnfirmat hoc à simili ex Oda petito, quæ sic ait: Cædito manubrium, cædito manubrium; hujus exemplar seu regula non longè abest; quippe in manu artificis est manubrium ipsum, quo rude lignum dolat, ut efformet aliud. *Confucius* explanans simile sic ait: Artifex manu arripit manubrium, ut securi exscindat formetque alterum simile manubrium; idem obliquè contuetur, & explorat an exactè respondeat ipsi, quod in manu est, manubrii formæ & regulæ; adhuc tamen hanc ipsam abesse longiùs existimo, quàm absit illa, quæ à cœlo homini indita est, regula, quia hæc intrinseca, extrinseca est illa; & in cædendo manubrio unum ab alio diversum est: ideo vir perfectus dum instituit hominem, non per extrinsecum quid & remotum ab homine; sed per ipsummet hominem

Digitized by Google

inſtituit regitque hominem, nec aſſimilatur cædenti manubrium qui diverſum cædit ab eo quod manibus tenet : Etenim ineſt homini lumen idem rationis ; hoc unum excitat & eſſe jubet pro regulâ ; quo facto ſi id aſſequatur, ut his corrigatur & emendetur, tum demum acquieſcit, & ſiſtit, operoſiori ſcilicet inſtitutioni ſuperſedens.

f. 9. p. 1. §. 1.

RURSUM ait : Quiſquis omni cum fide & ſynceritate ex ſe metitur alios, hic utique diſcedit à regulâ & lege naturali non procul ; ſeu à regulâ illâ dirigitur, quam in ſe ipſe habet ; quippe cujus primum ferè dictamen hoc eſt : quæ fieri ſibi quis non optat, ea itidem ne faciat aliis.

§. 2.

PErfecti Viri regulæ ſunt quatuor ; ego verò, ait *Confucius*, necdum ex illis quatuor vel unicam ſervare poſſum. 1. Uti exigo à meo filio, ita ſervire patri, ego ipſe nondum poſſum. 2. Uti exigo à meo ſubdito, ea cum fide ſervire Principi, ego nondum poſſum. 3. Uti exigo à meo fratre natu minore, eâ cum obſervantiâ ſervire natu majori, ego nondum poſſum. 4. Uti exigo à meo ſocio & amico, ei primas deferre, & debitis officiis antevertere, ego quidem necdum poſſum. Vir autem perfectus ordinarias & quotidianas has virtutes abſque ullâ fictione opere exercet ; in quotidianis quoque ſermonibus circumſpectus eſt ; & ſi quid fuerit in quo deficiat adeoque non expleverit officium ſuum, tùm non audet non ſibi vim facere ut tandem id expleat : ſi ei nimia ſupperat verborum copia, non item audet totam effundere : adeoque ſeverus ſuimet cenſor hoc agit, ut verba reſpondeant operibus, & opera reſpondeant verbis. Hujuſmodi autem Vir perfectus quomodo non ſit ſolidus ac ſtabilis ? Hunc ego interim imitari conor, & ejuſdem ſervans veſtigia, longè quidem, ſed tamen ſequor.

f. 10. p. 1. §. 1.

DOCET hic *çù-su*, Virum perfectum ſortè ſuâ contentum vivere. Perfectus Vir, inquit, pro ratione ſui ſtatûs, quem hic & nunc obtinet, res agit ; nec cupit quidpiam ab hoc ſuo ſtatu alienum.

§. 2.

SI dives eſt & honoratus, agit ut dives & honoratus ; ſic tamen ut illicitis voluptatibus & luxui non ſe dedat, nec arrogantiâ ſuâ faſtuque offendat quemquam. Si pauper eſt & ignobilis, agit ut pauper & ignobilis ; ſic tamen ut nihil Viro gravi & probo indignum committat. Si extrà patriam ſuam ſit alienigena, agit ut alienigena, ſeu ita gerit ſe ut poſcit ſtatus degentis inter extraneos, ſui ſemper ſimilis. Si verſetur in ærumnis ac laboribus, agit pro ratione

ſtatûs

Digitized by Google

ſtatûs ærumnoſi, tenax ſemper magni propoſiti. Denique perfecto viro nullus eſt vitæ ſtatus quem ingrediatur, ubi non ſit ſui Dominus, & ſuâ ſorte contentus; adeoque ſibi ſuccedat ex ſententiâ.

§. 3.

IDem ſi conſtitutus in ſuperiori loco eſt & dignitate, non inclementer tractat inferioris ordinis homines, metum iis incutiendo, ſi autem conſtitutus eſt in inferiori loco & dignitate, non adulatur ſuperioribus favores eorum captans. In hoc totus eſt, ut perficiat ſeipſum, & non requirit quidquam ab aliis; adeoque nunquam indignatur cuiquam. Superne, non conqueritur de cœlo quod proſpera non conferat, aut eum affligat adverſis. Inferne, non criminatur nec culpat homines; quibus adverſitatum aut defectuum ſuorum cauſam non tribuit. Nimirum ſuâ ſemper ſorte contentus nihil expetit, à ſtatu, quem obtinet, alienum.

§. 4.

IDeò perfectus Vir commoratur in planâ quadam & quietâ Regione, & æquo animo expectat unicam cœli circà ſe ordinationem: improbus è contrario præceps ambulat vias periculoſas, & per fas ac nefas quærit planè gratuitam ſibique non debitam ſortem & fœlicitatem: quam ſi obtineat, merè equidem fortuitò obtinuiſſe cenſendus eſt.

p. 2. §. 1.

COncludit *çù-su* verbis *Confucii* mentem ſuam. *Confucius* ait: Sagittarius habet quamdam ſimilitudinem cum viro perfecto: ille ſi aberrat à depicto ſcopo, reflectens ad ſe exquirit erroris cauſam non ab aliâ quàm à ſuâ ipſius perſonâ; ita perfectus Vir, ſi deflexerit à medii ſcopo, cauſam erroris ſibi non alteri tribuit, adeoque à ſe rationem illius exigit.

§. 2.

DOcet hic *çù-su*, quâ ratione paulatim ad medii perfectionem pervenire oporteat. Perfectorum, inquit, regula, ſeu procedendi ratio, eſt inſtar facientis iter longinquum, qui utique à loco ſibi propinquiori illud orditur. Eſt item inſtar ſubeuntis in altum, qui utique ab infimo gradu aſcenſûs ſui initium facit.

§. 3.

SEquitur hic ſimile familiare & domeſticum, quo *çù-su* dicta probat ſeu illuſtrat, primo authoritate libri Carminum, & deinde *Confucii*. Oda ſic ait: Ubi uxor tua eſt amans concordiæ, ibi familia eſt inſtar pulſantis cymbala, ſuaviſſimâ illâ domeſticæ pacis mutuæque concordiæ voluptate perfruens: Rursùs fratres natu majores & minores ubi concordant, horum concordiæ gaudium utique diu perſeverat, dimanans perpetuò in filios & nepotes; atque ita

Digitized by Google

rectè ordinatur tua domestica familia, insuper exhilarantur & tua uxor, & filii, & nepotes.

§. 4.

CONfucius item ait: pater ac mater familias ô quam ipsi læti ac tranquilli vivent in hac suorum inferiorum harmoniâ domesticâ! mutua quippe concordia inferiorum, Ex. gr. nurûs ac generi, fratrum natu majorum & minorum, redundat in gaudium parentum seu majorum. Atque ita verum est, in viâ virtutis ab inferioribus gradum sterni ad superiora.

f. 11 p. 1. §. 1.

CONfucius, ut ostendat, ad supradictam medii virtutem adeò amplam & sublimem, constanti conatu enitendum esse, exemplum desumit à spiritibus, quorum uti vis intellectiva est excellentior, ita & in operando est efficacitas magna: sic igitur ait: Spiritibus inest operativa virtus & efficacitas; & hæc ô quàm præstans est! quàm multiplex! quàm sublimis.

Tametsi duabus vocibus, quèi xin *seu disjunctim, seu unitim sumptis varia attribuantur significata quæ in ipsorum Dictionariis videre est, hoc tamen loco rejectis aliquorum Interpretum, qui multis erroribus imbuti tum inter sese mutuò, tum secum ipsi pugnant, commentis aëriis* Colaus *Interpres noster cum aliis multis per* quèi xin *intelligit eos spiritus quorum venerationi vel opi implorandæ instituta sunt sacrificia. Favet hîc autem* Colao, *ea quæ communis est toti Imperio, vocis utriusque acceptio: favent item multi Priscorum textus & hic præcipuè, quem modò explanamus, ubi distinctè Philosophus eos & eorum operationes definit, atque ea tribuit illis, quæ nonnisi spiritibus intelligentiâ præditis tribui queant: favet denique tot ubique Templorum, tot quoque rituum & sacrificiorum, quæ dictis* quèi-xin *ab omni ævo dicata sunt communis usus. Quis enim non explodat posteriorum temporum Interpretes dum per* quèi-xin *intelligi volunt duarum qualitatum* Yn & Yâm, *id est frigidi & calidi seu perfecti & imperfecti naturales operationes, vel earumdem remissionem & intensionem & nihil amplius; Ecquis enim sine rubore assit dicere meras has qualitates materiales & inanimes tot tantisque honoribus, sacrificiis atque jejuniis coli debere, ab iis exaudiri supplicum preces ac vota, & quæ ex virtute fiant approbari, damnari verò quæ cum vitio negligentiaque conjuncta sunt? Quid quod hosce spiritus incorporeos passim vocant, vestigium sui nullum relinquere humanis sensibus asserunt, rationem item loci aut mensuræ, sicut corpora, habere negant? Quamvis autem non desint qui per duas illas voces intelligi volunt unicum numen supremum eò quod in libris officiorum & alibi modo nominetur* cœli spiritus *modo* cœli terræque spiritus, *modo* supremus spiritus, *modo* spiritus, *vel* spirituum supremus Imperator, *modo* supremi Imperatoris spiritus, *plerumque tamen hîc agi videtur de spiritibus illis seu intelli-*

gentiis quos Deus tuendis & conservandis rebus creatis seu præsides & administros constituit, quos alibi Interpres vocat Xámtí chi xîn, *id est* supremi Imperatoris clientes & subditos *qui Planetis & reliquis Astrorum, qui Elementorum nec non regionum rerumque sublunarium curam habeant: sic enim disserit* l. Xu-kim p. 1. f. 12. *de* Xún *Imperatore simul & Legislatore refertur, quod quoties lustraret Imperium* sacrificabat supremo *cœli* Imperatori, *dein ritu inferiori* litabat sex Principibus spiritibus *videlicet 4. tempestatum anni, frigoris & caloris, Solis, Lunæ, 5. Planetarum præsidibus, exinde* tamquam longiùs à se remotis litabat montium & fluminum spiritibus, *denique* litabat circumquaque diffusæ multitudini spirituum. *Quin & libro 3. Officiorum f. 67. sic habetur*: Imperatores *(qui immolanda suo tempore animalia ali jubebant per centum hoc est omnes Imperii urbes)* Mandabant populo ut nemo esset qui non omnino exerceret suas vires ad honorandum magni cæli supremum Imperatorem, celebriorum *insuper* montium & majorum fluminum & quatuor regionum terræ spiritus ut pro populo flagitarent felicitatem, *sed prosequamur textum & expositionem.*

§. 2.

DOcet *Confucius* inesse spiritibus suprà memoratis vim quamdam prorsùs eximiam & ordinis superioris; quia cùm res omnes corporeæ cadant sub sensum, soli spiritus hunc fugiunt. Verum quidem est, inquit, quod visu percipimus illos quodammodò, quatenus in effectis suis identidem se produnt; sed tamen reverâ non videmus. Rursùs auditu percipimus illos quodammodò dum contemplamur tot effectuum qui ab illis procedunt tam concordem discordiam & quasi harmoniam; sed ipsos tamen non audimus; denique adeò intimè sociantur & incorporant se se, ut ita dicam, rebus omnibus; aut *(ut alii explicant)* exercent operationes suas circa res omnes sic, ut res non possint eos à se dimittere; seu, nequeant consistere sine eorum directione.

§. 3.

ATque hæc est causa, cur spiritus efficiant, ut orbis homines quibus est à naturâ indita gratitudo, abstineant identidem sese præcipuè quidem à vitiis; & ut animus sit purus ac mundus; corpus item splendidiore habitu adornatum; ut sic eâ quâ decet reverentiâ offerant sacrificia quò tempore dum contemplantur illam spirituum multitudinem, velut mare quoddam, omnia implentem; ita eos venerantur ac si assisterent ipsis supernè, ita quoque reverentur ac si adstarent ipsis ad lævam & dextram.

p. 2. §. 1.

COnfucius authoritate libri *Xi-kim* dicti probat hanc illis deberi reverentiam. Oda sic ait: An spiritus adveniant & appropinquent sacrificantibus, eorumque vota suscipiant, non potest facilè conjici

nedum determinari; magis ne verò determinari poterit si negligenter colantur, & in eorum obsequio homines langueſcant? Seu si hi qui omni cum veneratione iis sacrificant, nequeunt eorum præsentiam facilè percipere, quantò minùs percipient ii qui oscitanter ac remissè & cum tædio illos colunt?

§. 2.

HÆC spirituum tam arcana subtilitas, nec minor per effectus suos manifestatio, quamvis spiritus in se adeò occulti sint, usque adeò clara est, ut revera tamen non possint occultari; ita planè se res habet.

Quamvis pateat existentia spirituum ex ipsomet textu & mente Philosophi; juvat tamen hoc loco quid & ipse Cham-*colaus de spiritibus sentiat (utique ex mente ipsius Philosophi) ipsiusmet verbis Lectori declarare. Sic autem ait quod* sint spiritus, utique verè est hoc è ratione; *nam* perpetuo motu operantur in hoc cæli & terræ medio, & exercent pro officio suo illam beandi probos, & affligendi improbos potestatem: ideò ipsorum *(scilicet spirituum)* agilitas, & intelligentia apparet ac clarè se manifestat, & nunquam potest occultari. Revera sic est. *Mirificè favet huic Interpreti Interpres alter, paris cum Colao authoritatis; & ipse* Cham *dictus, cognomento* tûm-ço: *hic autem in vigesimâ circiter editione Commentariorum suorum in modò explanatam* Confucii *sententiam sic scribit*: *Vox illa* Chîm significat spirituum veritatem. Et sensus est: revera dantur isti spiritus. *Voces illæ*, pú cò yèn, id est manifestum est, seu celari aut negari non potest. *Sic ille.*

f. 12. p. 1. §. 1.

HIC & deinceps *çù-su*, ut explicet latitudinem ingenitæ omnibus rationis quoad usum, Avi sui verba affert de Priscorum Regum virtutibus; ac primo quidem de illustri Imperatoris *Xún* erga parentes suos obedientiâ. *Confucius* ait: *Xún* Imperatoris illius ô quàm magna fuit obedientia! Virtute fuit sanctus; quo & factum est ut tanti filii parentes ubique celebrarentur. Dignitate fuit cæli filius, id est Imperator: hæc verò dignitas ad parentes quoque certâ ratione transivit; &, si de opulentiâ agamus, obtinuit quidquid quatuor maria *(sic orbem sibi notum Sinæ declarant)* intrà se complectuntur. Has item opes in parentum cultum planè regium nec non delicias eorumdem pius profundebat. In aulis parentalibus regio de more & apparatu defunctis majoribus parentabat, quem morem filii quoque ac nepotes conservarunt: Hoc autem modo ea tam illustris & Regia dignitas in familia ipsius diu perstitit; & à posteris vicissim tanti Avi memoria, præsertim in parentalibus officiis ac ritibus, perpetuò conservata fuit.

Non offendat, Lectorem vox Xím *seu* Sanctus; *non enim hic aliud*

(uti

(uti in lexicis videre est) significat quàm eximiè sapientem & intelligentem, vel gîn chi ché, *id est, hominis summum ad quod homo suis viribus potest pertingere.*

§. 2.

IDEO magna illius virtus, non casu, sed destinato haud dubiè consilio, obtinuit suam illam à cælo dignitatem, seu Imperii coronam, virtutis præmium: item haud dubiè obtinuit suos tam amplos census & immensas opes illas quas ambit Oceanus: haud dubiè obtinuit suum illud toto orbe tam celebratum nomen famamque tantam: haud dubiè denique obtinuit illud dulce præmium longævæ ætatis; proprium scilicet præmium filialis obedientiæ, quam paulò ante deprædicavit.

Et verò vixit Xún *Imperator annis 100. primùm quidem ab agro & stivâ vocatus ad Imperii per 8. & 20. annos societatem ab ipso* Yao *Imperatore; qui deinde moriens, cùm suum ipsius filium* Tan-chu *dictum ab administratione repulisset, non in alium quam in ipsum* Xún *Imperium resignavit: quod ab hoc inde per annos 50. feliciter administratum fuit: Ut planè videatur Deus Sinis etiam contulisse, quod, quicunque honorassent patrem & matrem, in lege scriptâ promiserat. Quod, ne quis putet à nobis ex uno tantum successu temerè mox affirmari, juvat referre quem fructum pietatis suæ* Vù-vâm *quoque familiæ tertiæ conditor & Imperator aliquando perceperit. Ægrotabat, uti memorant officiorum libri, hujus avus* Vâm-ki *qui Regulus tunc erat; ministravit ægrotanti* Vên-vâm *filius cum incredibili sedulitate & vigilantiâ, maximâque teneirimi amoris & observantiæ significatione. Successu deinde temporis, cùm* Vên-vâm *quoque, primæ inter Regulos dignitatis, jam senior langueret, adfuit ei similiter* Vù-vâm *filius, & Patris erga avum pietatem imitatus, assistere ægro diu noctuque, famulari, quidquid excogitare poterat obsequii solatiique præbere, usque eò ut nec cibo se reficeret nisi cum cepisset hunc pater, neque antequam hic indormisceret, quieti somnoque traderet defessum corpus. Convalescebat hæc inter senior; & pius filius plusculum fortè somno tribuerat. Quæsivit igitur ex eo pater, nùm quod ei somnium nocte istâ contigisset; cui* Vú-vâm: *planè (inquit) ô Pater! & quidem ipsiusmet* Xâm-tí *species augustissima mihi per somnium oblata fuit: faciebat autem spem mihi* cæli Imperator *obtinendi novem* Lim, *id est, novem annorum decades. Tum Pater*: tu novem decades annorum nonagenarius senex aliquando numerabis: mihi centum ætatis anni parati sunt: sed age, tres meis demantur, qui tuos augeant, fili mi. *Res fuit admiratione digna, (si tamen libris Officiorum credi potest) prorsùs ut ita dictum fuerat, evénit: nam* Vên-vâm *natus annos septem & nonaginta vivere desiit;* Vù vâm *tertio & nonagesimo ætatis suæ anno; utrumque verò superavit hujus frater,* Cheu-cum *di-*

ctus, utpote centenarius, singulari sapientiâ, & filiali quoque observantiâ commendatissimus Princeps.

§. 3.

ETenim cælum in productione rerum haud dubiè accommoat se se, & attemperat earum dispositionibus, & his conformia dat incrementa, suoque res influxu fœcundat; adeoque quas plantas invenit aptis locis atque temporibus rectè consitas benignè fovet ac vegetat humore suo & calore; quas dejectas & marcescentes reperit, eodem arefaciens calore prorsús dissipat ac destruit. Ita etiam cælum sese accommodat naturæ & ingenio singulorum; bonos erigit atque ornat, ut patuit in hoc Principe *Xûn*; improbos verò abjicit & perire sinit..

§. 4.

ODA ait: O omnium encomiis laudandum, jubilisque extollendum virum perfectum! O quàm magnificè resplendet ejus præclara virtus! Quæ populi sunt tribuit populo, & quæ magistratibus competunt tribuit magistratibus. In omnes derivat virtutes suas, adeoque de omnibus bene meretur. Ideò nimirum amplissimos recipit census (*Imperium dentat*) à cælo: conservat ac fovet Imperium; adeóque aliis atque aliis beneficiis à cælo dimanantibus, bonisque omnibus cumulatur; & in longam posteritatem amplificatur.

§. 5.

IDEO (*concludit Philosophus*) magna virtus procul dubio obtinet à cælo Imperium.

p. 2. §. 1.

CONfucius excurrens hic in laudes Regum *Vên-vâm* & *Vù-vâm* sic ait: Qui expers mœroris semper fuit (rarâ Regum felicitate) is solus fuit *Vên-vâm*: quia nimirum Regulus *Vâm-ki* fuit ei Pater, à quo tam præclarè institutus fuit; & quia Imperator *Vu-vâm* fuit ei filius, patri, avoque tam similis; quæ pater piè ac feliciter orsus fuerat, filius majori etiam cum felicitate in annos plurimos pertexuit. Fundavit enim hic tertiam familiam Imperatoriam *Cheu* dictam, quæ præ reliquis omnibus familiis diutius stetit, annis scilicet 874. triginta quinque Imperatoribus illustris.

§. 2.

IMperator *Vu-vâm* heroïcis suis virtutibus propagavit proavi sui *Tai-vâm*, & avi sui *Vâm-ki*, & patris sui *Vên-vâm* augustam stirpem. Semel dumtaxat arma militiaria induit, ut exigeret meritas pœnas de impiissimo *Cheu* tyranno (fuit hic secundæ familiæ *Xam* postremus) & hoc subacto obtinuit *Imperium* hortatu, vel impulsu potiùs octingentorum diinastarum totiusque populi; ejus autem persona ad hoc fastigium evecta nequaquam amisit acceptam à majoribus totoque orbe illustrem ac celebratam virtutum & meritorum fa-

Digitized by Google

mam. Dignitate fuit *Imperator*: At si de opulentiâ agamus, possedit quidquid quatuor maria intra se continebant: neque minor fuit illius pietas; quippe in avitis majorum aulis, iis parentabat magnificentiâ & ritu Imperatorio: quem morem filii sui ac nepotes conservarunt totâ deinceps posteritate propagante in perpetuum glorioſam memoriam Majorum ſuorum & proſapiæ regiæ.

De hujus illuſtri proſapiâ multa perhibent Annales Sinici: Siquidem ordiuntur illam ab Imperatore Hoâm-ti (*qui cæpit imperare anno ante Chriſtum 2697.*) *perpetuâ quadraginta generationum Serie; quarum tam nomina quàm cognomenta accuratè recenſent. Porrò inter* Hoâm-ti *&* Vù-vâm *anni 1574. effluxêre: Rursùs ab hoc non tantum eadem ſtirps, ſed & dignitas ſimul Imperatoria in filios ac nepotes per annos 874. propagata fuit. Ex quo conficitur, Domûs illius nobilitatem, fortè nulli Europæarum vel Aſiaticarum ſecundam, annis 2447. ſibi conſtitiſſe: primò quidem cum Regulorum & deinde cum Imperatorum titulo ac dignitate: conſule tabulam genealogicam Sinicæ Monarchiæ.*

f. 13. p. 1.

HIC & deinceps oſtendit *Confucius*, quomodo *Vu-vâm*, & hujus frater *Cheu-cum* & ſervarint ipſi, & ad poſteros ſuos tranſmiſerint debitum cultum & reverentiam ergà defunctos majores, ſervando luctûs, exequiarum, & ſepulturæ, ſimulque officiorum ac rituum debita tempora, ordinem, & apparatum. Et hic quidem erat filialis obedientiæ apex, ob quam ſibi omnem felicitatem à cælo promittebant. *Vu-vâm*, inquit *Confucius*, jam ſenior, octogenario major ſcilicet, ſuſcepit imperium; adeoque, cùm tantùm ſeptem annis imperarit, non potuit leges ac ritus ita ſtabilire ut non eſſet periculum ne denuò negligerentur & in oblivionem irent; quare cùm filium Imperii hæredem relinqueret, *Chîm-vam* dictum, tredecim annorum puerum, *Cheu-cum* hujus tutor ſimul & patruus extremam rei tantæ impoſuit manum, & adimplevit Parentis ſui *Vên-vâm*, & fratris ſui natu majoris *Vu-vâm* virtutes ac ſtatuta, poſthumo Regulorum titulo ornans Proavum *Tái-vam*, & Avum *Vâm-kí*, vel (*ut alii exponunt*) *Cheu-cum* adimplevit *Vên-vâm* & *Vu-vam* virtutes: Nam aſſiduè & ipſe ſibi & pupillo revocabat in memoriam familias Regias, virtuteſque Proavi *Tai-vam*, & Avi *Vam-ki* Regulorum; numerando per mille & amplius annos perilluſtris familiæ ſeriem à *çu can* uſque ad ipſum *Héu-cïe*, qui familiæ Princeps & caput fuit, & filius quarti Monarchiæ Imperatoris, *Tí-co* dicti, ex prima Reginâ *Kiam yvén* dictâ: Erat autem *Tí-co* nepos ſecundi Imperatoris cui *Xaò-haó* nomen: Porrò *Xaò-haó* filius erat celebris illius *Hoâm-tí* flavi Imperatoris ex matre *Luîj-çù* dictâ. Itaque ſolemniùs auguſtiuſque parentabat defunctis majoribus juxta *Imperatorum* ritus, impertiens eos ſua ipſius dignitate; qui ritus deinde abiit in

Digitized by Google

uſum apud omnes Reges & Imperatores Sinarum; ut quiſque ſcilicet ſuâ ipſius dignitate impertiret Majores ſuos defunctos, quamvis hi illam non habuiſſent in vitâ. Hi itaque erga Majores ritus propagati ſunt ad *Regulos* & ad *Magnates* Imperii, *Tá-fu* dictos, uſque ad literatos; ac tandem ad privatos homines: omnes enim juxta ſuum quiſque ſtatum, & ordinem quem obtinebant, in hoc officiorum genere procedebant. Atque adeò ſi Pater fuiſſet unus ex *Magnatibus* ſeu Magiſtratibus Regni, & filius eſſet dumtaxat literatus, ſepeliebat hic Patrem cùm ritibus *Magnati* debitis; ipſe verò ei parentabat pro ſuo literati aut Doctoris gradu: Contrà, ſi Pater fuiſſet literatus, filius autem eſſet ex *Magnatibus*, tum filius ſepeliebat patrem ut literatum, ſeu ritu literatorum, parentabat autem ut *Magnati*, eamdem cum ſuâ dignitatem Patri licet mortuo impertiens honoris causâ. Utriuſque ritûs rationem hanc afferunt; quia dignitas Patris ſequitur mortuum uſque ad ſepulchrum; at verò quæ ei fiunt parentalia, ſive quæ offeruntur munera pertinent ad reditus & facultates, ſeu ad ſtatum viventis filii; qui ſi pauper pauperis more, ſi Rex Regis more Parentibus ſuis parentabat. Quod verò ad luctum pertinet: unius anni luctus (*quem declarant, non atri, ſed albi coloris veſtitu funebri*) in morte fratrum aut patrui, tantùm pertingebat ab infimâ plebe uſque ad *Magnates*. In obitu autem Patris, aut Matris, *triennii* luctus pertingebat ad ipſum uſque *Imperatorem*: Et in hoc Patris ac Matris triennali luctu non habebatur diſtinctio nobilis ab ignobili, ſed una eademque erat omnium ratio: quia quæ parentes promeriti ſunt de filiis, & quæ filii viciſſim debent parentibus, ſunt in omnibus paria, & eodem pretio æſtimanda.

Triennalis hic luctus ideò ſervabatur, quia proles totidem annis lactari ſolet, ac gremio Parentum foveri. Maritus trimeſtri tantùm ſpatio defunctam Uxorem lugebat; at verò defunctum Maritum lugebat Uxor per triennium; & hæc quidem conſuetudo hodieque toto Imperio ſervatur à Sinenſibus.

p. 2. §. 1.

APplaudit obedientiæ modò deſcriptæ *Confucius* dicens: Imperatoris *Vu-vam*, & ejus fratris *Cheu-cum* horum ô quam latè propagata eſt obedientia.

Juvat hic paucis exponere, cujuſmodi fuerit politicæ gentis hujus, publicæ pacis & quietis admodùm ſtudioſæ, de hac virtute ratiocinatio. Sic ergò diſſerebant: Si Rex amet & colat parentes ſuos, non poterit his non dare operam ut & ſubditi ad ſuum Regis exemplum colant quoque & ament parentes ſuos; quiſquis enim virtutem amat, eam nulli non ineſſe deſiderat, tunc quidem maximè quando ipſius intereſt virtutem ineſſe aliis; intereſt autem Regis; fruſtrà quippe Rex ſperat ſubditos parituros eſſe ſibi, qui

Digitized by Google

qui parentibus parere detrectant. Sed hoc ut suaviùs feliciùsque Rex perficiat, non poterit non præ se ferre benevolentiam paternæ similem ergà omnes; adeoque erit illi procul dubio curæ ne quemquam suorum tractet inclementiùs: Libenter enim hunc sequimur & imitamur à quo putamus nos diligi; quod si hoc assequatur, ut suo Regis exemplo omnes Parentibus suis obediant, jam ei quoque omnes tanquam communi populorum Parenti morem gerent; sic ut in ipso quidem pareant justitiæ, in illis autem obsequantur naturæ. Nunc autem cùm à cœlo coronæ & Imperia nobis veniant; siquidem subditi Regis sui mandatis pareant, multò magis cœlo ipsi velut omnium supremo parenti obtemperabunt: cœlum verò nequaquam præmio suo fraudabit virtutem tantam: hinc ergò alia ex aliis bona largè manabunt: pax & concordia vigebunt; atque potenti florentique Imperio summi pariter infimique sub Principe suo, veluti fratres in opulentâ rectèque institutâ domo sub suo patre-familias, quietam jucundamque vitam agent. Ex hac sapienti Priscorum ratiocinatione Auctor facilè intelliget, quàm consentanea rectæ rationi, & quam remota ab omni impietate fuerint Sinarum dictamina politica.

§. 2.

PRosequitur *Confucius*: Hi namque obedientissimi Principes *Vûvâm* & *Cheu-cum* præclarè valuerunt prosequi majorum suorum voluntatem: insuper præclarè valuerunt enarrare atque amplificare majorum suorum illustria facinora ad æternam posterorum memoriam & imitationem.

§. 3.

ILLI autem Vere & Autumno (nec minus tempore Brumali & Æstivo) adornabant suorum avitas aulas: aptè disponebant ab iis relicta antiqua vasa & instrumenta, cujusmodi erant purpureus *ensis*, seu ensis cum vaginâ suâ purpureâ; cœlestis Sphæra: in fluvio *Hoam hô* conspecta mappa à *Fo hi* descripta; stemmata Gentilitia, & gemmis adornata insignia ejus, quâ functi erant, dignitatis; conditorum Imperii magna documenta tabulis exarata. Item exponebant aureas eorum togas ac vestes, quibus vestiebant adornabantque Avorum tumbas sepulchrales: denique offerebant illius temporis Edulia, seu ea quæ præsens illius anni tempestas subministrabat, quæ ab ipso Imperatore honoris causâ, & in beneficiorum à majoribus acceptorum memoriam offerebantur.

f. 14. p. 1. §. 1.

CONveniebant Filii ac Nepotes in aulas suas gentilitias & parentales, & in his quidem aulis determinatus erat ritus: *quapropter* servabatur inter illos ordo tam assistentium ad lævam, quàm assistentium ad dexteram: item servabatur ordo dignitatis, *quapropter* & fiebat distinctio nobilium & ignobilium: rursùs servabatur ordo officiorum; *quapropter* erat discrimen Sapientiorum; seli-

Digitized by Google

gebantur enim è multis iî qui ſapientiâ & virtute cæteros vincebant, ut ſuo illo munere ritè fungerentur. Deinde verò cùm omnes cujuſcunque familiæ peractis jam ritibus ſe mutuo invitarent ad vina & epulas; tum inferioris ordinis, ſeu ætatis, Ex. gr. minores natu miniſtrabant vina natu majoribus ob reverentiam his debitam; quo fiebat ut officiorum ſolemnitas quadantenus perveniret etiam ad inferiores & ignobiliores. Finitis hiſce communibus epulis, diſcedebant omnes qui erant alterius familiæ; & ſolùm epulabantur ejuſdem familiæ, ſeu nominis, conſanguinei; hi autem non ordine dignitatis, ſed canitiei, id eſt, ætatis, conſidebant; *adeoque* ſolùm ordo ac ratio dentium, *(ſeu ætatis)* habebatur, ſenioribus Principem locum obtinentibus.

§. 2.

DEnique dicti duo Principes *Yu yam* ſcilicet & *Chen tam*, conſtanter deceſſorum veſtigiis inſiſtentes proſequebantur ſuorum dignitatem, quam in vitâ tenuerant, aut certè quæ mortuis acceſſerat: atque ita cum in avitis Aulis, tabellas *Pai Quei* dictas, ſeu Avorum ſtemmata exponerent, eas pro ordine cujuſque dignitati debito diſponebant: item exercebant eorum, majorum inquam, ritus; canebantque eorum muſicam, ad quam choreas agebant juxtà ordinem dignitatis; ea venerabantur quæ ipſi olim majores in pretio & honore habuerant: ea amabant item, quæ ipſi dilexerant; ſcilicet poſteros, ſubditos, populum, &c. Denique ſerviebant modò mortuis ſicut ſervierant viventibus: Rursùm ſerviebant olim mortuis eo modo ac ſi ſervirent iiſdem ſalvis adhuc & ſuperſtitibus: Atque hic ſcilicet erat obedientiæ apex.

Ex plurimis & clariſſimis textibus Sinicis probari poteſt legitimum prædicti axiomatis ſenſum eſſe quod eadem intentione & formali motivo Sinenſes naturalem pietatem & politicum obſequium erga defunctos exerceant, ſicuti erga eoſdem adhuc ſuperſtites exercebant, ex quibus & ex infrà dicendis prudens Lector facilè deducet, hos ritus circà defunctos fuiſſe merè civiles, inſtitutos dumtaxat in honorem & obſequium Parentum, etiam poſt mortem non intermittendum; nam ſi quid illic divinum agnoviſſent, cur diceret Confucius, *Priſcos ſervire ſolitos defunctis, uti iiſdem ſerviebant viventibus? Niſi fortè quis dicat, filios parentibus etiamnum vivis detuliſſe honores divinos; quod apud Sinas inauditum eſt. Certè qui gentis hujus politicum regimen in priſcis ejuſdem monumentis expreſſum attentius examinârit, erit, quod ſuſpiciat inventum illud tam ſuave continuandæ gratitudinis & obſervantiæ à filiis & nepotibus, quoad vivunt, erga defunctos majores ſuos: Etenim hoc exemplo moventur admonenturque filii ad obedientiam vivis parentibus præſtandam, quam vident ab iiſdem erga mortuos progenitores tam piè conſtanterque præſtari. Præſtantur autem vivis hæc officia longè operoſiùs illo in primis*

Digitized by Google

die qui parentum natalis est; & anni Principium : planè diceres Numen aliquod adorari, tam singularis observantiæ reverentiæque significatio quâ prostrati in terram liberi patrem suum matremque juxta sedes suas tunc consistentes adorabundi venerantur : Appensis hinc inde majorum suorum ad prosapiæ suæ ostentationem imaginibus cum titulis quoque & instrumentis dignitatis aut præfecturæ si quam fortè viventes obtinuerant, qui apparatus appositâ quoque bellariorum mensâ in aulâ hospitum adornatur primis anni calendis quando salutandi gratiâ præfecti aliique eò conveniunt honoremque & reverentiam primum exhibent ejus, quem invisunt, majoribus vitâ functis, cui mox reciprocam reverentiam cum actione gratiarum herus exhibet. Sed hæc alibi copiosè discussa sunt, nunc ad textum revertamur.

p. 2. §. 1.

CONfucius volens innuere, *Vu-vam* & *Cheu-cum* fratres pulcherrimam gubernandi rationem assecutos esse, dicit, quod is qui Cælo in primis, ac dein progenitoribus suis debitum pietatis officium persolverit, cum omni felicitate Imperium sit administraturus. *Kiao*, erat id quod Cœlo, adeoque in rotundo colle offerebatur : *Xé* verò, erat id quod terræ, offerebatur, adeoque in loco palustri & quadrato (quod opinarentur terram esse quadratam) Ab his admodùm diversa erant parentalia, quæ majoribus offerebantur, per duas voces *Tí Cham* hîc denotata *Tí*, erat id quod semel intrà quinquennium solemniori cum ritu Majoribus suis offerebat Imperator : *Cham*, erant quæ per quatuor anni tempora iisdem obibant parentalia. Sic igitur *Confucius* ait : Sacrificiorum cæli & terræ ritus & officia erant id, quo colebant dumtaxat cæli ac terræ supremum Imperatorem, qui duabus litteris *Xám tí* aptè admodùm ac literaliter significatur. Regiæ majorum aulæ ritus & officia, erant id, quo posteri Reges debita persolvebant honoris obsequia suis defunctis majoribus. Qui ergò clarè intellexerit, & expleverit sacrificiorum *Kiao xé* ritus supremo cæli terræque Imperatori debitos : qui item probè noverit *Tí cham* rationes, & ritè persolverit officia majoribus debita, nonne profectò tàm facilè ei erit regnum rectè moderari, quàm est suæ manûs palmam aspicere ?

Hic locus illustris est ad probandum ex Confucii *sententiâ unum esse primum principium ; nam cum dixisset esse duo sacrificia, cæli & terræ, non dixit, ad serviendum cœlo & terræ, nec ad serviendum cæli & terræ distinctis numinibus, sed ad serviendum superno seu supremo Imperatori qui est Deus, quamvis* Chuhi *commentator Atheopoliticus perperam dicat deesse numen terræ, & brevitatis causâ in textu omitti ; quod commentum eruditè refutat P. Matthæus Riccius aliique Doctores Christiani. Verum hunc locum adeò illustrem aliosque hujusmodi afferemus cùm alibi quid*

nomine cæli & Xám-tí prisci Sinenses intellexerint, fusius disputabimus.

§. 2.

REgni *Lù* Rex, *Ngai cum* dictus, quæsivit ex *Confucio* de regimine, seu de rectâ gubernandi ratione.

§. 3.

Confucius hic & in seq. respondet: Principum *Ven-vam* & *Vu-vam* regimen ac recta gubernandi ratio non est longè quærenda, fusè refertur in tabulis ligneis, & cannis palustribus (harum cortex pro papyro ipsis erat) similes viri, & illius temporis Principes, si modo existerent, seu, si Reges nunc similes illis essent virtute & sapientiâ, mox ipsorum præclarum regimen etiam resurgeret: quia verò similes viri jam interierunt, jam & eorum regimen simul interiit. Legum enim priscarum meræ tabulæ sunt veluti currus sine Aurigâ.

f. 15. p. 2. §. 1.

HOminum virtus, seu Regis simul & subditorum unita mens ac virtus, expeditum reddit regimen, id est, promptam facilemque reddit rectam gubernationem; quemadmodum terræ benè cultæ virtus productiva accelerat incrementa plantarum. Ejusmodi itaque regimen est instar fluviatilium cannarum, quæ ad fluenta consitæ citò feliciterque præ reliquis plantis excrescunt.

§. 2.

ENimverò optima administrandi ratio (ut erat illa Regum *Ven-vam*, & *Vu-vam*) pendet ab hominibus, quibus à Rege hoc munùs creditur; seligere verò hos homines pendet à bonâ compositione & normâ personæ regiæ, quæ exemplar reliquorum sit oportet: compositio autem personæ Regiæ pendet à rationis regulâ illâ universali, per quam queat discernere bonum à malo, ut hoc rejiciat, illud seligat, & unicuique quod suum est cum fide & æquitate tribuat: Perficitur verò dicta regula per solidam illam animi virtutem & amorem pietatemque universalem erga omnes *Gîn* dictam.

§. 3.

ILLE autem amor & pietas universalis, non est quid extrinsecum homini, sed est ipsemet homo, seu, hominis naturæ proprium quid atque innatum, dictans omnes amandos esse; atque adeò amare, hominis est; attamen præ cæteris amare parentes, est ejus præcipuum ac primarium munus, à quo deinde ad reliquos amandos gradum facit. Ex hoc item amore oritur justitia illa distributiva, quæ est ipsamet convenientia; atque adeò justum esse, æquitatis est, & quamvis ea in hoc sita sit, ut unicuique quod suum est tribui velit, tamen præ reliquis colere sapientes & probos, hos promovendo

promovendo ad dignitates & munia publica, est hujus quidem justitiæ præcipuum munus. Hoc in amandis parentibus & magis aut minùs propinquis discrimen, & in colendis iis, qui magis aut minus sapientes ac probi sunt ordo, ab officiorum harmonicâ quadam ratione seu symmetriâ nascitur; secundùm quam symmetriam, utpote commensuratam cum cœli ratione, res omnes diriguntur. Agit nimirum hoc loco Philosophus de communi quadam, sed merè humanâ charitate, *Gîn* dictâ, quæ ad totius generis hominum conciliationem & consociationem colendam tuendamque spectat; cujus adeò nexu vinculoque mortales pro suo cujusque gradu & conditione vel arctiùs vel laxiùs inter se mutuò vinciuntur.

p. 2. §. 1.

PRo hujus loci explanatione, cùm neque cum antecedentibus neque cum consequentibus cohæreat, remittit Interpres Lectorem infrà f. 18. p. 2. §. 3.

§. 2.

CUM igitur recta gubernatio pendeat à Viris sapientibus; seligere autem Sapientes spectet ad virtutem personæ Regiæ; ideò ante omnia perfectus Rex omnino non potest non rectè excolere propriam personam. Primò per rationis normam universalem & amorem ergà omnes; ex quo scilicet reliqua pendent. Quod si seriò meditetur excolere personam propriam per dictum illum amorem universalem, quandoquidem inter homines primum locum obtineant parentes, non poterit non servire parentibus, & hos præ aliis amare. Cùm verò ille ipse amor, seu virtus à parentibus dimanet ad reliquos homines (est enim amor universalis) si Rex seriò hoc meditetur ut serviat parentibus, non poterit tandem non cognoscere reliquos homines, & hos inter, qui aliis virtute sapientiâque præcellunt, ut hos sibi & Regno seligat administros. Quod si sedulò meditetur cognoscere homines, fieri non poterit ut non habeat perspectum Cœlum. Vel, Cœli rationem omnibus inditam; quæ scilicet dictat, excolendam virtutibus personam, colendos parentes, honorandos probos ac sapientes, venerandum denique Cœlum, à quo indita est homini recta ratio; quæ est virtutum omnium Principium ac radix.

§. 3.

DEclarat hîc *Confucius*, quinque universalium Regularum praxim dependere à tribus virtutibus Cardinalibus: harum autem virtutum efficacitatem pendere ab unica animi soliditate ac veritate. Totius (inquit) orbis universales & obviæ Regulæ seu viæ sunt quinque: Ea verò quibus practicè exercentur illæ sunt tria. Quinque Regulæ sunt videlicet, 1. Regem inter & subditum justitia: 2. Parentes inter & filios amor: 3. Maritum inter & uxorem

Digitized by Google

debita à reliquis distinctio, seu fides conjugalis: 4. Fratres majores natu inter & minores subordinatio: 5. Denique mutua quæ amicos inter sunt concordiæ ac consuetudinis officia. Hæ quinque sunt orbis hujus generales viæ ac regulæ. At verò prudentia in discernendo bonum à malo; amor quidam universalis ergà omnes; & fortitudo in prosecutione boni & fugâ odioque mali, tria hæc sunt orbis generales seu Cardinales virtutes, per quas perfici debent quinque Regulæ: Id verò, quo exercentur tres istæ virtutes est unum quid; seria nimirùm & vera cordis soliditas, veritas, & rectitudo; nam si ex ficto & fallaci corde dictarum virtutum una procedat, ea profectò non erit virtus censenda, sed vitium.

f. 16. p. 1.

SIVE quis nascatur (inquit *Confucius*) Sciens, id est, si quis instructus fuerit ingenio tam celeri & perspicaci à naturâ, ut absque Magistro per se prædictas regulas intelligat; sive quis, brevi & moderato usus studio, illas discendo sciat; sive quis diuturno studio & cum improbo labore easdem sciat; ubi hi pertigerunt ad ipsam scientiam, seu prudentiæ virtutem, una est tandem eademque in omnibus, tametsi alii citiùs, alii tardius eam sint assecuti. Rursùs inter homines sive quis sortitus animam bonam sponte & quietè veluti naturaliter operetur; sive quis ob lucrum seu utilitatem virtutis & cupiditatem quamdam operetur; sive quis nactus indolem minùs facilem violentè operetur ut tandem assequatur virtutem amoris universalis; tametsi, inquam, in operis exercitio aliis sit facilitas quædam aliis labor & difficultas, tamen ubi omnes jam pertigerunt ad ipsius exercitii terminum, & complementum operis in quo demùm ipsa se quoque prodit fortitudo, hoc ipsum in omnibus unum quid idemque erit opus.

p. 2. §. 1.

CONfucius, ut ostendat, omnes, si modò velint, posse sic proficere ut tandem propè absint à dictis virtutibus, prudentiâ scilicet, amore & fortitudine, ait: quamvis rudis sit quispiam, si tamen amet ardeatque discere, nec fatigetur in studio virtutis, jam is appropinquat ad prudentiam: si quis amore privato sui ipsius adhuc quidem implicitus, tamen nitatur rectè operari, jam is appropinquat ad amorem illum universalem ergà omnes; si quis denique ita est constitutus animo, ut constanter norit verecundari, & erubescere cùm turpia & illicita proponuntur, jam is appropinquat ad fortitudinem.

§. 2.

SI igitur benè nosti hæc tria, jam probè nosti id quo rectè excolitur persona propria: si nosti id quo excolitur propria persona, jam nosti id quo regas alios homines, jam etiam ex eadem

Digitized by Google

norma noſtî id quo regas orbis Regna: cum eadem ſit ratio & lex in omnibus, quæ in uno; ex quo fit, ut perfectio ſuæ unius regiæ perſonæ ſit perfectionis reliquorum fundamentum & norma.

f. 17. p. 1.

Confucius, ſecundum ea quæ dicta ſunt, Regem inſtituens ſic ait: Quicunque moderatur orbis Regna habeat has novem regulas, & præcepta vulgaria quidem, ſed obſervatu neceſſaria: Videlicet, 1. Excolat virtutibus ſe ipſum: 2. Colat ſapientes & probos viros: 3. Obſervet & amet parentes: 4. Honoret & in pretio habeat præſtantiores miniſtros & præcipuum Magiſtratum gerentes: 5. Accommodet ſeſe ad voluntatem reliquorum Miniſtrorum, ſeu Præfectorum minorum; quos ut membra ſua autumet: 6. Filiorum inſtar diligat populum ac vulgus promiſcuum, congaudendo gaudenti, condolendo dolenti: 7. Accerſat plurimos omnis generis artifices ad commune Regni emolumentum: 8. Benignè ac comiter excipiat & protegat è longinquo advenas & adventantes hoſpites: 9. Denique amanter ac impensè foveat & cordi habeat Imperii Regulos & Dynaſtas, quo fiat, ut concilietur eorum ergà Regem & amor & fides.

p. 2. §. 1.

SI igitur Rex novem prædictas regulas obſervet, plurima equidem toti Regno emolumenta conſequentur: Nam ſi excolat virtutibus ſeipſum, mox lex & Regulæ illæ univerſales Regis exemplo vigebunt: Si colat ſapientes, adeoque horum multo uſu conſilioque utatur, jam non hæſitabit perplexus in negotiis ſuſcipiendis & perficiendis: ſi obſervet & amet parentes, jam & inter reliquos conſanguineos, ex. gr. patruos, fratres majores natu, & minores non erunt querelæ aut ſimultates; ſed concors amor in bonum totius familiæ conſpirans: ſi veneretur & in pretio habeat præcipuos miniſtros, jam non caligabit, nec erit anxius trepiduſque in Regni ſui adminiſtratione tametſi fortè diſcrimen aliquod ingruerit; aderunt enim atque opitulabuntur Principi ſuo ſpectatæ virtutis invictique roboris viri, non conſilio tantùm, ſed manu quoque prompti: Si gregales Magiſtratus, ſeſe iis accommodans, veluti corporis ſui membra autumet, jam & hi, & qui erunt ordinis ſuperioris præfecti reddent obſequia ſua impenſiùs cumulatiùſque & univerſi correſpondebunt Regi cum omni fide & ſinceritate: Si filiorum inſtar amet populum, tunc populus animabitur atque excitabitur viciſſim ad redamandum tam beneficum ſibi parentem: Si famâ tanti Regis accerſiti adveniant plurimi cujuſcunque generis artifices, tunc & divitiarum ad utendum, & rerum ad communes uſus neceſſariarum affatim erit: Si benignè excipiat è longinquis regionibus adventantes advenas, mox circumjacentium quatuor

Digitized by Google

terrarum populi ultrò ad ipſum ſe conferent, & gaudebunt ſubeſſe tam humano & benigno Principi : Si impensè diligat ac foveat Regulos, hos viciſſim habebit ſui amantes ſibique devinctos, adeoque auctus ipſe tantis opibus, tantâque potentiâ, jam toto orbe formidabilis erit.

§. 2.

Confucius enumeratis fructibus, qui ex novem prædictis Regulis naſcuntur, tradit hîc modum, quo eædem ad praxim reducantur, dicens : Si Rex à vitiis abſtineat, ſit purus & immaculatus interiùs, & exteriùs gravi & ſe digno cultu induatur; ſi illicita & quæ repugnant rationi non attingat, hæc nimirum ea ſunt quibus Regia excolitur perſona : Si procul repellat à ſe detractores, & procul abſit à venereis; ſi vilipendat opes ac facultates, & magnipendat virtutem, hæc ea ſunt quibus animantur & excitantur ad imitationem ſapientes virtutum ſectatores : Si in pretio habeat ac veneretur & foveat ſuorum parentum dignitatem, ſuo Regio cenſu augeat eorum privatos redditus, eadem amans & odio habens quæ illi amant aut oderunt, hæc ea ſunt quibus animantur reliqui ad amandos item parentes ac propinquos : Si Præfectorum inferiorum magnum numerum habeat, & qui majoribus ſubordinati ex officio minora quæque negotia adminiſtrent : hoc eſt id quo animantur ſuperioris ordinis Præfecti, ut illorum operâ induſtriâque uſi munus ſuum feliciùs exequantur : Si ſuis Rex miniſtris fidat & credat, & pro cujuſque meritis ampla conferri jubeat ſtipendia, hæc ea ſunt quibus animantur regii miniſtri ad impenſiùs ſuo Principi ſerviendum : Si tantùm congruis temporibus (non iis ſcilicet, quibus aut agri colendi ſunt, aut meſſis colligenda) occupet populum, & moderetur vectigalia, hæc ea ſunt quibus animatur populus ad amorem promptamque obedientiam : Si quotidie examinet, & quovis menſe per ſe ipſe exploret an operariorum merces & alimenta ex regiis educta horreis reſpondeant operi, hoc eſt id quo animantur opifices ad impenſiùs laborandum : Si Rex debitis officiis proſequatur abeuntes advenas, & benignè ac comiter excipiat adventantes, collaudando aliorum præclaras dotes, quando his inſtructi ſunt, utendo illis ad munia publica, & miſerando aliorum, qui fortè tenuiores ſunt, imbecillitatem, hoc eſt id quo benignè tractantur è longinquo advenæ ac peregrini: Si uſque & uſque perpetuare ſeu conſervare ſtudeat Regulorum intereuntes jam propè familias ſubſtituendo alterum ex eadem familiâ in demortui locum & dignitatem; Si inſuper ſtudeat erigere & in priſtinum ſtatum reſtituere eorumdem collabentia Regna, moderando compeſcendoque ſeditiones vel tumultus obortos, & propulſando ſiſtendoque imminentia pericula; Item ſi dum celebranda ſunt Regulorum comitia, & excipiendæ

piendæ eorumdem legationes, juxta ſtatuta dumtaxat tempora id faciat (non immutando communem in hoc praxim, ne ſit oneri Regulis) Si item lautè ac ſplendidè tractet abeuntes, & non cupidè ſed regiâ cum moderatione excipiat adventantium munera (quod erat Regum Priſcorum dictamen) hæc ea denique ſunt quibus amanter foventur clientes Imperii Reguli.

- *Moris erat, ut quotannis Reguli per Legatum,* Tá Fu *dictum, mitterent munera ad Imperatorem; tertio item anno, ſed ampliora ditioraque & per Legatum ſuperioris quoque Ordinis* Kim *dictum; demùm quinto quolibet anno tenebantur ipſimet Reguli in comitiis Imperii ſiſtere ſe Imperatori.*

f. 18. p. 2. §. 1.

COncludit *Confucius*: Igitur quicunque regunt orbis Regna habent quidem quas & quomodo ſervent novem dictas Regulas: Cæterum id, quo debent exercere illas, unum dumtaxat eſt: nimirùm ſeria animi ſoliditas ſeu veritas ſine ullo fuco; quæ, ſi vel in unicâ ex novem Regularum deſideretur, jam non erit recta ſed fucata & ſuperficialis tantùm virtus.

§. 2.

UT autem dictas Regulas & virtutes omnes cum dictâ illâ animi ſoliditate & veritate quis aſſequatur, hæc addit Philoſophus: Si omnes res & actiones, quæ ſpectant ad prædictas Regulas præcogitentur, & prævie conſideratæ ſolidè in animo ſtabiliantur, hoc ipſo in expedito erunt ac ſolidè ſubſiſtent: Quod ſi eas non ſolidè præmediteris, hoc ipſo corruent, & incaſſum abibunt. Sic ſi verba proferenda priùs determinaveris, ac ea tecum ipſe iterum iterumque repetens, quid, quomodo dicendum ſit, planè definiveris, hoc ipſo non ceſpitabis, nec in ſermonibus tuis hæſitabundus offendes: Si res agendas tecum ipſe priùs accuratè perpenderis, ac ſolidè quid, quâ ratione agendum ſit, ſtatuèris, eo ipſo deinde non angêris nec te affliges ob ſiniſtrum eorumdem ſucceſſum: Si opus ipſum quod aggreſſurus es priùs ipſe cum animo tuo ſolidè prædeterminaveris, hoc ipſo deinde non te pigebit, nec opus cœptum langueſcet, nec tu ipſe (ſi fortè in medio curſu deficias) levitatis & inconſtantiæ notaberis: Denique ſi regula rectæ rationis priùs fixa firmaque fuerit, ſeu ſi antequam rem perficiendam ſuſcipias, diu eam præmeditatus, obfirmaveris animum dicto illo robore recti & ſinceri arbitrii, tum profectò tanta conſurget virtus & efficacitas, ut nequeat exhauriri, adeoque indeficiens tibi ejus uſus exiſtet.

Digitized by Google

§. 3.

DOctrinam modò dictam declarat Philoſophus exemplo inferiorum reſpectu ſuperiorum, ſic dicens : Qui conſtitutus eſt in inferiori dignitate, ſi non prius conciliatum ſibi habeat animum ſuperioris ſui & in ſupremâ dignitate conſtituti, nequit fieri ut populus ab eo rectè ac pacificè gubernetur : Conciliationis autem animi apud Superiores & ſupremos Magiſtratus, datur ſua quoque ratio & regula cui nititur ; ut datam ſcilicet fidem ſervet amicis ſuis & æqualibus ; etenim ſi non ex animo ſervet quis fidem cum amicis, nec poterit obtinere gratiam, benevolentiam & fidem apud Superiores & ſupremos Magiſtratus ; hi enim non dabunt fidem fallenti, quamvis amicus & familiaris ſit qui falſus eſt : ut autem quis ſervet fidem cum amicis, datur & ſua regula & ratio quædam : Si enim non ſeriò obſecundet quis & obſequatur, adeoque fidem quodammodò fallat, parentibus, hoc ipſo nec fidem ſervabit habebitque cum ſociis & amicis : Ad obſecundandum autem parentibus datur etiam quædam ratio & regula ; ſi quiſpiam nimirùm priùs in ſe oculos referens non deprehenderit ſe verè atque ex ſincero animo, ſed fictè dumtaxat & ſpecie tenùs morem iis gerere, planè cenſendus eſt non obſecundare & obſequi parentibus : Ut autem quis ſincerè & ſolidè perficiat ſeipſum, & illam recti animi integritatem obtineat, datur item certa regula & ratio, quæ conſiſtit in diſcrimine boni à malo ; nam niſi quis exploratam habeat atque perſpectam rationem boni & mali, nec quis unquam ſincerè perficiet ſeipſum, & ſolidus eſſe in ſe non poterit.

Suprâ) à fol. 14. p. 2. §. 2.) agit Philoſophus de recta gubernatione ad imitationem Priſcorum Regum *Ven-vam* & *Vu-vam* : Dein affert quinque illas in hoc rerum univerſo inſitas naturæ à Cœlo Regulas, & tres virtutes veluti Cardinales, prudentiam, amorem, fortitudinem, quibus eæ perficiuntur : tum ad particularia deſcendens, novem recte regendo Imperio proprias Regulas tradit, quas omnes dicit pendere à rectâ ſui ipſius inſtitutione. Tandem concludit, quòd qui regere vult ſeſe, ac deinde populum, initium facere debet ab intrinſecâ animi ſoliditate, ſeu perfectione quadam ſublimi & veritate omnem prorsùs fictionem excludente : quæ quidem veritas & ſoliditas aliquando ſumitur pro ipſamet naturâ, homini & rebus omnibus, aliâ atque aliâ proportione & efficacitate, à Cœlo inditâ. Hæc itaque veritas & ſoliditas literâ *Chim* hic explicatur : Hanc quatuor literis Interpretes exponunt, videlicet *Chin Xe Vu Vam*, hoc eſt, *Verum, ſolidum, abſque fictione.* Nos verò veram, ſeu ſolidam perfectionem deinceps vocabimus.

Digitized by Google

f. 19. p. 1. §. 1.

UT hîc, & deinceps intelligatur mens Philoſophi, dico, ſic eum agere de Sancto & ſapiente (quod ad lumen rationis, ſeu ad perfectionem & veritatem illam nativam attinet) ut quamvis aſſerat, huic & illi, uti & reliquis hominibus, æquâ portione infuſam eſſe rationalem lucem, ſic tamen infuſa ſit Sancto, ut, quia is nunquam à primâ illa integritate per obliquas & pravas animi affectiones vel minimùm deflexit, quaſi ſereniſſimo ſemper fruatur cœlo, in quo longè latéque nativi ſolis ſui rationale lumen ad uſus & actiones ſuas naturaliter & ſine repugnantiâ diffundat: contrà verò ſic infuſa ſit eadem lux & perfectio ſapienti, ut, quoniam deinde advenerunt ei ſua quædam impedimenta, vitia, & maculæ, quæ quaſi nubila, nativi ſolis lumen interceperunt, opus ſit non parvo conatu, ſtudio ac labore, ut ita remotis nebilis primævæ ſuæ ſerenitati ac ſplendori reſtituatur: atque hæc vocatur *gîn táo*, id eſt, *hominis via ac ratio*, ſeu ſapientum ad primævam perfectionis originem contendentium regula: prior verò vocatur *tién táo*, hoc eſt, *cæli ratio*, ſeu prima regula à cælo æqualiter omnibus indita, eſtque Sanctorum nunquam violata virtus.

De utráque iſtâ ratione ſeu regulâ ferè uſque ad finem hujus libri agitur, ut patebit legenti: de utrâque item hîc agens *Confucius*, ait: verâ ſolidâque perfectione dotatum eſſe cæleſtis quædam eſt ratio omnibus indita; at verò poſt hujus jacturam ad recuperandam denuò hanc veram ſolidamque perfectionem contendere, ſeu per conatum ad eam quam amiſit integritatem redire, humana quædam via & ratio eſt. Quod ſpectat ad verâ ſolidâque perfectione dotatum; quia talis profectò à cælo proficiſcitur, ipſe quidem ex parte ſua non ſibi vim inferens ſine ullo paſſionum conflictu agit, & tamen ſine negotio attingit ſcopum & finem; non ratiocinatur, & tamen rem aſſequitur; cum magnâ denique tranquillitate abſque ullâ commotione rationem ſequitur & attingit virtutem; atque hoc *Sanctorum* eſt. Quod autem ſpectat ad eum qui per conatum ad veram ſolidamque perfectionem contendit, quia ab ipſomet homine pendet, qui cum labore eam aſſequi conatur, opus eſt ut ſeriè priùs ſecum ipſe mediretur, & examinet ſingula; quo facto deinde ſeligit ſibi bonum, & hoc ſelecto dein fortiter manu tenet ac conſervat; atque ea ſapientium virorum, præ modò dictâ longè inferioris ordinis, via & ratio.

p. 2. §. 1.

UT autem quis ſibi queat ſeligere bonum, ac tenaciter deinde retinere, obſervet quinque Regulas oportet. 1. Ut rerum omnium rationes, cauſas, & congruentias non obiter & carptim, ſed plenè latéque perdiſcat; qui enim aſſequi conatur ſolidam perfe-

ctionem multa seriò perdiscat necesse est. 2. Quia verò in iis quæ didicit, erunt fortè quæ necdum ita novit quin dubia quædam suboriri possint, oportet ut præmaturè discutiat quærenda, examinans singula, & consulens de his viros sapientes & rerum peritos. 3. Quamvis explorata videatur habere omnia, quia tamen pronum est aut excessu aut defectu quopiam peccare, necessarium deinde erit, ut non oscitanter, sed sollicitè, attentè, ac studiosè secum ipse iterum iterumque ratiocinando meditetur atque expendat singula. 4. Oportet insuper ut non confusè, sed clarè distinguat res inter se, bonum à malo, verùm à falso maturè dijudicans. 5. Quibus denique sic perfectis, necesse est, ut non fictè, sed solidè ac constanter operetur; seu res, de quibus apud animum suum priùs ipse statuerit, totis viribus exequatur.

§. 2.

PRosequitur *Confucius*: sunt qui nolunt discere, quia discendo non proficiunt, nec illicò assequi possunt quod volunt, at si discant non tamen, donec sciant, desistant à studio: sunt qui nolunt interrogare, quia interrogantes ob tarditatem ingenii non statim capiunt responsa, at si interrogent, non tamen, nisi intelligant, ab interrogando desistant: sunt qui nolunt ratiocinando meditari, quia quod meditantur non facilè assequuntur, at si quidem ratiocinentur, non tamen, donec assequantur, à cœpto desistant, aut desperent: sunt qui nolunt argumentari & dijudicare, quia rem non usquequaque clarè & distinctè percipiunt; at si quidem dijudicant, non tamen donec clarè omnia percipiant desistant aut despondeant animos: sunt qui nolunt operari, quia in operando non solidi & constantes sunt, at si operantur, non tamen desistant à cœpto jam opere, donec totâ contentione compleatur: etenim si alii primâ & unicâ vice feliciter possunt aliquid assequi, tu ipse saltem, si non unicâ vice unove conatu, centesimo sanè aliquid efficies: si alii decimâ vice quidpiam possunt, tu millesimâ saltem vice spera te consecuturum.

f. 20. p. 1.

SI quis igitur hoc reverà impetrare possit abs se, ut sine intermissione saltem conetur servare, seu agere juxtà, dictas quinque regulas, quamvis ipse rudis fuerit & ab arte ac naturâ parùm juvari se sentiat, tandem tamen evadet clarè intelligens; & quamvis sit modò mollior & imbecillior, tandem aliquando fortis evadet in exercitio virtutum. Hactenùs *Confucius*.

p. 2.

COncludit *çù sù* verba & doctrinam avi sui dicens: Se ipso, id est, sine operosâ contentione vel conatu, verè solideque perfectum esse, simulque rerum omnium intelligentem, dicitur natura

tura, seu connaturalis virtus à cœlo infusa : Rursùs seipsum prævio conatu & studio illuminare & reddere intelligentem, ac deinde in verâ virtute seu perfectione solidare, dicitur institutio (vel, ut alii explicant; ab illâ verâ solidâque perfectione claram & perfectam rerum omnium intelligentiam habere, hoc est quod dicitur natura, seu nativa quædam virtus & perfectio à Cœlo mortalibus indita; hæc est *Tien Tao*, seu Sanctorum virtus, quæ nihil unquam labis ac vitii passa velut in Olympi quodam vertice constituta quaqua versum ad omnia summâ cum facilitate quasi descendit: at verò ab ea clarâ & perfectâ rerum intelligentiâ, quæ scilicet diuturno studio ac labore parta fuit, ascendere ad primævam illam & veram perfectionem, seu nativam virtutem prout à cœlo primùm indita fuit, hoc dicitur institutio, seu disciplina virtutum non infusa, sed acquisita; & hæc est *Gîn Tao*, seu sapientum virtus, non sine labore scilicet eluctantium in altum Olympi verticem, in quo primùm à Cœlo constituti erant ideò quisquis nativa perfectione dotatus est, seu Sanctus, eo ipso est clarè intelligens omnia, seu sapiens; & quisquis labore & conatu rerum claram intelligentiam sibi comparavit, mox etiam poterit facili negotio solidè perfectus esse, & in pari gradu cum ipso Sancto.

Hîc deinceps exponit çù-su *Avi sui & Magistri doctrinam de solidâ veritate, & quæ cum hac conjuncta sit supremâ quadam sanctitate, quam licet Interpretes gentiles (aliquibus exceptis) homini attribuant; eam tamen adeò sublimem facit Philosophus, ut reverà nonnisi supremæ veritati ac sanctitati tribui posse videatur. Nam cùm asserit, summè veram esse, & hanc dumtaxat posse intelligendo exhaurire suammet omniumque rerum naturam, præscire futura, esse rerum principium & finem, amplissimam, subtilissimam, perpetuam, & absque termino, esse quid sine motu, movens ac producens, contegens, sustinens, & perficiens omnia; esse quid unicum, summè sanctum, summè intelligens, invisibile, &c. ut in textu infrà patebit; quid aliud innuere voluit, quam supremum aliquod Numen, perfectissimamque mentem ? Hujus notitiam si nos* Confucio *ejusque discipulis concedimus, quid obsecro novi dicimus, cum eam ipsam tam multis Ethnicorum concesserint, primùm quidem ipsemet Apostolus, deinde sancti Patres, ad extremum tot ac tanti Doctores atque Theologi, & ipsis barbaris Nationibus ipse eloquentiæ Princeps Ethnicus ? Quid ? Quod hi dum demonstrare conantur existentiam Dei rationibus moralibus; non parùm roboris demonstrationi suæ petant ex ipso illo gentium omnium & sapientum consensu, qui utique in falsum constanter adeò conspirare nequeant.*

Digitized by Google

f. 21. p. 1.

ITaque ait *çù-sù*, quamvis quæ à Cœlo homini indita est natura, rationalis quidem sit spectatâ radice suâ, & solidum quid, verum, & sine fictione, tamen quia per vitiosos affectionum suarum motus homo jam deflexit ab illâ nativæ puritatis innocentiâ ac veritate, non clarè eam cognoscit, nec in operando assequi potest, quantum naturæ conditio & status exigit; ideò solùm is qui in universo hoc summè perfectus & sanctus est potest in cognoscendo penitùs exhaurire suam ipsius naturam: qui autem potest exhaurire suam naturam, hoc ipso tam potest exhaurire & intelligendo & rectè instituendo hominum naturam, ac efficere ut redeant ad originalem suam puritatem à quâ desciverunt: Quod si potest ita exhaurire hominum naturam, jam hoc ipso etiam poterit exhaurire aliarum rerum naturas, & explere quod exigunt sive illas gubernando, sive conservando, efficiendoque ut unaquæque res obtineat statum naturæ suæ consentaneum: Quod si potest exhaurire rerum naturas, jam etiam poterit veluti coadjuvando concurrere cum Cœlo & Terrâ ad rerum productionem & conservationem: Quod si potest ita adjuvare cælum & terram in productione & conservatione rerum, igitur cùm cælum sit suprà, ut omnia complexu suo foveat ac tegat, terra sit infrà ut omnia sustentet, & ejusmodi summè sanctus in medio sit cælum inter & terram constitutus, jam etiam potest cum cælo ac terrâ ternarium principium perficere. Et hæc quidem spectant ad cælitùs inditam rationem & regulam.

p. 2.

AB his, primi scilicet ordinis perfectis viris, qui proximi sunt seu secundi, primùm quidem hoc agunt, ut intorqueant sive rectificent quod curvum est, & non sine labore & constantiâ nituntur restaurare nativæ bonitatis nondum amissæ particulam & excitare scintillam primævæ lucis nondum penitùs extinctæ: Quod si fecerint, & dictam nativæ bonitatis particulam restaurarint, tum & poterunt reviviscere quodammodo, ac obtinere primum illum solidæ perfectionis vigorem; non aliter ferè quàm in arenti arbore & prope jam emortuâ, si fortè vel gemmulæ, vel surculi unius viridantis indicio tenues vitæ reliquias supereſſe intelligamus; laborem industriamque mox adhibemus nunc rigando, nunc aggerendo pinguiorem glebam; ad hæc, amputando si quæ desperatæ curationis sint; & causam denique mali vitiique fortiter tollendo, id tandem efficimus, ut arbori toti pristinus vigor ac vita restituatur. Ubi igitur assecuti fuerint solidam perfectionem, mox illa ipsa sese prodet: Ubi se se prodiderit, mox illucescet magis magisque Solis nascentis instar: Ubi illuxerit, mox veluti Sol in meridie lucis radios latè diffundet: Ubi ita irradiaverit, eo ipso motum faciet animorum:

Digitized by Google

Vir enim solidâ perfectione præditus suis virtutum radiis, suâque virtutum famâ hominum animos perstringat necesse est: Ubi motum fecerit & commotionem animorum, jam morum mutationem sine sensu inducet: nam exemplo suo ad bonum se propensum reddi sentiet, etsi nesciat unde sibi hoc accidat: Ubi morum mutationem induxerit, eo ipso felix universorum conversio consequetur. Solùm is in hoc universo qui summè perfectus & sanctus est efficere potest hanc conversionem. Hujus quoque secundi ordinis viri, cùm tandem pervenerint ad solidam perfectionem, tum etiam suarum virtutum famâ poterunt adeò sublimem animorum conversionem efficere, & hoc modo una cum cælo & terrâ concurrere ad harmonicum illum orbis universi concentum.

f. 22. p. 1.

QUoniam homines passim habent animum quadam pravarum affectionum veluti caligine offusum, nequeunt clarè cognoscere rationem omnem, quandoque nec discernere ea quæ ante oculos versantur, quantò minùs ea quæ ab oculis sunt remotissima, ut sunt futura? At verò) inquit (*chù su*) summè perfecti ac sancti virtus ea est, ut possit prævie scire futura: Cùm Regia Familia proximè est erigenda, procul dubio passim dantur fausta quædam prognostica: Regiæ item Familiæ cum imminet occasus, indubiè item dantur infausta quædam prognostica, quæ & manifestantur in herbâ *Xi* dictâ & in testudine *Quei* dictâ (*supra hanc cremebant aliqui dictam herbam, & ex maculis, seu coloribus, qui tum fortè apparebant, conjiciebant futura*) & prævio motu seu horrore quodam metuque futurorum percelluntur quatuor membra, seu totum corpus humanum. At summè perfectus, si quando fortè calamitas, aut felicitas proxime instat, non attendens ad ejusmodi signa, in probis procul dubio prænoscit præsentitque istam, id est, felicitatem; in improbis, haud dubiè prænoscit illam, id est calamitatem: ideòque summè perfectus cum tam subtilis & perspicax sit, est instar spiritûs omnia undequaque penetrantis; quorsum igitur eget hujusmodi auguriis & prognosticis?

Quod ad sortes attinet, atque alias superstitiosæ antiquitatis observationes, Chinam quoque videtur olim contaminasse labes ista, quæ illis temporibus generi humano propè toti communis fuit. Hoc quidem certum Priscis etiam Sinis suas fuisse sortes, sua fuisse auguria; atque ex his de fausto rerum successu solitos ominari: Non ignorabant Sinenses cælo cum terrâ magnam prorsùs affinitatem esse nexumque arctissimum; sicut ambæ res partium sint instar, ad unius, quod totum sit, constitutionem: in quo cùm pars longè nobilior, & quæ alteri dominatur, cælum sit; hinc fieri ut vigor omnis ac virtus à cælo in terram, & ipsos qui versamur in terra mortales, perenni quodam fluxu velut à suo capite in subjecta membra

dimanet. Verùm cùm talis esset cœlestis ille fluxus & efficacitas ut creberrimè sensum fugeret, neque aliter ferè quàm per effecta sua proderet se se tametsi *non deessent ipsis Astrologi sui (iudiciarii) quos velut Interpretes arcanorum cœlestium identidem, quamvis exiguo sanè operæ pretio, consulebant; omninò tamen sibi persuaserunt, in terris quoque nonnulla existere, quæ propriam quamdam, ac præcipuam cum cœlo conjunctionem, & quasi sympathiam haberent; quorum scilicet indicio de futuris rebus & arcanis cœlorum influxibus certiores fieri possent. Sicuti in humano corpore videmus usu venire, ut affectionem capitis pedes, quamvis omnium remotissimi, primi tamen non rarò persentiscant. Hujusmodi ergo sympaticam virtutem, testudini in primis putabant inesse; tum quia hæc vivà quædam (ut aiebant) imago erat cœli ac terræ, cum hanc ipsam terram (quam quadratam esse statuebant) inferiore corporis sui parte, quæ item quadrata est, testudo referat; cœlorum verò convexa dorso suo; nec non variis striis, ac lineamentis, quibus variegatum tergus habet, cœlestes Planetarum domos circulosque depingat; tum etiam quòd existimarent, ex brutis animantibus nullum aliud testudine vivacius reperiri, quippe quæ mille annos eoque amplius, ex ipsorum sententiâ, superaret.*

Herbæ Xi *dictæ ratio planè similis erat: excrescebat hæc (ut ipsi quidem scribunt) ad novem cubitorum magnitudinem, & cæterarum herbarum victrix, arboribus ipsis æquabatur: credebatur etiam mille annis vegeta persistere; hinc mirificum illius pretium, quòd arcanâ cœlestique vi pollere crederetur.*

Usum porrò utriusque rei hujusmodi fuisse narrant, herbam Xi *juxtà, aut etiam suprà* Quéi *seu testudinis dorsum statuebant; mox admovebant ignem; hunc ubi dicta herba conceperat, diligenter observabant quis inde quantusque fulgor, & qui colores promicarent: Rursùm quis motus ac nisus ipsius testudinis: qui item colores in variegato conchæ dorso se manifestarent: & si quidem tales erant, quales exigere præsens anni tempestas, ex. gr. verna, videbatur; benè scilicet ac feliciter ominabantur, sin aliter, mox augurabantur instare siniſtri quidpiam. Non aliter ferè quàm si Medicus Sinensis ex indicio pulsuum brumales inesse humano corpori affectiones æstivo tempore persentiscat, latere virus aliquod, & morbum imminere non dubitanter affirmat: Similiter etiam ut cùm quis insperato corporis motu, vel symptomate corripitur, angi solet ac timere: quod ipsum in hoc quoque textu Philosophus indicavit.*

Ut autem cognoscamus in quem potissimùm finem, quibusve in rebus Prisci dictas observationes adhibuerint, plurimum lucis nobis afferet quod in Xu-kim *lib. 1. fol. 29. commemoratur. Constituerat* Xún *Imperator Imperium per manus tradere clienti suo,* Yu *dicto (fuit hic Familiæ* Hiá *primæ Familiarum Imperialium Fundator ac Princeps) Propter ingentia Viri merita quando is maximas eluviones aquarum per annos plurimos jam stagnantium non minùs industriè quàm feliciter in mare derivavit.*

At

Digitized by Google

At Yu *serò scilicet recusat oblatam dignitatem; alios esse complures, quorum merita multò sint suis majora; horum uni deferri posse Imperium: quem si designare difficile videretur, consuli sortes posse, & verò in re quæ tanti foret momenti omninò debere. Ad hæc* Xún *Imperator:*

Quotiescunque, inquit, nobis offertur dubia res, & explicatu difficilis, sortes utique consulimus: verumtamen priusquàm illæ consulantur, ego quidem rem, de qua deliberandum est, mihi ipsi ob oculos pono, maturè admodùm quid illa commodi, quid incommodi trahat, & horum quid cuique præponderet expendo: Prudentiorum quoque sententias exquiro sollicitus: quibus auditis, tum verò statuo mecum ipse quid facto sit opus: exinde magnam testudinem adhiberi jubeo, & sortes mitti: verùm nunc ego priùs hoc constitui & decrevi, ut in Imperii curâ tu mihi succedas; neque est quisquam omnium quos consului, qui non mirificè probet sententiam meam, & cùm hanc fama jam vulgârit, nonne tu ipse vides quantum populi totius studium, qui plausus existant? Favent igitur procul dubio, favent ipsimet Spiritus sententiæ nostræ; ecquod enim aliud ipsorum votum sit, quàm votum multitudinis totius? cui ergo dubium esse possit quin à sortibus non alia, quàm in qua nos ipsi sumus, sententia sit extitura? Ergò supervacaneum profectò sit illas denuò consulere, quando jam constat, nobiscum vota populi totius, ipsosque adeo spiritus conspirare. Hæc Imperator.

Quæ juxtà sensum Cham *colai exposita, certè non parùm lucis, uti modò dicebam, præbere nobis hîc possunt; fit enim perspicuum, nequaquam sic usos fuisse sortibus, ut illæ, ad res suscipiendas, vel peragendas, primæ ac præcipuæ cujusdam regulæ vim obtinerent: Imò nec illæ tanti unquam fuisse videntur, ut si quid è bono Reipublicæ videretur esse, & recto justoque consentaneum, nequaquam id propter adversantes sortes, augurese've, prætermitterent. Et verò nonne docet hoc ipso loco Philosophus, divinationibus hujuscemodi non opus esse sanctitati, propterea quòd quisquis eâ præditus fuerit, citrà divinationes omnes & occulta perspicere, & de futuris etiam conjicere prudenter possit? Quid? Quod omninò credibile est Augures istos ac Vates, si quidem jam cognoverunt de Principis atque Optimatum sententiâ ac voluntate, plerumque huic obsecundare solitos, atque ad hanc vel invitas pertrahere testudines suas, communi scilicet Astrologorum quorumdam vitio, qui dum horoscopos suorum Principum erigunt, fausta ferè omnia, plurimos vitæ annos, nova opum & Regnorum incrementa credulis vaticinari, an mentiri? solent.*

Noster autem Confucius, *tametsi observationibus istis parùm fidei, vel omninò nihil ipse daret, imò eas contemneret etiam ac damnaret (uti infrà constabit) non potuit tamen non illarum mentionem aliquam facere, tum hîc, tum in libro* Ye-kim: *propterea quod (uti* Cham-kem *pruden-*

ter obſervat) imperante Familia Cheu, *ſub cujus occaſum Philoſophus vivebat, obſervationes iſtæ in uſu eſſent. Uſum porrò toto receptum Imperio, & ab antiquitate ſuâ non mediocriter commendatum, ipſe privatus cùm eſſet, certè quidem Regiæ dignitatis expers, ſi palàm damnare, ſi abrogare inſtitiſſet, operam luſiſſet utique nec aliquod hujus pretium operæ præter invidiam turbati nequidquam Imperii retuliſſet.*

Sed hæc ſufficiant: Atque eò dicta ſint, non ut velimus divinationes iſtas defendere & Priſcos Sinas prorſus purgare; ſed ut Lectori conſtet, nihil hîc fortaſſe quod magnopere damnari poſſit præter ignorantiam, quam & nos utique damnamus inveniri. Nunc inſtitutam Sinici Textûs explanationem proſequamur.

p. 2. §. 1.

VEra ſolidaque perfectio eſt ſuimet ipſius perfectio. Id eſt, ſe ipsâ perficitur: aut per ſe ipſam perfecta eſt, & non per aliquid à ſe diſtinctum: Et regula eſt ſui ipſius regula; ad quam ſic exiguntur, & diriguntur res aliæ, ut ipſa per aliam non dirigatur.

§. 2.

HÆC vera ſolidaque ratio, ſive perfectio, eſt rerum omnium finis & principium. Si deſit rebus hæc vera ſolidaque ratio, ſive perfectio, non erunt res. Pari modo in moralibus actio illa quæ veritate caret, non virtus, ſed umbra virtutis ac ſuperficies quædam cenſenda eſt. Exempli gratiâ, ſi filius ex vero & ſincero animo non obediat, non eſt cenſendus obediens; nec ſubditus fidelis ſi Regi cum fide & veritate non ſerviat: Hac de cauſa ſapiens & probus vir veram hanc ſolidamque perfectionem æſtimat maximi.

§. 3.

VERE perfectus non hoc tantùm agit, ut ſeipſo perficiat ſeſe, & deinde hîc ſiſtit: ſed præterea perficit etiam res alias. Perficere ſeipſum, amoris eſt tendentis primùm in ſui ipſius perfectionem: perficere alia, prudentiæ eſt ſeu providentiæ, & hæ quidem nativæ virtutes ſunt: at verò unà ſimul unire & colligare has duas virtutes applicando eas externis, ſeu rebus aliis & internis, ſeu ſibi ipſi: hoc quidem rectiſſimæ regulæ eſt: eaſdem præterea virtutes ſuis temporibus & circumſtantiis exercere, convenientiæ eſt. Videlicet ut ita perfectiſſimus conſurgat in hoc univerſo rerum concentus, & res omnes finem naturæ ſuæ conſentaneum conſequantur.

f. 23. p. 2. §. 1.

PRoptereà igitur qui ſummè perfectus & ſanctus eſt nunquam conſiſtit ac ceſſat; ſed continenter & abſque interruptione operatur.

Digitized by Google

§. 2.

SI nunquam ceſſat, ergò ejus virtus intrinſecus ſemper perdurat: quod ſi ſemper perdurat, ergò nequit diù latere, ſed per effectus & actiones ſuas ultrò ſe prodat & foris appareat neceſſe eſt.

§. 3.

SI foràs per effectus ſe prodit, ergò latè longèque diffundetur per incrementa virtutum ſuarum: ſi latè ac longè diffunditur, ergò amplè & profundè, adverſante nullo, dilatabitur magis magiſque amplitudine illâ virtutis, & famâ operationum ſuarum: Si tam amplè ac profundè dilatatur, ergò ornatu tantarum virtutum ſublimior omnibus aſſurget, & cunctis clarus ac conſpicuus, univerſoque orbi ſolis inſtar refulgens: adeoque ad fructuoſum rerum omnium concentum ſive harmonicam conſervationem unà cum Cœlo & terrâ conſpiret neceſſe eſt.

§. 2.

ETenim quia per incrementa tot tantarumque virtutum adeò amplus eſt, & illâ amplitudine potentiæ operationum ſuarum adeò profundus eſt, ideò brachio virtutis ſuæ telluris inſtar ſuſtentat res omnes, dum tribuit cuique quod congruit: & quia tam ſublimis eſt tàmque conſpicuus & clarus, ideò operationum ſuarum ſplendore, veluti cœlum, colluſtrat ac protegit res omnes: Quia denique virtus illius adeò ubique latè diffuſa, adeò perdurans eſt, ideò perficit res omnes: quia denique virtus illius adeò perdurans eſt, ideò perficit res omnes. Ex quo conſequitur, ut cuncta perfectè gaudeant conſentaneo naturæ ſuæ ſtatu.

p. 2. §. 1.

OB illam ſuam amplitudinem & profunditatem æquiparatur terræ; ob ſublimitatem verò & claritatem æquiparatur cœlo; cum quibus ternarium perficit principium. Quob verò attinet ad latitudinem ſuàm, durationemque, abſque termino eſt & abſque menſurâ.

§. 2.

HAC ratione talis ac tantus cum ſit non priùs exhibet ſeſe atque oſtentat, ac tum deinde manifeſtus fit; non priùs hortando movet, ac tum deinde converſionem efficit; non priùs utitur quodam virium molimine ad faciendum quidpiam, ac tum deinde perficit, vel ut alii explicant; cùm igitur tanta ſit ejus virtus, tametſi non oſtentet ſeſe, neque ſpectandum offerat; tamen per effectus ſuos manifeſtatur; adeoque in hoc cum occultâ terræ virtute concordat: non movetur; & tamen movet, atque efficit converſiones; ſeu non videtur movere quidpiam cum exteriori quodam ſonitu & clangore, & tamen ſuavi quadam tranquillitate, &

Digitized by Google

absque violentiâ converſiones rerum efficit & animorum; adeóque cum cœlo tacitis motibus & influentiis agente concordat: denique nil fit; & tamen facit: vel, non videtur quidpiam magnopere agere; & tamen ſemper agit, ac perficit omnia.

§. 3.

SUprà docuit *çu-su* ſummè veri & ſancti virtutem unà cum cœlo & terrâ ad omnia pariter conſpirare; hîc verò delabitur ad oſtendendum, illam cœli terræque in effectis producendis efficacitatem ab uno dumtaxat, eoque primo Principio, pendere quemadmodum & viri ſancti perfectio omnis pendet ab unica animi perfectione & ſolidâ cordis veritate. ſic igitur ait: Cœli, terræque ratio, ſeu virtus productiva & conſervativa, quamvis magna, poteſt tamen unico verbo comprehendi & exhauriri. Veritate ſcilicet aut ſoliditate, & hæc quidem in efficiendis rebus non eſt quid duplex; ſed unicum quid & ſimplex; & tamen ejuſdem modus & ratio in procreandis rebus inſcrutabilis eſt.

Ad hujus loci clariorem notitiam, placet hîc attexere verba ipſa, quibus doctiſſimus Interpres Cham, Tum, ço *hunc eundem locum explanat; non quidem ejuſdem prorsùs cum Colao ſententiæ; ſed quæ à veritate tamen nec ipſa aberret. Sic enim ait:* Equidem ſi non habemus perſpectam cœli terræque rationem, quomodo poſſumus perſpectam habere ſummam veritatem? Cœli enim terræque operationes ſunt inexhauſtæ, *ſeu quodammodo infinitæ.* Si tamen ſcrutemur, *&* inſpiciamus *illius qui* horum *(cœli ſcilicet ac terræ)* propriæ originis Dominus *&* Autor *eſt* rationem maximè præciſam maximèque in compendio exhauriri *equidem* poterit *&) comprehendi* unico verbo (*quo verbo* Chí Chîm *ſcilicet, id eſt* ſummi veri, *vel ſummæ veritatis, ut diſertiſſimè ipſemet* Cham *Colaus Interpres explicat* Tò unico verbo) *Cæterum* cœlum & terra (*proſequitur* Cham tum ço) tametſi producant res; ipſa *tamen* reverà etiam ſunt intra *hanc principii* rationem *contenta* una res. *Id eſt, continentur etiam ipſa intra numerum & prædicamentum rerum productarum; hoc enim eſt quod in textu dicitur* Kî Quêi Ve Yè, *hoc eſt* ipſa *etiam* ſunt res. *Verumtamen* unica hæc *primi principii ratio* ſummè pura *ac* ſimplex *eſt*, & nequaquam duo, *ſeu compoſita* ratio; & *in hac tandem* ſiſtitur. Hoc *autem quod diximus* Pú úlh, *id eſt*, nequaquam duo, *nihil aliud* eſt, *ſeu ſignificat, niſi* productivum rerum *omnium* principium *eſſe dumtaxat* unum, & *eſſe* ſpiritum: quia *ſcilicet* naturaliter & *ex propriâ virtute* procreat univerſa: neque ſcimus ille ipſe (*ſcilicet ſpiritus procreans univerſa*) undenam prognatus ſit. Sed quis *hoc* poterit cogitationibus ſuis ſcrutando conjicere? *Hæc ille claſſicus* Confucii *Interpres*, Cham tùm ço *dictus, in caput vigeſimum quintum libri* Chum-yûm *fol. 37. p. 1. in primis ſuis editionibus.*

§. 4.

Digitized by Google

§. 4.

HÆC itaque Cœli & terræ ratio ac virtus, qua possunt tot tamque miros effectus producere, lata item est, & profunda, sublimis & clara longè latèque diffusa, atque perpetua.

§. 5.

HANC cœli & terræ amplitudinem atque vim effectivam quam & in soliditate ac veritate fundat hîc per partes *çu-su* enumerat. Jam si aspicias (inquit) hoc cœlum non aliud videbitur, (si cum tota ejus amplitudine conferatur) quàm hæc lucis & fulgoris tantilla portio, sive quantitas; at verò si mente ascendas ad ejus altitudinem & splendorem quaqua versus se diffundentem, videbitur esse quid interminabile: etenim Sol, Luna, Stellæ, & tot signa cœlestia in eo, velut suspensa continentur; universæ item res ab eo comprehenduntur ac teguntur. Jam si spectes hanc quam pedibus calcas terram, collata hæc cum totius corporis mole, videbitur unius dumtaxat pugilli terrei quantitas; at si mente percurreris illius amplitudinem & profunditatem, sustentat illa maximos montes, & inter quinque celeberrimos Sinarum (*U Yo* vocant) montem *Hóa-yo* præcipuum; & tamen tantæ molis pondere non gravatur; sinu etiam suo complectitur flumina & maria, & tamen iis non à terra constrictis inundatur; denique est ea omnium rerum sublunarium firmissimum sustentaculum. Jam si hunc conspicis montem, quid obsecro (si cum rebus quas continet, quæque oculos latent, conferatur) videbitur, nisi quodammodo unius frusti lapidei tantillum, vel quantulum pugno comprehendi potest: at si studiosius eum contemplatus devenias ad ejus latitudinem, magnitudinemque videbis illico mille plantas & arbores ibidem nasci ac germinare, mille volucres & feras ibi commorari, metalla item & lapides pretiosos in ejus visceribus latentes in lucem prodire. Jam si oculos convertas ad harum aquarum congeriem, quid sanè (si conferatur cum toto quaquà patet Oceano) nisi unius cochlearis tantilla portio, seu modicum quid tibi videbitur? at si mentis oculis descenderis ad illarum inexhaustam abyssum, comperies profecto grandia cete, crocodilos, serpentes cornigeros, dracones, squammiferos sine numero pisces, & ingentes testudines in iis procreari; innumeras denique opes & divitias ex iis enasci atque emergere. Hujus loci sententia eadem est quæ suprà fol. 7. p. 2. §. 1. Hæc enim quatuor cœlum, terra, montes & mare, si in aliquâ parte exiguâ spectentur, non magna sunt, sed si ad eorum summum perveniatur immensum quid videtur, ita virtus viri divini etsi adeò exilis ac subtilis sit in tantam excrescit magnitudinem ut cum his conferri possit & eam dimetiri non possimus.

Digitized by Google

f. 24. p. 1.

CONcludit *çu-su* citans Odarum librum, ubi sic dicitur: Solius cœli virtus proh quàm altè recondita, quam perpetua & excellens est! sine interruptione agit, ac nunquam cessat. Quasi diceret (inquit *çu-su*) quia cœlum adeò solidè perfectèque, & tam constanter semper agit, ideò scilicet est cælum: nam si vel unum temporis momentum interrumperetur influxus, quatuor tempora jam non decurrerent æquali cursu, neque res producerentur; adeóque nec esset cœlum dicendum. Quomodo (prosequitur Oda comparans cœlo Regis *Vên-vâm* solidam ac defæcatam virtutem) quomodo non ubique manifesta est *Vên* Regis virtutum puritas & sinceritas? Quasi diceret (addit *çu-su*) *Vên* Rex ideò videlicet fuit *Vên*, id est talis ac tantus heros, quia virtus in eo fuit pura & sincera & per consequens nunquam defecit, aut interrupta est adeoque cum cælo meritò comparanda.

p. 2. §. 1.

OQUAM magna & latè patens sancti viri lex & virtus, quam ille numeris omnibus explet.

§. 2.

OQUAM in immensum diffusa, Oceani instar exundans, & omnibus rebus sese insinuans concurrit ad productionem, & conservationem omnium rerum. Adeoque suâ celsitudine ac sublimitate pertingit etiam ad ipsum cœlum.

§. 3.

ET hujus quidem legis amplitudo & superabundantia ô quàm magna, ô quàm sublimis! Rituum majorum, & Officiorum civilium trecenta capita; & rituum minorum Officiorumque ter mille capita complectitur eoque ampliùs: omnia inquam magna & parva Imperii statuta ubique comprehendit.

f. 25. p. 1. §. 1.

IDcircò cùm ejusmodi virtus sit adeo sublimis & obtentu difficilis, expectandum est quoad veniat ejusmodi summè sanctus vir; & tum demum sperari poterit, ut adeo excellens virtus illo Duce ac Magistro in actum prodeat, atque ab hominibus opere perficiatur.

Quis ille sit, de quo Philosophus hîc loquitur, alii (si placet) statuant: ego quidem sicut asseverare non ausim, quòd hæc profatus sit impulsu Spiritûs illius, quo movente Sibillæ quondam de Christo vaticinatæ sunt; ita & negare sic profatum esse haud quaquam sanè velim. Certè constans inter Sinas fama est, Confucium *identidem dicere solitum* Si Fam Yeù Xím Gîn. *Hoc est in Occidente est (vel erit) Sanctus. Sinis autem Judæa Occidentalis est.*

Digitized by Google

§. 2.

IDEO dici solet, nisi maxima sit virtus ac sanctitas, summa quoque lex & ratio nequaquam coalescet, hoc est, summæ legis observatio nequaquam erit omnibus numeris absoluta.

§. 3.

HINC igitur virtutis studiosus in primis suspicit ac summopere colit, & conservare studet virtutem rationalem, seu lumen naturale quod à cœlo accepit; adeoque ad rectæ rationis regulam omnia accuratè examinans, seseque instituens, perducit virtutem nativam extenditque ad suam latitudinem & magnitudinem, quæ nullo deinde privati amoris vel cupiditatis vitio contrahatur; exhaurit item ac perspicit etiam subtilissima, & minutissima quæque tam perspicuè discernens singula, ut ne latum quidem unguem à verò aberret. Præterea perficit & ad apicem perducit nativam ejusdem mentis suæ virtutem ad quamdam sublimitatem & claritatem; & quidem agendo omnia juxtà regulam medii sempiterni recolit vetera, & studet scire nova. Denique stabilit & assiduè corroborat ante parta, ut augeat ac perficiat quod fas & æquum est. (Vel, ut alii explicant: virtutis studiosus colit virtutum fundamentum, quod est natura ipsa rationalis & lumen rectæ rationis; & inde progrediens, seseque instituens, juxtà illius dictamina procedere nititur: severo examine studioque utens addiscit semper, nihil unquam de hoc ardore studioque proficiendi remittens; atque ita tandem assurgit ac pervenit ad cordis amplitudinem quamdam, ita ut exhauriat etiam minutiora quæque & subtiliora: pertingit item ad sublimem quamdam claritatem & perspicacitatem mentis, & hac duce cuncta agit juxtà rectæ rationis regulam, securè incedens per regiam illam medii consentanei viam. Assuetus autem, & impensè gaudens hujusmodi studiis recolit vetera quæ didicit, & alia atque alia identidem studet scire de novo; parta conservat, & assiduè accumulat nova, ut iteratis actibus corroboret sibi quod fas & æquum est; ac insuper augeat sibi perfectam juris, & rituum civilium, ac virtutum quæ iis continentur, scientiam & praxim, atque ita summa illa à cœlo lex & ratio non poterit cum hujusmodi viri virtute non conformari & in unum coalescere.

p. 2. §. 1.

CUM igitur hujusmodi vir sapiens in hoc totus sit, ut virtutem quam in se excolit reducat ad eam cœli rationem; fit, ut quovis loco, tempore, ac statu nihil agat quod rationi non sit consentaneum. Atque hæc etiam est causa, cur vir perfectus, seu sapiens consistens in superiori loco ac dignitate non superbiat nec insolescat: consistens in inferiori loco & gradu non sit refractarius ac rebellis nec violet leges & jura passim recepta, aut nova quæ-

Digitized by Google

dam moliendo, aut ea que non ſunt in uſu & antiquata pertinaciùs tuendo. Quod ſi in Regno vigeant virtus & leges, ejus ſermo ſufficit, ut evehatur ad dignitatem, vel ipſe (quamvis hanc nequaquam ambiat) vel alius quem ipſe proponet. Si Regnum ſine virtute ac legibus ſit, ejus prudens ſilentium, & privatim cautè ſibi uni vacantis aſſidua vigilantia & taciturnitas ſufficit, ut partium neutram offendens imperturbatus ſibi vacans relinquatur, & evitet pericula ac calamitates, quibus probi quoque ſunt obnoxii in Regno perturbato. Exemplum ex Odarum libro adfert de quodam eximiæ ſapientiæ optimate *Chûm Xam Fù* dicto, de quo oda ait: Quia rectè intelligens erat, ac rerum eventuumque prudens indagator, idcirco potuit illæſam conſervare ſuam perſonam. Hoc illud eſt quod hîc ſuprà diximus addit *çu-su* (vel, ut alii explicant: Hic Odæ ſenſus idem ipſe eſt quem nos dicebamus) videlicet, virum ſolidè perfectum omni loco & ſtatu ſui ſemper ſimilem eſſe.

§. 2.

HIC *çu-su* paululùm digreſſus invehitur contrà eos, qui cùm ſint homines privati, aut violant ritus, & leges jam receptas, aut temerè moliuntur novas inſtituere. In hanc rem citat *Confucium*, qui ſic ait: Si quamvis rudis & exiguæ virtutis vir, tamen velit ſuo unius judicio uti, eoque niti, quaſi valeat magno rerum uſu magnâque vi intelligendi: Si item è vili plebe ſit quiſpiam, & tamen velit pro libitu ſibi arrogare quæ non ſunt ſui juris & fori: Rursùs ſi natus ſit in præſenti ſæculo, & ſub hujus ſæculi legibus, & tamen è contrario convertens ſe ad priſca, mordicùs tueri velit ac ſequi Priſcorum jam antiquatas leges: Si ſit qui talia agat, ego ſanè affirmo fore ut non paucæ calamitates obveniant ipſius perſonæ.

§. 3.

SI non fuerit cœli filius, ſeu Imperator, qui cum virtute conjunctam habeat auctoritatem, nemo alius (inquit *çu-su*) inſtituat ritus & urbanitatis officia; nec inducat novos curiæ uſus, aut pro libitu ſuo mutet ea quæ ad Regiæ domûs ſupellectilem, ac reliquum aulæ apparatum pertinent; nec item auſit ſuo unius arbitratu mutare quidquam rei litterariæ, aut reformare veterum librorum monumenta. Ne ſcilicet Imperii pax, quæ ſtabilitur & conſervatur per uniformem uſum rituum, litterarum, & conſuetudinum, & ea quæ per hæc fovetur concordia novitatibus ejuſmodi perturbetur; atque ita Imperium periclitetur.

Eſt prorſus admiratione dignum quod in hoc Sinarum Imperio, quod unum ſi non magnitudine ſuâ certè hominum frequentiâ univerſam Europam longè ſuperat, tanta ſit tamen, & ab omni retrò memoriâ ſemper fuerit in rebus omnibus uniformitas tam conſtanter & exactè obſervata; ut non ſolum linguæ, rituumque civilium, qui ad forum, conjugia, & diſciplinas

ciplinas ſcholaſticas ſpectant; item ſacrificiorum, veſtiumque una eademque pro cujuſque gradu ſit ratio; ſed Urbium quoque, Palatiorum, & Domorum par omninò forma; ſic ut qui unam Urbem viderit, omnes hujus Imperii Urbes vidiſſe cenſeri poſſit: Quin eò tandem proceſſit Priſcorum Regum cura & uniformitatis ſtudium, ut per idem ferè anni tempus placuerit toto Imperio nuptias celebrari; per eoſdem ferè dies duci funera & juſta defunctis fieri; atque in eum finem adeo conſtans ab omni ævo Kalendarii uſus, rerumque per anni dies peragendarum diſtributio quædam inſtituta, & quotannis toto Imperio promulgata: Quamquam hanc temporum ad res ejuſmodi peragendas obſervationem poſterioris ætatis ſuperſtitio non parùm vitiavit, atque ad fines longè alios, quàm quos Priſci illi legum conditores ſpectabant perniciosè detorſerit. Nimirum poſtquam idololatria tantam varietatem ſectarum, atque opinionum, adeoque & rituum, aliarumque rerum, invexit, deceſſit in iſto quidem genere non parùm de laudabili illa Sinarum inter ſe mutuò conformitate: Quæ quidem dum olim viguit, puto, Chinam hanc, non Imperii, non Provinciæ, non Urbis, ſed unius Familiæ ſub ſuo Patre-familias ſpeciem quamdam præbuiſſe: Etenim & literæ, & ſigilla, & tituli, pilei quoque, veſtes, Ædes ac Palatia & inſignia; ritus item dum ſacris operabantur, fercula dum conviviis vacabant, chori ſaltantium, canentiumque pro majori vel minori cujuſque gradu ac dignitate, nomen ſuum, & ordinem, & majeſtatem ſortiebantur. Tanta porrò vigebat olim obſervantia proportionatæ hujus uniformitatis, ut ſi quem præſcriptos rituum morumque limites exceſſiſſet, non is arrogantiæ ſolùm, ſed ambitûs quoque non raro damnaretur; etſi fortè quæ unius propria ſunt Regis temerè uſurparet, in rebellionis quoque ſuſpicionem & crimen vocaretur. Hinc Priſca lex illa in libro 3. Officiorum fol. 29. ſic habet: quiſquis fecerit turpes cantiones, aut peregrinas veſtes, aut exercuerit inuſitatas artes, aut inuſitata inſtrumenta confecerit, ut ita perturbet decipiatque populum, occidatur.

f. 26. p. 1. §. 1.

MOderni hujus, ſub quo degimus, Imperii *Cheu* currus (inquit *çù su*) eoſdem deſcribunt ſulcos, quos olim deſcribebant, quandoquidem ſimilibus conſtet rotis: Libri autem eandem ſervant methodum & ductus literarum qui olim in uſu erant: Morum quoque atque officiorum eadem quæ olim ratio eſt. Idem enim mos eſt majores inter & minores, ſummos inter & imos, & amicos inter. Quo pacto igitur rudis quiſpiam & privatus auſit non ſequi hodiernos hos majoris momenti ritus & leges hujus Imperii, cùm hîc & nunc vigeant, & à priſca illâ integritate parùm diſcedant?

§. 2.

TAmetſi quiſpiam (inquit *çù-su*) habeat eorum (Priſcorum ſcilicet Regum) dignitatem, ſi tamen careat eorumdem virtute, ne is tantum ſibi tribuat, ut audeat inſtituere novos ritus, &

novam muſicam; quia virtus eſt condendarum piarum legum fundamentum : Tametſi etiam quiſpiam habeat regias illorum virtutes, ſi tamen careat regiâ eorum dignitate, item nec is arroganter auſit inſtituere ritus & muſicam : hoc enim ſpectat dumtaxat ad eum qui unà Sanctus ſit & Imperator.

Hîc obſerva quod Priſci binis literis Lì Yo *concentum quemdam concordiamque rituum & muſicæ ſignificari voluerunt: nec rituum tantum, ſed etiam officiorum quæ ſolent homines inter ſe mutuo paſſim exercere. Et verò ineſt literæ* Lì *utraque vis hæc & ſignificatio : Etenim cum probè intelligerent ipſi, ritus omnes atque officia ſi non à verâ animi ſententiâ verâque virtute, ceu nativâ radice procederent, inutile quid, evanidum & fucatum eſſe, & haud quaquam poſſe diu vigere atque perſiſtere; omni ſtudio atque induſtriâ hoc ſcilicet agebant, ut illi ritus & officia ſuo quæque virtutum ſucco imbuta magis ac magis in Imperio quotidie florerent : ſed cùm hîc rurſus animadverterent, abhorrere quodammodo à virtute naturam noſtram vitiatam; in vitia verò & illicitas voluptates ultrò ferri; quò illam cupidiùs arriperent homines, præſertim Regiæ ſtirpis juventus, & ii quorum tenerior ætas nullis dum vitiis depravata erat, muſicam adhibuerunt, ac pulcherrima quæque virtutum documenta ſuavitate muſices imbuta candidæ juventutis animis inſtillare ſunt aggreſſi.*

Ad ritus autem, quos comitabatur, vel animabat potiùs dicta jam muſica, ſpectabat in primis cultus ille qui cælo deferebatur, ſupremo inquam cœli terræque ſpiritui, utpote qui & procreator ſit viventium omnium; & principium: hinc in lib. Ye Kim *diſerte dicitur avitos Reges inſtituiſſe muſicam ut eam ſolenni ritu offerrent ſupremo cœli Imperatori. Spectabat item cultus, quo proſequebantur majores jam defunctos tanquam ſuos progenitores; ad extremum is quem deferebant Regibus, & populi totius Magiſtris, ut iis quibus à cœlo demandata ſit cura populi rectè inſtituendi, & à quibus Regnorum felix adminiſtratio proximè ſolet dependere.*

Officia verò potiſſimùm erant illa, quæ humanæ ſocietatis maximè ſunt propria, & ſpectant ad quinque ordines qui ſunt Regem inter & ſubditos; Parentes inter & filios; inter fratres majores natu & minores; inter maritum & uxorem, ad extremum familiares inter ſeu amicos : quibus addi quoque poteſt diſcrimen & ordo, qui ob diſparem conditionem plebeios inter & nobiles obſervari ſolet. Et hi quidem ritus & officia vinculorum planè ſunt inſtar & nexuum, qui alia atque alia corporis ejuſdem membra, tum inter ſe, tum ipſo cum capite perquàm aptè vinciunt uniuntque : unde protinus exiſtit mutuus omnium inter ſe & honor & benevolentia, adeoque totius Imperii perennis quædam pax atque felicitas, & politici corporis admirabilis omnino firmitas, decor & venuſtas.

Confucius *itaque ritus iſtos & officia lumen eſſe dicebat Imperii, at-*

que ubi illa desiderarentur cæca esse confusaque omnia.

Quoniam verò quæ in hoc genere servari volebant atque exerceri, non fictè, sed ex animo, quemadmodum dicebamus, & ex verâ virtute fieri volebant atque observari, & harmonia quadam politica & morali externis interna respondere; cumque numeris ferè musicis ederetur in vulgus hæc ipsa doctrina, hinc Li Yo, *id est sua ritibus sociari musica dicebatur; & esse sua sinceri cordis, à quo ritus & officia procedebant, cum ipsis quæ foris se prodebant ritibus officiisque concordia.*

Priscorum igitur musicam instituentium cura omnis & studium, non ad privatam Principum oblectationem referebatur (uti antiquus Author Tai Su Cum *pluribus refert) sed vel maximè ad juventutis ac populi totius rectam institutionem; eratque tum aliarum virtutum, tum in primis concordiæ subditorum inter se suoque cum Principe suavis & domestica magistra. Quò illa verò plus authoritatis obtineret ac fidei non ab aliis quàm ab ipsis Imperatoribus institui poterat ac vulgari: sed inter hos quoque non cuicunque Principum fas erat rem tantam suscipere, sed iis dumtaxat qui eximiam planè virtutem cum Imperatoriâ dignitate conjunxissent. Et illa quidem quanto mox in pretio haberetur hinc potest intelligi, quod ad spectatæ virtutis Regulos deinde missa magni cujusdam muneris instar obtineret. Is autem, cui componendæ musices, & in lucem usumque publicum edendæ, necnon statis temporibus coram Principe & Optimatibus Imperii decantandæ cura demandabatur (*Ta Su Yo, *sive magnum Magistrum Musices vulgo nominabant) haud quaquam humilis aut mediocris etiam conditionis Vir erat ad Mandarinos superioris ordinis, & quidem vitæ integræ sapientiæque non vulgaris viros cura ista pertinebat.*

Usum verò musices, uti perpetuus (hinc fuit, sic & esse antiquissimum vel ex eo potest intelligi, quod Fo Hi, *primus gentis Sinicæ conditor, primus quoque fuerit musices Magister, & alter planè Orpheus gentis suæ: quippe qui rudes & agrestes homines voce fidibusque pertraxit è sylvis suis ac montibus; & suavitate cantûs illectos paulatim ad humanitatem, ac civilem vitæ societatem perduxit & promiscuam vagamque libidinem conjugiorum vinculo constrinxit. Itaque musica ipsius* Fû Laî *est dicta, propterea quod invitatrix fuisset hominum, ut ad eum sponte accederent qui tam præclarè ipsis opitularetur; sed & ipsa Sinarum lingua 320. circiter vocibus monosyllabis constans, quid aliud videri potest quam perpetua quædam tot accentuum in singulis vocibus harmonica varietate concinnata musica? sed & aliis populi Principibus suum singulis musica studium suus amor fuit: Extant enim propria musicæ nomina, quæ ab Auctoribus suis Imperatorum celeberrimis unaquæque sortita fuit; & omnis quidem Sinensium ingeniis accommodata lenis est ac placida, mutuæ pacis & concordiæ blanda conciliatrix, si penultimam tamen excipias, quæ ut Auctorem habuit* Vu Vâm *tertiæ Familiæ conditorem & bellicosum, tota sui Auctoris plena est, Martemque & arma spirat; sed hanc quoque ob causam pacifico lite-*

rarum ordini, ipſique adeo Confucio *non uſquequaque accepta.*

§. 3.

Confucius ſolebat dicere: Ego quidem ſemper amo & cum voluptate refero Priſcæ Familiæ Imperialis *Hiá* ritus; attamen exigui Regni *Kí* (hoc ſpectabat ad Imperium Familiæ *Hiá*) poſteri quia à Majoribus degenerarunt, non ſunt horum ſufficiens teſtimonium, ſeu non ſufficiunt, ut eos, tanquam legitimos teſtes integritatis dictorum rituum ac legum, ſic aliis poſſim proponere ut fidem obtineant: adeoque quomodo eas ego unus ſequi poſſum? Ego item examinavi & didici Familiæ Imperialis *Yn* ſeu *Xam* ritus & leges; & quamvis ſint etiam nunc in modico Regno *Sum* (hoc ſpectabat ad Imperium Familiæ *Yn*) poſteri, apud quos quædam extant monumenta, quibus iſtæ leges continentur; quia tamen ſunt multa quæ antiquata jam ſunt atque obſoleta, nec deſunt moderni Imperii pia ſtatuta, & Priſcis æmula; ego cur illa potiùs, quam hæc ſequar? Ego denique accuratè ſtudui præſentis Familiæ Imperatoriæ *Cheu* ritibus ac legibus cognoſcendis, quæ cum ſint rationi & tempori accommodatæ, iiſque nunc paſſim omnes utantur, tametſi in quibuſdam fortè differant à Priſcis ritibus Familiarum *Hiá* & *Yn*, ego quidem ſequar hos Familiæ *Cheu* modò imperantis ritus.

p. 2. §. 1.

SI is qui obtinet & adminiſtrat Imperium (inquit *çu su*) illa tria magni ducat momenti; illius Imperii homines ac ſubditi pauca peccabunt ſeu raro delinquent adeoque facilis & pacifica Imperii gubernatio conſequetur. Hæc tria, ſuprà f. 25. p. 2. §. 3. commemorata, ſpectant ad *ritus civiles*, ad *Aulæ regimen*, & ad *examen librorum ac rem litterariam*: nam illa morum ac rituum per totum Regnum uniformitas, & par agendi norma in omnibus, plurimùm confert ad mutuam inter ſe & cum ipſo capite concordiam, quæ eſt Imperii ſtabile fundamentum.

§. 2.

SUperiorum temporum Reges, quamvis probè ſtatuerint leges, hæ tamen quia aut diuturnitate temporum, aut librorum corruptelâ, aut ſapientum defectu, velut evanuerunt; vel certè ſi nondum interierint, quia tamen moderni Reges, qui eas proponunt populo ſervandas, ipſimet carent propriâ Regum virtute, fit ut careant etiam ſufficienti teſtimonio apud populum; cum autem illis deſit ſufficiens hoc teſtimonium non datur fides, eos porrò quibus non datur fides, populus non ſequitur. Viri autem ſancti in inferiori loco ſeu privato conſtituti quamvis probè intelligant ac colant urbanitatis officia & ſint dignâ Imperio virtute præditi, ſi eadem Priſcorum pia inſtituta populo ſervanda proponant, tamen quia carent regiâ dignitate fit ut nec ipſi valeant debitâ authoritate apud populum

populum; cùm igitur desit debita authoritas ac dignitas, his à populo non datur fides; si non datur fides, item populus non approbat nec sequitur eorum nova statuta aut consuetudines: adeoque ejus dumtaxat, qui idem & Sanctus sit & Imperator, ritus & exemplum populus sequetur.

§. 3.

IDEO perfecti Regis recta gubernandi ratio radicitùs fundatur in sua ipsius persona, quâ testatam facit virtutem suam universo populo: explorat exigitque regimen suum ad normam trium Priscorum Regum (scilicet *Tù*, *Tam* & *Vêm Vu*) & non aberrat: confert & combinat res à se gestas cum cœli terræque lege, & huic illæ non adversantur: testatam facit adeo ipsis spiritibus quantumvis reconditis virtutem suam, & nihil hæsitat, nullaque in re dubitat. Imo etiamsi post centum sæcula expectatus Sanctus advenerit, non ambigit quin eadem virtus eidem testata sit futura. Hic solum significare vult divini Regis ritus ac leges adeò esse rationi consonas ut nulli rationi cælesti vel divinæ adversentur ac nulli sint in posterum mutationi obnoxiæ. Etenim si Rex examinet reducatque ad praxim omnia trium Regum pia statuta, jam non errabit: Si item erigat instituatque leges juxta illam cœli ac terræ ordinatissimam Regulam, sane jam nihil aget contra dictamen naturæ rationalis: Denique si ita omnia agat, ut suæ integritatis testimonium vel ab ipsismet cœli Spiritibus eamdem cœlo terrâque legem servantibus accipere queat, jam nequaquam dubius aut anxius erit; certum namque est quod quidquid ita egerit vel statuerit rectum erit: Etsi contingat ut per centum & ampliùs sæcula expectetur ac deliberetur ille Sanctus, tamen, si modo dicto Rex agat, nullatenus dubio pede sed constanter perget in cœptâ viâ; nam quocunque tempore adveniat ille Sanctus, profecto non eum arguet erroris, quippe illam secutus est legem ac normam, quam ipsemet Sanctus haud dubiè approbaturus sit.

f. 27. p. 1. §. 1.

QUOD Rex virtutem suam testatam fore spiritibus non dubitet; hoc inde quidem provenit, quia ipse novit cœlum. Quod post centum etiam sæcula expectato Sancto eamdem testatam fore non ambigat; in causa est, quia ipse novit hominem, seu quod hominis est proprium, adeò videlicet rectè ageret ut integritatis suæ testimonium vel ab ipsismet cæli & terræ Spiritibus (aut ab ipsomet cæli terræque supremo Spiritu) accipere valeret; adeoque sic dirigeret omnes suas actiones juxta spirituum perfectissimè in omnibus operantium regulam, ut ne dubitaret quidem an rectè ageret necne; hoc autem est perspectum habere cœlum, seu cœli rationem quam dicti spiritus omnibus numeris explent: Rursus ita rectè in

omnibus procederet, ut quamvis contingat per centum & amplius sæcula expectatum advenire Sanctum, tamen sine ulla hæsitatione eodem tenore nunc agar, quo Sanctus ipse ageret, hoc sanè est perspectum habere hominem, seu hominis rectam legem, quam Sanctus ille, si existeret, omnibus numeris expleret.

§. 2.

HAC de causa perfectus Rex dum quidpiam aggreditur ac movet, jam hoc ipso omnibus post sæculis esse potest orbis terrarum norma & exemplar, ex quo posteri dirigantur: Si quid agit, jam hoc ipsum omnibus item sæculis esse potest orbis lex: Si quid loquitur, jam id eo ipso omnibus sæculis esse potest orbis instructio & regula; atque adeo populi, quamvis procul absentes, virtutum ejus famâ excitati, jam ad ipsum anhelant & suspensi expectant expetuntque sibi talem Principem; præsentem vero sic amant, sic eo gaudent ac fruuntur, ut nullum deinde tam chari Principis & tam piæ gubernationis vel tædium, vel etiam satietas eos capiat

§. 3.

ATque hoc est quod in libro Odarum dicitur: Si Rex ejusmodi existat illic, non est qui illum aversetur; si existat hîc, non est cui sit tædio; adeoque ubicunque tandem degat, & quocunque tempore, quasi diu noctuque, & in perpetuum deprædicabitur. Rex adeo perfectus (addit *çu-su*) nullus dum fuit qui non hoc modo, & quam citissimè obtinuerit illustre nomen ac famam omnium laudibus celebratam per orbem universum.

P. 2. §. 1.

Cu-Su hîc in laudem *Confucii* Avi sui simul & Magistri plus æquo excurrens, & commemorans, qua ratione moderatus sit actiones suas, vitamque instituerit sic ait: *Confucius* (quem honoris gratiâ *Chumbi* nominat) eminus, seu, quod ad Priscorum Regum tempora attinebat, honorificè commemorabat identidem Regum *Yao* & *Xun* eximias virtutes & rectam gubernandi normam; cominùs autem, seu, quod attinebat ad præsentem temporum suorum statum, sequebatur ac imitabatur ipse Reges *Vên Vâm* & *Vù-Vâm* fundatores Familiæ *Cheu*, cujus extremis ferè temporibus vivebat: Suprà, id est, si nos jam de cœlo agamus imitabatur ipse tanquam normam sibi propositam cœli tempora; hoc est, imitabatur admirabiles illas cœli vicissitudines ac motus, temporumque concordem discordiam, unde sublunarium rerum tanta vis atque varietas existit, & perpetuâ quadam serie vel nascentium vel intereuntium æquabilis & imperturbatus ordo: huic quippe ordinis in se exprimens imaginem *Confucius*, sui ipse semper similis, nec tamen idem omnibus, non cessabat alia aliis, prout exigebat cujusque conditio, sapienter ac piè impertiri. Infrà, id est, si nunc quoque terram contemplemur,

Digitized by Google

conformabat se aquæ & terræ; quippe sicut hæc, cum unica sit moles, temperie tamen, & rerum quas gignit varietate multiplex est ac diversa, Boreales aspero gelu ac nive durans, Australes verò miti calore fovens, Orienti pandens maria, Occidentem verò nemorosis ditans montibus & vallibus fœcundans; sic etiam Magister noster cùm versaretur in Regnis *Lù*, *Súm*, *çî*, *çù* olim dictis, mores ac ritus cujusque Regni solerter odoratus, omnes studiosè observabat, & admirabili quadam dexteritate maximè contraria pugnantiaque hominum ingenia tractare sic noverat, ut tamen semper sui similis idemque, sine intermissione bene quidem de omnibus, sed de Rep. optimè mereretur.

§. 2.

HIC *çu-su* prosequitur laudes *Confucii* non sine hyperbole fuit (inquit) similis cælo &, terræ & hæc quidem prout nihil non continet ac sustentat; illud verò prout nihil non complexu suo tegit & ambit: similis fuit item quatuor temporibus successivè & ordine æquato procedentibus, similis fuit Soli & Lunæ alternis vicibus successivè illuminantibus omnia: Ita etenim & vir Sanctus nihil non complectitur ac fovet largo sinu suæ pietatis, & cives & alienigenas constringit amplæ charitatis suæ brachiis; nihil non fortitudine suâ prudentiâque sustentat; & denique splendore sapientiæ suæ ad omnes atque omnia nullo non loco & tempore pertingit.

§. 3.

QUÆ à cælo foventur ac teguntur, & à terrâ sustentantur universæ res, unà omnes procreantur, & tamen non sibi mutuò nocent aut impedimento sunt: Successivi Astrorum motus, quibus constituuntur ac dividuntur anni tempestates, Sol inquam & Luna Principes Astrorum & Magistri temporum æquabiliter, ut videmus, in orbes suos successivè procedunt ac circumaguntur assiduè, & diei noctisque discrimen efficiunt, & tamen non sunt sibi mutuò contraria. Causa igitur, ob quam in tanta tot rerum vicissitudine ac varietate, nulla sit tamen perturbatio & pugna, hæc est, quod in rem quamlibet à cælo veluti derivata sit tenuis quædam ac limitata virtus pro suâ cujusque rei exigentiâ; quæ vis ac virtus, fluenti instar assiduè emanantis perenni alveo rigat universa. Quod autem in hoc universo res tam diversæ simul procreentur, & tam uniformiter agant, nec sese mutuo impediant, hoc demùm tribui debet magnæ & illimitatæ cuidam virtuti, quæ velut omnium fons & radix pro cujuslibet rei facultate & exigentiâ tam longè latèque omnibus se indesinenter communicat; & ita efficit ac corroborat rerum procreationes, ut nihil unquam desideretur. Patet igitur cœlum & terram ideo esse tantæ magnitudinis.

Interpres noster hic vim textui inferre videtur, dum visibili huic cælo

virtutem tribuit illimitatam. Attamen Interpres alius Cham Tùm ço *dictus, hunc eumdem locum explanans, & nullam vim textui inferens sic ait:* Illæ cælum terram*que* inter, *seu* volatilia, *seu* natatilia, *seu* quadrupedia, *seu* germinantia, omnia magno numero procreantur; & ubi procreata jam fuerint, *alia* evadunt magna, *alia* evadunt parva, quælibet *juxta* veram naturam *suam*, nec *se* mutuo impediunt. *Sic* quàtuor *anni* tempestatum, Solis *item ac* Lunæ periodi singulæ *stato* gyro *perpetuò* circumaguntur; & frigus *ac* æstas, dies *item ac* nox *tam ordinatè procedunt, ut* abeunte uno alterum *identidem* succedat, nec *sibi* mutuo adversentur. Jam verò quandoquidem *ita* singula conservantur, *ut se mutuo* non destruant singula; *ita* operantur moventurque *ut sibi invicem* non adversentur; *hæc utique* omnia inferioris *cujusdam* virtutis participata *quædam sunt* ratio, *& velut* inferioris ac subordinati *cujusdam* dominii portio. Igitur omnes res perenni quodam fluxu *& serie* se manifestant: quatuor anni tempora perenni cursu incedunt non secus ac *minora* fluenta *è majori alveo* emanant *& pluribus ceu* brachiis derivata riviscque divisa *perpetuo fluunt*, & nunquam exhausta deficiunt. Sed utique inter hæc sit *alicujus* Domini *ac* Gubernatoris maxima *& suprema quædam* virtus *necesse est; qua* gubernet in illo priori, *quo* nulla dum res, nulla dum *rerum* ratio *extitit*; ut *scilicet* regat ordinetque rerum omnium origines, moderetur ac velut manu teneat motuum *cursuumque omnium* axem seu cardinem; componat *item* discordiarum *in tanta rerum diversitate* principia; *& denique* dissolvat seu reseeet corruptionum *quarumcunque* enascentia germina. *Atque ita* consummatâ completâque hac conversionum origine *in suprema illa virtute, seu causâ primâ*, tum deinde minor *illa seu subordinata causarum secundarum* virtus nunquam exhaurietur. *Atque* hoc *scilicet* est propter quod cælum *ac* terra *adeo* evadant magna, omninò *inquam est*, propter hanc *quam* suprema virtus exercet gubernationem ac imperium, &c. *Ita* Cham tûm ço *modò citatus, fol. 46. pag. 2. in primis suis editionibus.*

f. 28. p. 1. §. 1.

HIC, & seq. *çu-su* iterum iterumque commemorat, & commendat summè Sancti virtutes. Solùm (inquit) in orbe universo summè Sanctus & perfectus est qui queat omnia percipère & clarè intelligere, penetrare ac comprehendere; adeoque sufficiens est, ut ex culmine suæ virtutis descendat ad gubernandum hæc inferiora omnia. Si virtutes contemplemur, ejus animi magnitudo & amplissima liberalitas, affabilitas, benignitas ac mansuetudo sufficiunt ad habendam capacitatem quæ admittat & paterno sinu foveat ac complectatur universos: ejus activitas, celsitudo, robur, & invicta constantia in tuendâ justitiâ sufficiunt ut omnia manu teneat conservetque: ejus item pura illa simplicitas, seriusque animi candor, prudens

dens item moderatio & mentis æquabilitas; ejus denique rectitudo & integritas à quavis vel minimâ pravitate aliena, sufficiunt ut apud omnes obtineat honorem & venerationem. Ingentia illa decora & ornamenta, atque horum mirabilis quædam temperies & concordia quæ res moderatur in pondere & mensurâ; ad hæc minimarum etiam rerum exacta investigatio & dilucida discussio ad subtilissima quæque & recondita sese extendens, sufficiunt, ut rectè distinguens inter bonum & malum, habeat quod sine periculo erroris omnia discernat atque dijudicet.

§. 2.

TAnto igitur virtutum comitatu, tantisque ornamentis ac præsidiis instructus, amplus admodùm est atque diffusus, placidus & profundus, atque rerum omnium fons & origo quædam: adeoque suis temporibus, cùm scilicet ratio & bonum universi id postulat, sese prodit exeritque; alioqui suâ se involvens virtute, seque uno contentus sibique sufficiens, placidissimæ quietis otio perfruitur.

p. 2. §. 1.

AMplus, inquam, est atque diffusus veluti cœlum ipsum; & idem placidus ac profundus est, tamque secretus ab oculis nostris veluti aquarum abyssus: Quod si tantâ sanctitate præditus ob commune emolumentum quandoque foras se prodat, jam ex universo populo nullus erit qui non eum veneretur, si quid profatur, jam è populo nullus erit qui verbis ejus, ut ab oraculo profectis, non det fidem; si quid agat ac moliatur, jam è populo nullus erit qui non faveat illius conatibus, qui acta non probet, iisque lætus ac gratulabundus non applaudat.

§. 2.

ATque hac de causa summè Sancti fama & nomen Oceani prorsùs instar exundabit ac diffundetur per medium Sinarum Regnum, & hinc multò longiùs dimanans pertinget ad barbaros Australes & Boreales: naves & currus quocunque terrarum pertingunt; humana industria ac vires quocunque penetrant; cælum quidquid tegit; tellus quidquid sustinet; Sol & Luna quidquid suis radiis collustrant; pruina & ros quocunque locorum decidunt; ad extremum quicunque habent in venis sanguinem, vitamque hanc, & communem aërem respirant, non possunt non venerari ut Regem & amare ut Patrem communem hujusmodi Sanctum. Atque ideò suprà dicebam, eum æquiparari cœlo. Vel arctissimam quamdam societatem habere cum ipso cœlo.

Digitized by Google

f. 29. p. 1. §. 1.

SOlus ille qui in hoc universo summè perfectus & Sanctus est, ejusmodi est, ut queat ordiri, & contexere terrarum orbis magnum ordinem & rationem; qui item possit erigere universi hujus magnum fundamentum; qui denique possit perspectas habere quæ sunt à cælo & terra procreationes & conservationes rerum. Hujusmodi igitur summè Sanctus, cum talis ac tantus sit, quo tandem modo fieri potest, ut sit res ulla in toto universo cui innitatur aut inhæreat aut à qua dependere, & juvari priùs debeat, ut deinde operetur.

§. 2.

SUmmè benevolus & beneficus est ejusmodi Sancti amor ac pietas quæ se se extendit ad Mundi hujus magnum ordinem, placida item ac profunda perfectionum ejus abyssus quæ valet erigere universi hujus magnum illud fundamentum: quàm latissimè patet & extenditur ejus cœlum, ex quo tot in orbe conversiones rerum perpetuâ quadam & uniformi serie promanant.

p. 2. §. 1.

Cu-su, postquam quæ potuit attulit in laudem summè Sancti, ut 5 significet imparem se esse tantæ perfectioni declarandæ, concludit, solum Sanctum de Sancto pro dignitate loqui posse, quippe qui solus intelligat quid quantumque sit esse Sanctum. Sanè (inquit) nisi quispiam sit revera magno & perspicaci ingenio, sit Sanctus, inquam, & eâ cælitùs sapientiâ ac prudentiâ præditus, ut altè penetret omnem cœli virtutem, hunc modò dictum Sanctum ecquis tandem alius poterit cognoscere, aut verbis exprimere? solus igitur summè Sanctus exhaurire potest summè Sancti virtutem, tam ipse intelligendo, quàm aliis deinde enunciando. Verbo: nemo Sanctum probè novit nisi Sanctus.

§. 2.

HActenùs egit *cu-su* de summè Sancti perfectione: jam redit ad explicandum viri perfecti & verè solidi virtutem, de qua in initio libri hujus: Quæ utique debet excludere omnem simulationem, hypocrysim, & cupiditatem gloriæ exterioris; ut ita paulatim gradum faciat ad viri Sancti virtutem. In eam rem carmen citat de matrona pulcherrimâ cui magnam addebat gratiam pretiosissimas vestes quasi aliâ superinductâ, velle contegere Oda sic ait: si quis induatur veste divite ac variegata cui superinduat vulgarem penulam, hoc ipso declarat quòd oderit haud dubiè ejusmodi ornatûs ostentationem ac splendorem exteriorem. Ideò (inquit *cu-su*) perfectùs vir occulit contegitque suam quidem virtutem sed ea in dies magis lucis instar crescentis augescit, & vel invita se prodit ac manifestatur: E contrario simulatoris & ficti im-

Digitized by Google

probique hominis fucata virtus, ſpeciem neſcio quam virtutis oſtentat illa quidem, ſed reverà nonniſi ſpeciem: Et verò propria hæc eſt inanium ejuſmodi hominum induſtria, ut ſe ſuaque oſtentent offerantque omnium oculis ſpectanda; ſed quia non virtus illa, ſed umbra virtutis eſt, planè fit, ut in dies magis ac magis extenuetur, & tandem ceu fumus evaneſcat. Perfecti viri virtus, ſi primum illius ſaporem conſulas, videbitur inſipidum quid & inſulſum; & tamen, ubi maturâ conſideratione, multòque magis ipſo exercitio & imitatione eam iterum iterumque deguſtaris, talem eſſe comperies, ut, quamvis eâ paſcaris aſſiduè, non tamen pareat nauſeam & faſtidium. Rurſus, videtur illa remiſſum quid eſſe & exile & propè contemptibile, & tamen, ſi mentis oculis quæ interiora ſunt contempleris, quantum ibi decoris & gratiæ, quantum venuſtatis invenies! Humilem rudem, ac informem primo aſpectu diceres; & tamen, in cordis medio perpolita eſt rectèque compoſita & juxta rectam rationem mirabiliter ordinata. Quid multa? veſtis attalica eſt, gemmis & auro collucens; verumtamen ſub vili penulâ latet ſecura: Quò occultior hoc pretioſior. Et hæc quidem de interna privatâque ſui perfectione intellige; cujus cum tanta ſit lux, tanta vis ardoris, ut cohiberi nequeat quin ultrò prorumpat, impendatque ſeſe communi Reip. bono procurando; ideò (addit *ça-su*) ſi vir ejuſmodi perfectus noverit eorum quæ longè abſunt proximum principium, ſeu ſi noverit dirigere alios ex ſui ipſius normâ; item noverit morum motuumque originem, ſeu noverit commovere aliorum animos ex ſuo ipſius animi motu; noverit denique ſubtilium & arcanorum manifeſtationem, ſeu noverit, quod ea quæ intùs latent haud dubiè tandem aliquando foras ſe prodent; tum ſanè poterit hoc modo cum tam præclarâ rerum notitiâ paulatim gradum facere, ac tandem ad eminentem Sancti virtutem pertingere. Vel, ut alii exponunt: ſi noverit quarumcunque actionum principium eſſe cor; bonas ex corde bono malas ex corde malo procedere: ſi item noverit morum & rituum originem fundatam in illâ Sanctorum Regum ſymmetriâ rectè commenſuratâ cum cœli ratione, qua res omnes diriguntur: ſi denique noverit ſubtilium & reconditarum rerum manifeſtationem, ſi poſſit ſcilicet ex iis quæ foris apparent cognoſcere ea quæ intùs latent; tùm poterit is etiam hoc modo paulatim pertingere ad virtutem Sanctorum.

f. 36. p. 1.

ALIA Oda ſic ait: Penitus abdita ſit licet, altiſque depreſſa latebris deliteſcat virtus (uti & vitium) tamen vel ſic mediis ex tenebris omninò in lucem prodibit. Quapropter (exponit *ça-su*) vir perfectus cordis intima diſcutiens, ubi penitiſſimos animi ſinus inſpexit, ſi nihil prorſus deprehendat morbidi ſeu vitioſi, tum

ſcilicet acquieſcit ; & cùm non ſit quidpiam cujus eum pudeat, fit etiam, ut nec diſpliceat ſibi in corde ſuo , à quo jam non reprehenditur. Nimirùm viri perfecti interior virtus ſive id ad quod non poſſunt paſſim homines niſi difficillimè pervenire , nonne hoc ipſum ſolùm eſt quod alii non vident ? Hoc quippe interiorum cordis examen, cùm res ſit ejuſmodi , ut vir perfectus ad eam exhauriendam non poſſit niſi difficillimè pervenire ; nonne hæc ipſa dumtaxat eſt , cæteri hominum quam nunquam obſervant ? Nam cæteri hominum ea ſolùm magni faciunt quæ ſenſibus percipiuntur , de interiori mentis ornatu & cordis puritate parùm ſolliciti.

p. 2. §. 1.

ALIA Oda ſic ait : Vide ac circumſpice quomodo te geras cùm ſolus degis in tua domo : Inſuper ne quid agas de quo poſſis erubeſcere quamvis verſeris in abditiſſimo tuæ domûs receſſu. Ideò (addit *çu-su*) vir perfectus non aggreditur negotium & tunc primum attendere ſibi incipit ; non profert ſermonem , & tunc primum de verborum veracitate cogitat : ſed ſemper & in omnibus eſt vigilans. Etenim vir perfectus , priùs etiam quàm animi motus quiſpiam exurgat , jam attentè ſollicitèque ſe obſervat ſibique ipſe invigilat ; priuſquam proferat ſermonem , jam planè ſibi perſuadet & ſine ulla dubitatione credit verum eſſe quod dicere meditatur ; atque hoc intelligit eſſe pretium operæ ſuæ , hunc vigilantiæ & examinis ſui fructum , ut in iis quoque rebus ac ſtudiis quæ neque oculis percipiuntur neque auribus , circumſpectè timidèque ſe gerat.

§. 2.

RUrſus Oda ſic ait : Myſtes ingrediens Templum , ut ſacrificando coram omni populo permoveat & invitet ſpiritus , inuſitato cum ſilentio & ſingulari animi corporiſque compoſitione accedit ; & quamvis populo non indicat ſilentium ; tamen ſacrificii tempore vox nulla confabulantium auditur ne dum murmur aliquod exiſtit aut contentio circumſtantis populi. Nimirùm perſpecta ſingulis virtus ac probitas ejus qui ſacra peragit , itemque gravitas illa & modeſtia , quæ in ore habituque totius corporis relucet , index interioris reverentiæ & compoſitionis , tanta eſt , ut quamvis neminem hortetur ipſe , nemini pœnas intentet , in officio tamen contineat omnes ac perficiat , ut cum altiſſimo quodam ſilentio venerabundi ſacris aſſiſtant. Eodem modo (inquit *çu-su*) Rex perfectus , quamvis non largiatur munera , tamen populus nullâ ſpe præmii , ſed uno ſui Regis exemplo ad eum imitandum permouetur necnon ad omnem virtutem , & ad obſequendum in omnibus quæ ſui muneris ſunt mirificè invitatur : Rurſus quamvis non iraſcatur , aut pœnas intentando & ſupplicia à malo non deterreat , facit tamen , ut populus

populus à Regiâ perſonâ pertimeſcat multò magis quàm ſi falcibus & ſecuribus armatus ſubditorum ſuorum cervicibus immineret.

§. 3.

ALtiùs iterùm provehitur *çu-su* in ſuâ Regum inſtitutione columnas hic tandem figens, eamque ponens virtuti, quam Regibus vult ineſſe, metam, ut plus ultra non videatur Regum virtus atque felicitas progredi poſſe. Authoritatem igitur à Priſcis petens Odam citat, quæ ſic ait: ſi tam ſubtilis ſit & à vulgi captu ſenſibuſque tam remota adeoque tam profunda & non apparens, ac veluti ſolitaria ſeu unica perfecti Regis virtus, ut illius ne veſtigium quidem mortalium oculis offerri videatur, quæque deliteſcens in intimo cordis receſſu nonniſi per heroïcas actiones, & publicam mortalium utilitatem abſque oſtentatione ſe prodat; tum ſanè centum, hoc eſt, omnes omninò Sinenſis mundi Dynaſtæ & Reguli ſuſpicientes illam regiæ virtutis majeſtatem tanquam cœleſte quid & humano majus, pro ſuo quiſque captu & viribus ſtudioſè eam æmulari contendent. Et hæc quoque cauſa eſt (inquit idem *çù-su*) cur Rex perfectus, utpote conſcius hujus veritatis, tam ſolidè colat, id eſt, tam vigilanter, reverenter, ac ſollicitè quovis loco & tempore tueatur ac conſervet internam virtutem: cujus quidem tam vigilantis reverentiæ, & tam ſapientis vigilantiæ; curæque hic fructus exiſtet, ut tandem etiam orbis univerſus, quamvis haud quaquam capiat tantam & tam arcanam virtutem, tamen à tali Rege adminiſtratus, perpetuâ pace perfruatur.

f. 31. p. 1.

COncludit *çu-su*, confirmatque dicta libri Odarum authoritate; ubi (juxtà Interpretes) introducitur ipſe *Xam Ti* ſupremus cæli Imperator loquens.

Sic igitur Oda ait: Ego (inquit ſupremus cœli Imperator) complector & amo *Vên-vâm* Regis clariſſimam & puriſſimam virtutem: Et ideo quidem amo, quia illa non magnoperè perſonabat, ut forinſecùs perciperetur & appareret. (Vel ut alii explicant: quia illa non petivit ſuam magnitudinem à verborum ſonitu & exteriori quadam ſpecie ac ſplendore, ſed è ſoliditate & cultu interiori) Nimirum, *Confucius* inquit, exteriora iſta uti ſunt ſonitus verborum & ſplendor ſeu figura exterior, opes inquam, & arma, eloquentiæ vis, & Imperatoriæ majeſtatis ſplendor, in ordine ad hoc ut moveatur & convertatur populus, ſunt reverà quid poſterius & ramorum inſtar; at verò ſolida illa cordis veracitas quæ verbis factiſque ſe prodat, & aliarum quoque virtutum præſidiis inſtructus animus, radix ipſa & fundamentum ſunt; adeoque id quod prius ac præcipuum hîc cenſeri debet. Alia Oda ſic ait: Ejuſmodi virtus eſt ſubtile quiddam & leve inſtar pili. Attamen (ſubjicit *çu-su*) pilus quamvis re-

verà tenue quid ac ſubtile ſit, adhuc tamen datur quidpiam ſenſibile quod cum eo ordinem habeat, eique comparetur & correſpondeat: quapropter ad rem illuſtrandam magis appoſitum eſt carmen aliud quo dicitur: ſupremi cæli res longè fugit ſenſus humanos, adeoque nec habet vocis ſonum quo audiri, nec odoris ſpeciem qua percipi queat. Ex quo (inquit 云 ſù) confici videtur, ejuſmodi rem ſummum quid eſſe humanis oculis inviſibile, & indiviſibile adeoque omnia ſenſibilia tranſcendens: & hoc ultimum dictum rem maximè declarat.

In hoc poſtremo paragrapho duo ſunt quæ ſubobſcura videri poſſint, atque explicatu difficilia. Primum quid verba illa Mîm te *hîc ſignificent. Alterum quid ſignificent illa* Xám Tien Chi çai: *quippe, tam horum, quam illorum, expoſitiones variæ afferuntur. Nos autem duas potiſſimum ſectabimur.*

Et quoad primum quidem, ſequemur hîc illos qui volunt, per binas voces Mîm te *vel excellentem quamdam virtutem, & hanc moralem, ſignificari; vel rationalem, quæ in homine eſt, portionem ac potentiam: congruit enim expoſitio hæc ſanè feliciter cum iis quæ dicuntur in libro* Tá Hio §. 1. *ubi* Mîm te *vocatur portio illa rationalis à cælo homini indita; uti hoc ipſo libro* Chum yûm *f.* 1. *& alibi,* Tien mím, *& f.* 25. §. 3. Te sím.

Quod verò ad ſecundum attinet: duabus vocibus Xàm tien, *alii ſupremi Numinis Providentiam; alii ſupremum cælum ſive quod nos Empyreum, ſedem videlicet ac domicilium beatarum mentium ſignificari docent.*

Cæterum qualeſcunque demum ſint expoſitiones iſtæ: certa eſt res una, quod ex hac Libri Chum yûm *poſtremâ ſententiâ ternæ videntur elici poſſe veritates, ac Sinenſibus, quamvis Ethnicis, probari; ſcilicet* unius & ſupremi Numinis exiſtentiam & immortales eſſe mortalium animos: ſua denique præmia cujuſque meritis poſt hanc vitam reſpondere. *Etenim cùm introducatur ipſe ſupremus cæli Imperator verba proferens ac deinde cum alibi dicatur* Ven-vam *pii Regis animam aſſiſtere ad ſupremi numinis lævam & dexteram patet & Deum ab ipſis creditum & animam haud quaquam interire cum corpore: Rursùs cùm dicatur, quod idem Numen ampectitur & amat virtutem dicti Regis, ſua reſpondere virtuti præmia, non dubiè ſignificatur.* Quod verò de animarum immortalitate cenſuerunt priſci Sinæ hîc ſupereſt breviter examinandum: nam quid de ſupremi Numinis exiſtentiâ & Providentiâ tum variis hujus operis locis quadantenus expoſuimus & in ſingularem & copioſiorem tractatum reſervamus.

Non inficior priſcos Sinas communi & hæreditario vitio generis humani de præſenti vitâ potiſſimùm laboraſſe; ut benè ſcilicet ac beatè hîc viverent, tranquillum florens invictumque ſervarent Im-

Digitized by Google

perium : quæ autem ſors eos & vita maneret olim, cæleſti Providentiæ Numinique permiſiſſe (in quorum tamen numero nequaquam ſunt ii, quos eximia planè virtus, reſquè geſtæ, & ſua ipſorum ſcripta contemptores fuiſſe docent vitæ mortalis rerumque humanarum, & immortalis vitæ ſtudioſos.) Non caruerunt tamen etiam vulgares homines iſti, appetitu diuturnæ ſempiternæque vitæ, quem ſentimus mortales omnes inditum nobis eſſe ab Auctore naturæ, utique non otiosè neque fruſtra inditum. Qui appetitus quàm vehemens in quibuſdam illorum fuerit, argumentum poſſunt eſſe pretioſæ potiones illæ ſeu Ambroſiæ vitæ immortalis quas Imperatores quoque fabulis impoſtorum, aliquot poſt Chriſtum ſæculis, deluſi ſpe, immortalitatis hauriendæ, ſumebant.

Rei ergò, quæ uſque adeò connaturalis eſt homini, non poſſunt non extare quædam veſtigia in priſcis eorum libris ac monumentis: quæ ſi extant, ut revera extant, & tanquam dubiæ tenueſque ſcintillulæ hinc inde promicant; cur has obſecro non malimus interpretatione benigniore, ſeu leni flatu paulatim ſuſcitare atque accendere; illa diuturnæ vitæ, ſeu potiùs productioris mortalitatis deſideria ad ſpem veræ immortalitatis vitæque traducendo, quàm ſeverioris ac ſiniſtræ interpretationis ſilentio ſuffocare atque extinguere? Nam ecquis tandem fructus exiſtet ab hujuſmodi ſilentio & ſeveritate? non alius profectò, quam ut videamur tacitè fateri, contrariam eſſe doctrinæ noſtræ priſcam gentis ætatem omnem; utque ita vehementiſſimè corroboretur Atheorum & Impiorum hominum pernicioſus error: ubi ceſſare nos videbunt, mox ultrò nos aggredientur ac laceſſent eâ parte, qua, ſi animus nobis fuiſſet, feliciter oppugnari à nobis ipſimet poterant: atque ita tandem dicent, malle ſe perſeverare in ea ſententiâ in qua nos ipſi fateamur, majores ſuos fuiſſe per quatuor annorum millia; malle ſe tot viros ſapientiâ, virtute, imperio clariſſimos ſequi, quam paucis aliquot alienigenis contraria docentibus fidem dare.

Abſit igitur ab Evangelii Præconibus hæc opinio, ut nihil adjumenti vel lucis ab authoritate Priſcorum Sinarum petendum ſibi putent Chriſtianæ veritati declarandæ. Quæ quidem opinio (ſi fas eſt dicere) vel ab inani qnodam metu ac religione, vel certè ab inſigni quadam ſocordiâ aut ignorantiâ videtur proficiſci. Quod ſi eſſent è priſcis illis (nam de modernis hîc non ago) qui aperte nobis adverſarentur, exiſtimantes, nullam rectè factis mercedem, neque pœnas noxis rependi, cum vita hominis finiri omnia. (In qua quidem ſententiâ fuerunt ex Europæis Philoſophis aliqui; quos tamen ſapiens ille Cato apud Ciceronem *minutos* vocat: apud eundem verò Lelius: Non aſſentior iis, inquit, qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animos interire, atque omnia

Digitized by Google

morte deleri, plus apud me antiquorum auctoritas valet vel noſtrorum Majorum, &c.) Si inquam eſſent è Priſcis qui apertè nobis adverſarentur, quamvis & eſſent alii qui favere nobis viderentur; tutiùs tamen fortaſſe tunc foret non attingere ſuſpectas auctoritates : Nunc verò cum neminem patiamur adverſarium ; nuſquam vel umbra iſtius impietatis appareat; ſed è contrario plurima afferri poſſint, quæ, tametſi non convincant, admodùm tamen veriſimile faciant, Priſcos benè ſapienterque ſenſiſſe de Providentiâ Numinis & immortalitate Animorum; quis tandem ſanæ mentis malit adverſarios ſibi eſſe, quàm amicos, & ſocios, & patronos, non modò Priſcos, ſed hujus quoque ætatis Sinas, Majorum ſuorum (uti ſuprà docuimus) adeò ſtudioſos & obſervantes ? Quis paucos poſterioris ætatis Atheos atque Idololatras ſequi malit, ac virus ex antiquis illis floribus ſugere, quàm dulce mel ac ſalutiferum ? Quod iis non modicum contineri cum alii Scriptores, tùm verò maximè Societ. Jesu Sacerdotes Riccius, Pantoja, Vagnonus, Aleni, Monteirus, Buglius, Martines, aliique Litteris Europæis & Sinicis clariſſimi, docuerunt : Hac in re Lactantium ſcilicet, alioſque Patrum imitati, Tertullianum inquam, Cyprianum, Minutium Felicem, Origenem, Arnobium: qui Ethnicos ſuis ipſorum armis, uti & Hieronymus Auguſtinus, aliique Doctores Eccleſiæ, hæreticos identidem oppugnabant. Itaque Lactantius de falſa Religione contra gentes cap. 5. Omittamus ſanè (inquit) teſtimonia Prophetarum, ne minùs idonea probatio videatur eſſe ab his, quibus ominò non creditur : veniamus ad Auctores, & eos ipſos ad probationem veri teſtes citemus, quibus contrà nos uti ſolent, Poëtas dico ac Philoſophos. Quamquam & in hoc rursùs iſtos Patres imitantur homines noſtri, quòd quotieſcunque de Animorum immortalitate, ſimilibuſque argumentis diſputant, longè præcipuum robur ex noſtrâ ſcilicet Chriſtianorum Philoſophiâ petant, & melli iſti Sinico, quod dixi, tantam inſpergant cœleſtis ambroſiæ copiam, ut quamvis eam Sinæ veluti ſuam cupidiùs appetant, reverà tamen Europæorum tota ſit, & Chriſti potiùs.

Ad extremum quò ſtudioſiùs hanc veritatem ex priſcis gentis monumentis eruamus, illa quoque ratio nos movet, quòd ſiquidem probetur, eam Majoribus fuiſſe perſpicuam, concedent illico nepotes perſpicuam fuiſſe & alteram (quam ſuprà tot argumentis) de ſupremo quodam Numine quod omnia procrearit ac moderetur : neque enim gens fuit tam agreſtis ac barbara quæ non agnoverit immortalem Deum, & agnoverit tamen animi ſui immortalitatem.

Nunc ad rem veniamus. Argumenti, quod negativum dicitur, non ſolet eſſe vis magna; habet hoc tamen, apud Sinas inprimis, vim

vim ſuam. Hoc igitur uſuri, quærimus in primis, ecquis Auctorum veterum & claſſicorum uſquam dicat interire mortalium Animos, nullo providentiæ conſilio, ſed caſu, fortuitòque res geri? Profecto fateri debent, haud ullum eſſe qui apertè ſic vel inſanus ſit, vel impius.

Hinc igitur ad poſitivas auctoritates & argumenta gradum facimus. Ac primùm quidem quid ipſe *Confucius* de immortalitate ſenſerit ob oculos eis ponimus. Et multa quidem nobis ſuggerunt libri Claſſici, quorum alios ipſe conſcripſit, alios collegit ac digeſſit in ordinem. Claſſicos dixi, qui ſoli apud Sinenſes, & nos quoque ſuum pondus obtinent. Nam quæ in libris *Kia Yu*, ſive domeſticorum *Confucii* ſermonum extant, cum hos ſeptingentis ferè poſt annis quàm Philoſophus vixit lucem vidiſſe ſcribant eam ferè obtinent fidem, quam quiſque dare voluerit: præſertim cum ſit credibile, non pauca, vel ab improbis inſerta, vel ab ineptè ſtudioſis ipſius Philoſophi, conficta iis contineri. Hoc certum, dictos libros in Claſſicis, & qui litteratis hominibus præſcribantur, haudquaquam numerari. Verumtamen ne cuipiam videar hîc celaſſe quidpiam, vel ſubterfugiſſe, locum proferam, qui unus videri poſſit minùs favere ſententiæ noſtræ, introducitur enim *Confucii* diſcipulus, *çù cúm* vulgò dictus, ex Magiſtro ſuo quærens, an mortui rerum notitiam conſervent. Cui Philoſophus, attemperare ſolitus reſponſa ſua ingenio cujuſque & captui, tempori quoque, & loco, ſic reſpondet, ut tamen ſciſcitantis dubitationem non tollat: Si mortuis (inquit) perſeverare notitiam rerum dixero, timeo ne filii quorum pietas erga parentes major fuerit, eoſdem ſociare velint, adeoque ſe ipſos interimant: Si contrà, nullam eſſe aſſeruero, vereor ne languelcat illa filialis pietas, & ſint qui inhumatos etiam parentes abjiciant: deſine ergo fili mi curioſiùs exquirere quæ ſit vitâ functorum conditio: alia ſunt magis neceſſaria quæ ſcire te velim: Iſta verò tu deinde cognoſces. Sic Philoſophus, ubi nota hoc loco non dubitari de exiſtentia Animarum, ſed quæri à diſcipulo, an Animæ defunctorum (quas ſupponit exiſtere) conſervent præteritorum notitiam.

His igitur prætermiſſis, quorum minùs certa auctoritas eſt, ea dumtaxat afferamus, quorum indubitata apud ipſos ſit authoritas, quæque ad probandam Sinis immortalitatem magis appoſita videbuntur. Cujuſmodi ſanè multa libri quinque & hi quos hic exponimus, non modò Claſſici, ſed primæ quoque claſſis, nobis ſuppeditabunt.

Ut autem res ordinatius procedat, à definitione mortis, ut hanc in libris ſuis tradunt, ordiamur: Hoc modo namque faciliùs erit de reliquis quæ ſequentur judicium ferre, & quid ætas Priſcorum ſenſerit intelligere: Nam quid ætate noſtrâ Sinenſium plerique, ex im-

peritâ saltem multitudine, de morte sentiant, nulli dubium vel controversum esse potest, cum satis constet, Pythagoricis de metempsychosi fabulis plerosque fidem dare: qui adeo quamvis animos interire negent, quoniam tamen principiis nituntur vanissimis falsissimisque, absurdum planè fuerit iis quidquam tribuere, & mendaciis firmare veritatem.

Olim igitur, ut docerent, humanam naturam duabus constare partibus, quarum una mortalis sit, immortalis altera, *çu hò* duabus quoque vocibus utebantur, quarum alterâ descensus & casus, ascensus alterâ significatur. Sic mortem *Tào* Imperatoris in *Xu kim* librorum fere vetustissimo declarant. Nec diversum efficiunt sensum, quamvis diversæ sint voces, quibus *Xún*, & *Ven-Vam* Regum, aliorumque Principum descensus atque ascensus; obitus inquam, seu Animæ corporisque separatio significatur. Interpretes certè, & quidem Ethnici, quos inter Colaus noster suffraganeur hic nobis, ac mirabili sententiarum consensu, sic voces illas exponunt, ut dicant, *id quod in altum subtrahi esse spiritum, quod deorsum feratur atque concidat corpus esse.* Procul dubio nec istis, neque tot verbis usuri, si meram corporis resolutionem vitæque finem significare voluissent. Hinc nimirùm illa nunquam satis deprædicata vox & oratio *Tò* Regis (de quo suprà mentionem fecimus) qua ipse consolaturus suos in præsenti subitoque vitæ discrimine: *sèm kí yè* (inquit) *sù quèi yè, vita* hæc nostra, Proceres, *depositi est instar: mors* ergo *depositi restitutio erit.* Imò quoniam *kí* & *quèi* binæ voces, hæc *reditum* quoque significat, illa *diversorium*, videtur eodem Laconismo suo vir sapiens complecti etiam voluisse Tullianum istud, quo dicitur natura commorandi nobis diversorium dedisse, non habitandi locum. Quocirca paratos esse debere secum ex vita ista discedere, tanquam hospitio, non tanquam ex domo. Quod si vetustas aliquid hîc ponderis atque authoritatis afferre potest, uti sanè potest, sententiam tam christianam ante ipsius Abrahami tempora, ne dicam Ciceronis vel Urbis conditæ, Rex Sinicus pronuntiavit. Abiit igitur in vulgarem usum pulcherrimus loquendi modus, & cum memoria tanti Principis viget hodieque sic, ut nihil Sinis familiarius sit, quàm, ubi quis excessit è vivis dicere *kiú xá discessisse* jam illum *à sæculo, çú xí, vale dixisse sæculo, sié xí, egisse sæculo gratias*, &c. prorsus ea ratione, qua narratur quis hospiti, apud quem divertit, gratias egisse, & vale eidem dicto, in patriam remigrasse. Sinas autem, cùm sic loquuntur, ex animi sui sententia vulgò loqui, olim certè quidem locutos, mos ille priscorum, cujus in Officiorum libris non semel fit mentio, argumento potest esse. Solebant hi quotiescunque eorum aliquis obierat, in superiora domûs conscendere, atque hîc conjectis in cœlum oculis multo cum gemitu defun-

ſum inclamare, vocem ſi lachrymabiliter ingemiscantes. Porrò vox illa, ſicuti interpretes hîc affirmant, *redimus ad corpus*, ſeu reviviſcere ſignificat. Ad quem ritum alluſerit fortaſſe Memcius, cum eadem ufus voce dixit: Sanctos Reges, ſi quidem reviviſcerent, non alia quàm, quæ docerent ipſe, docturos. Certè in obitu quoque Regum, is, quem dixi, ritus adhibebatur; tametſi verò nunc antiquatus videatur, non obſcurè tamen declarat quid ætas illa de immortalitate ſenſerit, atque tanto præclariùs quàm præſens hæc poſterorum ætas, quantò longiùs huic illa præcellebat, ſi quidem de vitæ morumque innocentia, nec non candore quodam & ſimplicitate agatur. A Priſcis etiam, ut opinor, manaverit mos iſte qui hîc variis in Provinciis in uſu eſt, ut filii in parentum ſuorum obitu, lugubri habitu, nec ſine lachrymis atque ejulatu viciniora loca concurſent, non ſecùs ac ſi quærerent fugientem animam, & ad priſtinam ſedem corpuſque exanime revocarent.

Quod ſi exiſtimabant priſci (ut de hac noſtra ætate non agamus) hominum animos interire, quàm ſupervacanea ſtultaque erant hæc omnia! An enim quod interiit movere ſe poteſt, ne dicam aſcendere? An depoſitum quod periiſſe conſtat, idem ipſum reſtitui? De hoſpite verò, ſi quidem is in diverſorio ſuo jam extinctus ſit, nonne vel ignarus admodùm, vel nugator ſit, qui diſceſſiſſe dicat, qui patriam, qui domum repetiviſſe? Et illa, quæ narravimus, quiſquamne ſanæ mentis faciat, ſi poſt mortem nihil quod vivat, quod intelligat, exiſtere arbitretur?

Non me fugit tamen quid ab atheis hujus temporis, qui cum à Priſcis maximè diſſentiant, videri tamen volunt maximè cum Priſcis ſentire, hîc reſponderi queat: ornatiùs gratiâ ſcilicet ac figuratè multa dici; memoratum verò ritum evanidum atque inutilem eſſe; neque enim Priſcis aliud hîc fuiſſe propoſitum, quàm ut dolorem ſuum, & deſiderium illius qui interieras, teſtarentur: quod autem ſuſpicerent in cœlum, atque illinc dilectos Manes quodammodo revocarent, mirandum non videri; quandoquidem ſic exiſtimarent, quin adeò & hîc & alibi diſertè docerent, aërium quid, imo nihil eſſe præter merum aërem ſpiritum illum qui hîc dicatur aſcendere: nihil autem vel abſurdi vel alieni dicere, qui aërem dicat in ſublime ferri: ſed neque ipſum Confucium ab hac ſententia videri alienum, qui rogatus, ut *quèi xin* duarum vocum ſignificata definiret, aërium quid eſſe reſponderit, ut in Officiorum libris refertur, iiſdem ſcilicet imbutus erroribus, quibus priſci Poëtæ noſtri tenebantur, cum animam noſtram particulam auræ eſſe canerent: quibus item Varro tenebatur, cùm diceret animam eſſe aërem conceptum ore, defervefactum in pulmone, repefactum in corde, diffuſum in corpus. Itaque modum loquendi Sinis admodùm familia-

rem esse hoc tempore, cùm de moriente sermo est, ut *çiwe ki*; vel *abscissum* esse, vel *tuón ki interceptum* esse hominis *spiritum*, seu veriùs respirationem vulgò dicant.

Sic fortassis isti, quos quidem refellere haudquaquam sanè difficile fuerit. Nam quòd ritum Priscorum suprà memoratum sic interpretentur, ut inanem faciant; nullius id auctoritate vel exemplo faciunt, cùm nullus Interpretum, quos ego quidem adhuc consulere potui, inanem fuisse doceat. Rursus quòd hominis animum per aërem, quem respiramus, definiri dicant, seu describi veriùs; nihil contra Priscos, aut Confucium efficiunt: quæro enim, qua voce, quave metaphora uti poterat homo cultioris nostræ logices & metaphysices ignarus ad explicandam rem, quam docebat, esse maximè subtilem, & quæ fugeret sensus ipsos? an aliâ quàm quæ à re sublunarium rerum subtilissimâ mutuaretur? Imo nos ipsi, nos (inquam) Europæi, cùm rationalem animam voce quàm possumus propriissimâ significare volumus, quâ voce tandem utimur? nonne *Spiritus?* At hujus ethymologia vocis unde petitur? à *spirando*. Sed enim & bruta spirant animantia, & venti spirant, suus & his, & illis est spiritus: vitalium quoque spirituum apud nostrates Medicos (quin & Sinicos) creberrima mentio. Est, inquies: verùm, ubi de homine agitur, metaphoricus est vocis usus: atque metaphoricus & *aëris* hîc erit. Vis intrem penitiùs? ipsammet vocem *animus*, constat à Græca voce ἄνεμος originem ducere: hæc ergo si Græcis *flatum* ventumve significat, an rectè mox conficies, animam rationalem ex sententia Latinorum ventosum quid esse, vel flatulentum? Neutiquam verò, inquies: declarant enim Latini quid hîc sentiant, cùm rationalem esse animum dicant. Benè habet. At Sinæ quid ipsi quoque sentiant nusquam declarant? Quid crebrius, non Interpretes modo, sed ipsum quoque vulgus, in ore habent, quàm hæc: *sapiens, excelsus, prudens, intelligens spiritus* sive animus, &c. quæ profecto nemo qui rationis compos sit, nisi de animo ratione prædito dixerit. Jam vero ipse *Confucius* cùm spiritum istum aërium, ut dicis, & quidem ut à corpore separatus est, *animatum*, *intelligentem* ac *spiritualem* vocat, nihil dicit? quando subtilissimum quid esse docet maximeque *purum*, quando *sapientem* vocat, quid sentiat non declarat. Narrat, spiritum postquàm excessit à corpore manifestare sese, diffundere odorem sui, tristitiâ quadam affici & sui ipsius commiseratione, quod consortio corporis diuturnâque consuetudine privatus sit; hæc aliaque cùm dicit, nihil dicit? Nondum quid sentiat declarat? Illud autem *Memcii* pronunciatum quàm præclarum quámque appositum ad rem nostram! Nimirùm subtilissimum quid esse quo à brutis animantibus differat homo. Subtilissimum vocat, quod expers esse materiæ proculdubio intelligeret.

Sed

Sed age sanè. Faciamus, eos crassiusculè speculatos esse, & spiritalem substantiam (sicut olim tot in Europa Philosophi, Angelicam) materialiter concepisse: An idcircò mox dicemus aberravisse toto cœlo, & formam quoque animæ substantialem, quæ ipsis animantibus tribuitur, hominibus negavisse? Quod si veniam damus & Pictoribus & Poëtis dum mentes illas cælestes nobis depingunt, quamvis alieniſsima quæque iisdem appingant; Sinenses illico damnabimus, si fortè, præter conceptus alienos (quos ipsi quoque vel inviti formamus assiduè) verbis quandoque & sententiis utantur alienis.

Verumtamen quia nobis inter Ethnicos versantibus summopere cavendum est, ne videamur his qui rudiores sunt, vel etiam perversi jam perditique, iisdem quibus ipsi teneri erroribus, prudenter admodum Societatis Jesu Patres, quotiescunque de anima rationali disputandum fuit, voce *Ki* abstinuerunt; tum quod non aliâ ferè communem quem respiramus aërem Sinenses explicent, tum verò maximè quòd ex priscis eorum monumentis, adeoque libris ipsius *Confucii* vocabula non pauca suppetant, eaque perappositа, quibus nobilior hominis portio, seu immortalis animus significatur. Et hominem quidem ipsum inter omnia viventia nobilissimum quid esse disertè affirmant. Animum deinde *Tá ti*, seu *majorem ac nobiliorem substantiam*, ut à *Siaò-ti* quod *minorem substantiam* sonat, distinguant: vocant item *clarum cæli mandatum*, & *claram*, seu intelligentem virtutem: ad hæc, virtutem naturalem; potentiam intellectivam, quæ eadem subtilis sit, quæ à cœlo infusa, quæ lumine rationis colluſtrata. Quid? quod eaſdem quandoque voces Animæ rationali tribuant quibus spiritus suos, sive *Xin*, significare solent: Quos etiam alibi errantes Animas vocat liber *Te-kim*. Quoniam tamen adscribunt spiritibus eximiam quamdam virtutem (uti suprà narravimus) & multa quæ vires humanas excedunt, placuit sociis voce *Xin* sic uti, ut ferè non aliis quam naturæ Angelicæ suppositis tribueretur: ad animum verò hominis significandum plerumque binas voces *Lîm sim*, vel *Lim hoen* adhibuerunt. Aptè quidem; vox namque *Hoen* cùm Animam significet, addito *Lim*, mox ad rationalem contrahitur: per *Lim* quippe vim intellectivam, adeoque spiritalem, significant: metaphoricè verò, rei quoque inanimatæ (ut suprà dicebamus) præcipua quædam venustas vel efficacitas eodem *Lim* vocabulo (vel etiam *Xin*) declaratur. Quod si dictæ voci *Hoen* alteram *Kio*, quæ sensitivum sonat, adjunxeris, sive præposueris, ampliorem ejusdem significationem effeceris; amplissimam verò, si cum voce *Sem*, seu vegetativa, copulaveris. Vocis item *sim*, quæ naturam sonat, par item ratio est, quæ vocis *Hoen*.

Cum doceant igitur (ut ad priorem ratiocinationem nostram

reverſamur) rationalem hominis naturam, ſive Animam, à cœlo nobis eſſe infuſam; ſive, ut Tullianis verbis hîc utar, quod cœleſtis animus ex altiſſimo domicilio ſit depreſſus & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium. Rurſus cum ſic à cœlo veniſſe Animum doceant, ut donis ſuis ornatus, & prudentiæ, pietatis, aliarumque virtutum præſidio munitus, tantoque comitatu veluti circumſeptus venerit: cùmque adeò, quemadmodum præclarè probat ac docet *Mencius*, paſſimque pueri cum ſuis literarum elementis addiſcunt, cum nativâ quadam propenſione ad id quod rectum eſt atque ex virtute, procreatus fuerit: Imo quicunque Sancti ſunt (vetus hæc Sinicæ gentis opinio eſt) proprio quodam præcipuoque cœli beneficio Sancti naſcantur omnes. Cum ſic (inquam) non modo ſenſerint Priſci, verum etiam docuerint, non eſt profectò quod miremur ſi putaverint, Animos è cœlo profectos in cœlum reverti; quando antiquiſſimus ille Triſmegiſtus dicebat: piorum Animos à morte in naturam Deorum tranſire à quo nec ii fortè diſſenſerint Philoſophi, quos, Cicero ſcribit, nunquam dubitaſſe quin ex univerſa mente divinâ delibatos Animos haberemus. Multis certè quidem poſt ſæculis ſequutus hos Africanus, cum narraſſet (apud eundem Ciceronem) Animum nobis datum, ex ſempiternis cœlorum ignibus, quæ ſydera & ſtellas vocamus; quos etiam dicit, divinis eſſe mentibus animatos; mox addit, eos qui juſtitiam colant & pietatem in cœlum pergere, & in cœtum eorum qui jam vixerunt, quique corpore laxati locum incolant ſplendidiſsimo candore conſpicuum.

In hanc ergo ſententiam exponi poteſt locus illuſtris libri *Ye Kim*: poſtquam enim oſtenſum fuit, quomodo res omnes in locum finemque naturæ ſuæ conſentaneum ſponte ſua nec ſine impetu quodam rapiantur; additur quoque illud: portionem hominis eam, quæ nobilior ſit, cœlum ſemper intueri, & in hoc ferri tanquam centrum ſuum: eam verò, quæ ignobilior ſit, conſortem ſibi terram pronis oculis ſpectare. Diceres Poëtam, cùm ſimillimam multis poſt ſæculis canebat, ab Sinis didiciſſe; & horum libros pervoluiſſe Romanum Oratorem cùm dixit: Optimis curis ac ſtudiis agitatum & exercitatum Animum velociùs in beatorum Sedem & domum ſuam pervolvere: idque ocyus facturum, ſi jam tùm, cùm erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea quæ extra ſunt contemplans, quam maxime ſe à corpore abſtrahet.

Sed quoniam ſolet rebus ipſis, factiſque multò plus ineſſe ponderis, quàm verbis atque ſententiis, miſſa faciamus hæc argumenta quæ ab ethymologiis vocum, & variis loquendi modis peti queunt; pergamus ad ſolidiora, quæque ex rebus ipſis ſuum robur atque auctoritatem accipiunt.

Digitized by Google

Auctor est ipsemet *Confucius* in libro 1e. classis *Chun-çieu* dicto Animam cujusdam *Chim pe* qui vivens præfectum egerat post obitum visam esse. Hîc ergò jam habemus testimonium apud Sinas quidem gravissimum, quod Animus cum ipso corpore non intereat : quis enim dicat, virum tam spectatæ fidei, & prudentiæ tam singularis aut finxisse quod intelligeret esse falsum, aut temerè credidisse quod esset fabulosum ? Europæi quidem de illo sentient prout cuique cordi erit ; at nulli Sinarum prorsùs persuaderi id poterit. Sed nolim tamen in hoc unius hominis testimonio præcipuam quamdam vim facere. Locupletissima ex libro *Xu-Kim* maximè classico testimonia me vocant.

Puon-kem ex Familia *Xam*, inter eas, quæ rerum potitæ sunt, secundâ, ipse decimus septimus Imperator, qui annis 1401. ante Christum imperare cœpit, cum ob eluviones maximas cogeretur Aulam suam transferre aliò, eamque reducere in primum locum, quem olim sibi in Provincia *Honan*, Fundator ipsius Familiæ *Chim-tam* dictus, elegerat : (*Po* loci nomen tunc erat) cumque videret abhorrere populum à mutandis iterum sedibus (hac enim familiâ imperante quartum jam alio migratum fuerat) adeoque palam obstrepere mandatis suis ac repugnare ; scripto publico rationem dedit consilii sui, utilitate simul ac necessitate rei quæ agebatur ob oculos omnium positâ : inter alia verò quæ affert, unum est in quo præcipuam quamdam vim facit : quæ quidem nulla fuisset si quidem communis Magnatum & populi sensus & fides pro animorum immortalitate non fuisset. *Ego si diutiùs* (inquit) *hîc commoratus me pariter & vos perdidero, quo tandem pacto justissimas iras & comminationes effugiam* Tam *Atavi mei cujus anima in cœlo nunc degit, & præculdubio me unum calamitatum omnium quæ nobis obvenient reum aget, exprobans mihi inclementiam meam, qui cum servare vos posßem, perire tam crudeliter siverim ?* Nec multò post addit, *Avum suum, Patremque dicto* Tam *auctores fuisse ut vindictam sumeret de Optimatibus illis qui opulentiorum Civium facultatibus avari insidiabantur, &c.* Quem in locum scribens Interpres Vam-xi dictus ait : *Jam inde à* Chim-tam *&* Cheu *Familiis Imperialibus ascendendo ad superiora tempora seu ab omni ævo Sinenses nunquam non servierunt defunctis uti serviebant viventibus.*

Quæro nunc ab Atheis, & iis, qui Priscos Sinas atheos fuisse contendunt, si quidem noster Animus aërium quid est, & quod resolutum à corpore mox dissipatur vacuasque in auras abit ; ubi, & quo tandem modo perstitit Animus Regis *Tam*, tamdiu, tamque integer, & inviolatus annis omninò trecentis eoque amplius ? tot namque inter hujus obitum & abnepotis Imperium intercessêre.

Nec minus illustre est alterum ab eadem Familiâ testimonium

immortalitatis. Imperabat *Chen* Tyrannus, inclemens idem in suos & in cœlum impius. Gemebant probi omnes quod viderent magis ac magis labefactari Rempublicam, ipsumque jam Imperium non dubium ruinam minari. Non tulit animo diutiùs qui inter Optimates dignitate par multis, omnes fide, prudentiâ, studioque boni publici vincebat (*Cu-y* nomen fuit) adit Regem intrepidus, quàmvis haud ignarus quanto cum periculo capitis sui: sciebat autem niti illum stultâ quadam fiduciâ de favore Proavotum suorum, ipsiusque (si placet) cœli. Itaque, cœlum (inquit) ô Imperator, planè jam videtur ab hac Familia nostra abstuliſſe Imperium: sic enim viri censent virtute sapientiâque primi; & sortes ipsæ, quas admotâ testudine consuluimus, cum tristes & infaustæ sint omnes, haud obscurè prænunciant: non est tamen quod existimes, conditores ac Principes Familiæ hujus Proavos tuos sensu carere nec tangi malis filiorum ac nepotum suorum, & occasu nobilissimæ domus tuæ, imo & suæ: sed enim, quia tu vitâ & moribus adeò dissimilem illis te præbes, jocis ac libidini indulgens, à cœlo te præscidisti scilicet, atque effeciſti, ut Animi Majorum tuorum qui in beatis illis sedibus commorantur, quamvis maximè velint, non possint tamen opitulari tibi nisi aliam vitæ rationem inieris, atque hoc pacto cœli sententiam contra te jam latam mutâris. Hæc ille. Qui profectò sermonem hujusmodi tali præsertim loco & tempore non instituiſſet, si de immortalitate Animorum vel dubitasset ipse, vel Tyrannum, quamvis impium, dubitare putaviſſet. Multoque minus dici potest, ultimum vitæ suæ discrimen adire voluiſſe, ut, quod non sentiret ipse, specie tenus & cum politicâ simulatione alteri suaderet. Certè quidem vecors ille Tyrannus, ac veritatis impatiens, clientem longè fideliſsimum tunc maxime utilia suadentem, confestim rapi jussit ad capitale supplicium, & præmium tam raræ fidei mors fuit.

Cæterum (quod hic diligenter observare Lectorem velim) planè videntur Prisci credidiſse piorum virorum mentes è cœlo sic opitulari suis, vel pœnas etiam peccantibus infligere, ut id non tam per se, quàm ab ipso cœlo, seu Domino cœlorum ac supremo Judice posteris suis modò præmia, modò etiam pœnas efflagitando perficerent, adeoque patronorum vices agere solitos quotiescunque proprius quidam favor à cœlesti Aula speraretur: quæ quidem res admirabiliter etiam confirmat quod asserebamus suprà, notum cultumque Prisci's fuiſse supremum Numen, cui tanquam Domino, Regi, & Judici Majorum suorum mentes cœlo jam receptas assistere existimabant. Quod ut Lectori sit exploratius, juvat equidem referre quod ibidem narratur in exordiis Familiæ *Chen* contigiſſe.

Graviter ægrotabat *Vu-vam* secundo Imperii sui anno, & octavo

supra

ſupra octogeſimum ætatis ſuæ. Fuit is autem Fundator tertiæ Familiæ Imperialis *Cheu* dictæ, & anno ante Chriſtum 1122. regnare cœpit. Frater ipſius idemque primus adminiſter Imperii, *Cheu-cum* vulgo nominatus, cùm vehementiùs hic angeretur ac timeret ne corrueret modo partum Imperium, ſi frater, eo vix inito, nedum firmato, è vivis eriperetur; oblato ſuppliciter libello vitam ſuam Patris Avi Atavique Manibus, qui ſupremo cœlorum Imperatori aſſiſtebant lubens devovit, ut ægrotanti fratri aliqua relaxatio, vitaque paulò productior tribueretur. Votorum compos facta eſt, & ſine ullo quidem impendio, tam rara fratris gratia. Quinquennium deinde vixit, ac ſtabilivit auguſtæ Domûs fundamenta; tandemque moriens parvum filium tanti hæredem Imperii, tredecim annos tunc natum, fratri commendavit. Agebat hic ſumma cum fide tutorem nepotis ſui, atque optimis eum diſciplinis inſtituens ad virtutes ſanè Regias informabat: Summa quoque rerum & Imperium, quoad parvulus adoleſceret, penes unum fere patruum erat: Sed hinc, uti ſolet, orta paulatim invidia eſt: Nec latuit ea Principem, qui veritus ne inflammaretur acriùs, & ſui causâ detrimenti quidpiam Reſpublica pateretur, tempori invidiæque ultrò cedens vicario ſeſe imperio ac tutelâ abdicavit. Erant ipſi à conſiliis Viri duo virtute ſapientiaque præſtantes: His ergò pupillum commendans, & facti ſui rationem quodammodò reddens, migrandum eſt (inquit) quippe ſi à me, vel ab ipſa potiùs Republicâ non avertero tempeſtatem, ecquid olim poſt fata reſpondebo Majoribus meis; rationem utique exacturis à me, ne dicam meritas pœnas; quod privatis potiùs commodis, quam publicæ quieti conſulens, in diſcrimen adduxerim Imperium univerſum. Hæc fatus in Regnum *Xan tum* profectus eſt ſpontaneus exul, atque ibidem privatus vixit. Sed enim diù latere non poteſt quiſquis amat latere. Exactis enim duobus annis, quaſi cœlum ipſum cauſam tantæ virtutis contra æmulos invidoſque tuendam ſuſciperet, horrenda ſævire tempeſtas cœpit, mugire cœlo tonitrua, furentium ventorum annoſæ arbores radicitùs evelli; nec dubia jam ſtrages ac vaſtitas agris atque urbibus inferri. Deprehenſus in hoc rerum articulo juvenis Imperator, Archivium *Kin tem* dictum, recludi jubet, libros de more conſulturus: Hos dum revolvit per ſe ipſe, in libellum ſupra memoratum fortè incidit: Legit, obſtupeſcit, ac ſolutus in lachrymas gemituſque, ingratum ſe clamat, ingratam patriam, & tantas ab irato cœlo pœnas utique promerentem. Nec mora. Verbis humaniſſimis revocari Patruum jubet. Redeunti procedit obviam; honores priſtini reſtituuntur; & ne fortuitò contigiſſe hæc putarentur, unà cum ipſo *Cheu-cum*, ſua mox ſerenitas cœlo, & tranquillitas tertis reſtituta fuit.

Multa poſſent hîc attexi generis ejuſdem ex Annalibus aliiſque

libris deprompta.: Sed enim vereor ne prolixitas, quæ semper injucunda est, in hoc argumento nostro & disputatione gravis quoque sit atque odiosa. Sit igitur nobis pro clausulâ monitum sanè pulcherrimum, quod *Chuo-cum* suæ ad *Chim-vam* Imperatorem paræneſi quondam inseruit: nempe, si salvum se vellet, si perenne, si florens Imperium, insistere Majorum vestigiis oportere, & heroïcas eorumdem virtutes constanter imitari: Nam quid existimas, ô magne Princeps (inquit) Sapientes illos Reipublicæ administros ac Reges extinctæ nuper Familiæ, oblitos rerum humanarum in cœlo degere, neque hoc egisse, ut stirps illa domusque Regia conservaretur? Fuit hoc illis, mihi crede, in votis; curæ fuit & cordi: Sed enim postremi Regis impietas exitium ac ruinam maturavit: Pervasit in ipsum cœlum populi totius clamor sub acerba gementis tyrannide, & à ferenda posteris ope Majores prohibuit; qui adeo cum implacabiles cœli iras esse jam intelligerent, æquissimæ ejusdem voluntati morem utique gesserunt. Sed ipsum potiùs textum & Colai interpretationem audiamus.

Isti Aviti sapientes ac probi Reges sunt in cœlo, neque omninò interierunt. Isti igitur quomodo non possunt enixe implorare opem à cœlo ut juvet & protegat suæ Familiæ filios ac nepotes, &c. Sed quia (prosequitur Cham *colaus*) *impius* Cheu, *qui acceperat à cœlo clarissimum Imperium (vel, clarissimum mandatum) non valuit colere virtutem; quia repulit & abiecit à sui tutelâ seniores populi, efficiens, ut probi & sapientes viri aut fugerent, aut se occultarent; quia item plurimum fidem dabat impuris hominibus atque adulteris, effecit insuper ut hoc morbo infecti obtinerent munera publica & dignitates; cumque adeo similibus criminibus depravati societatem firmarent inter se, & Regem, seque mutuo ita adjuvarent; tendebat in haud dubiam perniciem populi tam dirum virus. Factum est igitur ut populus oppressus afflictusque crudeli adeò tyrannide, neque habens jam quo fugeret aut apud quos ageret causam suam, hoc solum remedii inveniret, ut Patres-familias complexi parvulos filios suos, & trahentes uxores suas, hoc modo lacrymabiliter clamarent ad cœlum miserabili voce flagitantes, ut tandem sibi liceret effugere ultimum vitæ reliquæ discrimen, quandoquidem tot undique calamitatibus constricti tenerentur, nec locus usquam foret quo se reciperent. Populi sane sors luctuosa & prorsus miseranda! At verò hoc cœlum tacitè apud se decernit res mortalium. Cum ergo contemplaretur hosce quatuor Imperii partium populos, & absque culpa illorum tot damnis & calamitatibus intelligens opprimi; poterat ne fieri, ut non teneerrimo commiserationis affectu moveretur & cogitaret quantocyùs illis succurrere & opitulari? Ideo quamvis Familiæ hujus* Yn. *Avitorum Regum resideant in cœlo Animæ, tamen etiam modò nequeunt cohibere & revocare cœli ipsius voluntatem seu decretum, &c.* Hactenus *Cham* colaus.

Quis autem credat; in re tanti ponderis ac momenti virum tantum tali ratiocinatione fuisse usurum, si quidem ipsi dubia fuisset Providentia Numinis & Animorum immortalitas, vel certè Principi suo dubiam esse autumasset? Haud quaquam tamen cuivis Majorum suorum tribuere solebant hanc in cœlesti aulâ, ut ita loquar authoritatem, & gratiam, studiumque posteris suis patrocinandi; sed iis dumtaxat qui vitæ morumque eximiam quamdam probitatem (sanctitatem vocabant ipsi) cum Regia dignitate conjunxissent; quique adeo sese cœli filios virtutibus & rectè factorum gloriâ, non autem specioso dumtaxat nomine comprobassent.

Sufficiant hæc igitur, ut intelligamus, quid illa prisci candoris Philosophia de immortalitate senserit. Porrò quæcunque nos hîc attulimus, ex libro *Xu-kim* sunt deprompta. Classicus est, primæque authoritatis, & qui Sinensium ingenia per quadraginta jam sæcula exercet; hinc eruditiones suas petunt, hinc argumenta lucubrationum, hinc denique gradus, honores, dignitates.

Postulat hic verò quasi pro jure suo Colaus noster Cham, *ut quando cum illo lucubrationem hanc auspicati sumus, & iter illo in primis duce ingressi, totum eodem comite quasi decurrimus; nunc in termino constituti, cum illo quoque quasi fessi de tam longinqua viâ consideamus, totam quasi uno oculorum conjectu simul relegentes.*

Liber (inquit ipse) *Chum yûm* de medio sempiterno, cum initium facit à naturâ, quam cælum homini indidit, docet nos, quòd illud rectè agendi principium sit à cœlo: Cùm verò agit in fine de supremi cœli virtute incorporeâ, indicat quomodo contendere debeat vir perfectus, ut ad eam, quam à cœlo accepit puritatem & innocentiam, pertingat. Quod ut consequatur, primùm quidem necessarium est, ut attendat ipse sibi, sollicitè & circumspectè se gerat, etiam in his, quæ sub aliorum sensus non cadunt: sic enim medium tenebit beatus. Ubi verò per hoc in seipsum invigilandi exercitium primævam puritatem & innocentiam consecutus fuerit, tum demùm paulatim poterit supremam illam ac reconditam subtilissimæ & unicæ virtutis excellentiam obtinere.

Hæc Colaus. Cui viro tametsi plurimum tribuant & laudis & authoritatis Scholæ Sinenses; sic tamen existimo, quòd multò plus lucis, & apud ipsos quoque Sinas multò plus & applausûs & authoritatis ab Interprete Europæo, vel Sinensi Christiano accepturus fuisset Confucius, *suâ brevitate plusquam Laconicâ obscurus, quam acceperit ab homine Ethnico, & altiorum veritatum ignaro: qui ut erat Principis, seu futuri mox Imperatoris Magister, unum sibi scopum præfixit, Principis sui ad rectè feliciterque gubernandum institutionem politicam: adeoque non rarò vim facit ipsi textui, & ea quæ nubes ac sydera transcendunt intra limites terreni Imperii, arctosque Regii Palatii cancellos concludit. Atque hic est demùm*

prægrandis ille mons ſapientiæ & ſanctitatis, quem olim in hoc Sinarum Orbe tanto ſtudio & labore Magiſter extremi Orientis Confucius *in altum educere nequidquam molitus fuit; erat enim ſublimior humanis viribus ſubſtructio, & naturæ noſtræ, divinæ gratiæ auxilio deſtitutæ, nequaquam ſuperabilis: adeoque ſub extremum vitæ ſpiritum cygnæa voce non immeritò querebatur, montem ſuum (vel montis ideam potiùs) corruere; & conatus ſuos ac ſpes rerum tantarum cum ipſo Imperio, quod eodem quoque tempore ruinam minabatur, collabi.*

Finis explanationis Libri Chum yûm

Digitized by Google

SCIENTIÆ SINICÆ

LIBER TERTIUS.

Lún Yú Ratiocinantium Sermones.

VERSIO LITTERALIS
unà cum explanatione.



LIBER hic numero tertius eſt, inter *ſú xũ*, ſive quatuor libros primæ apud Sinas auctoritatis, & qui maximè teruntur manibus omnium. Diſtinguitur in decem *kiúen*, id eſt, partes, ſeu capita; continetque ſententias atque apophtegmata moralia tum à *Confucio*, tum ab hujus diſcipulis non uno tempore vel loco prolata: quod ipſum libri quoque titulus *Lún yú*, quaſi dicant, Ratiocinantium ſeu philoſophantium inter ſe ſermones, non obſcurè declarat.

Digitized by Google

PARS PRIMA.

Fol. 1. pag. 1. §. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Operam dare imitationi[3] ſapientum, &[4] aſſiduè[5] exercitare[6] ſeſe in hujuſmodi ſtudio imitandi, [7]nonne[8] olim [9]delectabile[9] erit? Quaſi dicat: ſuæ principiis ferè omnibus difficultates inſunt ac ſpinæ; verumtamen ſi devoraveris iſtas magno animo viceriſque, tu quiſquis ſectator es virtutis ac ſapientiæ, ſi exemplis ſimul ac documentis virorum ſapientum ob oculos tibi poſitis conſtantiam junxeris cum labore, planè fiet ut recuperatâ paulatim claritate & integritate primævâ naturæ noſtræ, inſignis etiam facilitas atque peritia ſequatur tuam exercitationem, delectatio verò peritiam & facilitatem.

§. 2.

POSTQUAM autem te excolueris tam feliciter hujuſmodi cum labore & conſtantiâ, ſi dentur[1] tunc ſectatores & amici[2] è[3] longinqua[4] regione[5] adventantes[6], conſulturi te, atque in diſciplinam tuam tradituri ſeſe, famâ ſcilicet virtutis ac ſapientiæ tuæ excitati, [7]nonne[8] tum multò etiam vehementiùs lætaberis[9], & prodes omnino ſenſum hunc exultantis animi tui?

Pag. 2. §. 1.

VERÙM ſi planè contrarium acciderit, & cùm talis ac tantus ſis, ab hominibus[1] tamen ſi [2]ignoreris[3], nemo te conſulat, ſuſpiciat nemo; tu interim[4] hanc ob cauſam non[5] affligaris nec indigneris[6]; quippe contentus iis quæ tibi ipſe peperiſti, & poſſides ſecurus; nihil autem de his quæ extra te, alienique ſunt arbitrii, laborans; [7]nonne[8] perfecti[9] viri[10] conſummatæque virtutis hoc erit?

§. 2.

DISCIPULUS *Yeù*[1] *çù*[2] ait[3]: Quempiam[4] eſſe[5], ſive dari hominem[6], qui domi quidem obtemperet[7] parentibus, & debitis obſequiis officiiſque proſequatur[8] majores natu, & tamen[9] foris gaudeat[10] adverſari[11] legitimis Magiſtratibus[12], profectò rarum[13] hoc eſt atque inuſitatum. Rurſum non[14] gaudere[15] quempiam adverſari[16] Magiſtratibus[17], &[18] eundem tamen gaudere[19] ſeditiones[21] ac turbas excitare[20], & perturbare Rempublicam adhuc quidem non[22] accidit[23];

Digitized by Google

seu visum est & auditum quidpiam hujusmodi.

§. 3.

SUPERIOREM doctrinam confirmaturus idem *Yeù çù*, Vir[1] perfectus[2], inquit, impensiori quodam studio[3] vacat principali[4], sive ei quod quavis in re præcipuum est, & radicis ac fundamenti instar: etenim principali[5] bene[6] constituto ac confirmato, mox[7] inde virtutis officiique[8] lex ceu ex radice firma vividaque prognascitur[9] & succrescit feliciter atque efflorescit: sic privata singulorum, quam dixi, erga parentes suos pietas[10] & obedientia, amorque & observantia erga fratres[11] majores natu, hæc[12] (inquam) duo sunt[13] operum[14] pietatis erga communem quoque patriam, atque observantiæ erga legitimos Magistratus, adeoque publicæ pacis & tranquillitatis radix & fundamentum[15].

F. 2. p. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: ubi compta[3] est oratio[4], & blanda[5] oris[6] species, ibi parum[7] est probitatis[8]. Id est, qui affectatâ quapiam affabilitate, seu blanditiis nescio quibus, lenociniisque verborum, ad hæc, specioso totius oris habitu ad humanitatem scilicet benevolentiamque mirè composito conciliare sibi student hominum voluntates, necnon famam virtutis ac sapientiæ; parùm interim soliciti ut suæ fronti, oculisque & sermonibus cor ipsum respondeat; hominum hujuscemodi rarus est vel nemo potiùs qui veram cordis virtutem obtineat.

Pag. 2.

DISCIPULUS *çem*[1] *çù*[2] ait[3]: Ego[4] quotidiè[5] de tribus[6] maximè rebus examino[7] me[8] ipsum[9] & rationem exigo; an scilicet pro[10] homine[11] quopiam negotium tractandum[12] susceperim, &[13] non[14] tractaverim illud ac conatus sim conficere eâ quâ par erat cum fide & contentione[15] animi, nec ita prorsus ac si mea res ageretur & non aliena: an cum[16] sodalibus[17] & amicis[18] meis familiariter & amicorum more agens[19], tamen[20] haud[21] egerim eo candore eâque fide[22] quâ oportebat agi, contentus inani quâdam specie benevolentiæ observantiæque, & mendacio veriùs amicitiæ quàm amicitiâ. Denique an doctrinam mihi[23] traditam à Magistro meo non[24] recoluerim[25], eamque exercitaverim[25] impigrè & constanter.

F. 3. p. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Ut quispiam feliciter administret[3] mille[4] quadrigarum[5] regnum[6], (quod utique difficile est tranquillè ac feliciter administrare) quinque sunt inprimis necessaria. (De Re-

gulis hîc agit *Confucius*, quorum ſinguli quadrigas omnino mille tenebantur habere in promptu, & quotieſcumque juſſiſſet Imperator in aciem producere.) Primùm ſolicitè[7] conſideratèque tractet res[8] omnes ditionis ſuæ : nihil, quamvis parvi momenti videatur eſſe, putet ab ſe poſſe negligi ; memor ex una Principis inconſideratione provenire non rarò calamitates, quæ & ampliſſimam ditionem & multis quidem ſæculis affligant. Deinde[9] colat[10] fidem ac veritatem, ſibique perſuadeat hanc eſſe pretioſiorem gemmam coronæ ſuæ. Veri ſint igitur & ſine ambiguitate ſermones ejus, adeoque latentis in animo ſententiæ non dubii ſemper indices : maximè verò in decernendis vel præmiis vel ſuppliciis ſectetur id quod æquum eſt juſtumque : ſic fiet ut ſubditi viciſſim quævis imperata faciant, & quidem alacriter & cum fide faciant. Tertiò largitiones moderetur[11] ac ſumptus[12], inutiles ſuperfluoſque tollens : ſic namque in ærario regio totoque regno opum ſemper affatim erit. Item[13] amet[14] homines[15] ſibi ſubditos paterno prorſus affectu, opitulando omnibus, quos vel orbitas ac ſolitudo, vel inopia & fames, aliique caſus aut ærumnæ affligunt : ſic enim ſubditi viciſſim filiorum inſtar Principi ſuo morem gerent, eumque ſic verebuntur ut etiam diligant. Denique ſi quando ſubditorum manus atque opera poſcatur ad extruenda vel reſtauranda opera publica, imperet[16] hæc ſubditis[17] opportuno[18] tempore[19] ; quo ſcilicet ruri paſſim vacatur, non eo quo ſementis illos, vel agricultura, vel meſſis occupat : hoc pacto frugum atque alimentorum copia plerumque ſuppetet ; operaque publica ſine publico detrimento alacriter perficientur.

P. 2. §. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2] : Fratres[3] natu-minores[4] ac filii-familias[5] ſi intrò ſeu domi ſuæ degunt, tum quidem[6] obediant[7] ſerviantque parentibus quantâ poſſunt contentione tam animi quàm corporis : ſi autem verſantur foris[8], tum[9] obſervent majores-natu[10] propinquos ſuos & conſanguineos, cives item ac populares, iiſque ſua præſtent obſequia : ſi quid operis negotiique ſuſcipiant, conſtantiam afferant[11], cœptaque perficiant, proinde maximè ſemper attendant principio & fini cujuſque operis ; atque adeo[12] veraces[13] ac ſinceri[13] quoque ſint, ſibique conſtent in operibus ſuis : amplo[14] quodam & univerſali[14] amore[15] diligant omnes[16], cum omnibus pacem colant ; ſic tamen[17] ut arctiori quodam vinculo benevolentiæ[18] & familiaritatis[18] jungantur optimis[19] quibuſque viris & probatiſſimis[19] : & hæc quidem ſunt adoleſcentum officia, maximè neceſſaria ; quibus exactè præſtitis[20] ſi [21]ſuppetat[22] eis pauxillum otii ac virium[23], tum laudabiliter[24] adhibebunt illas[25] in addiſcendis[26] litteris[27], & mandandis memoriæ priſcorum Sapientum Majorum noſtrorum odis, quibus egregia

Digitized by Google

gia planè documenta cujuſvis ætatis inſtitutioni, ſed inprimis adoleſcentiæ, perappoſita continentur.

§. 2.

DISCIPULUS *çù*[1] *hiá*[2] ait[3]: Si delectetur[4] quis viris probis ac ſapientibus[5] ſic ut commutet[6] & quaſi transferat in hos amorem quo ferri ſolet in res viſu[7] pulchras[7] ac delectabiles[7]: id eſt, ſi cum eo impetu atque ardore amoris appetat adoleſcens virtutem ac ſapientiam, quo ætas iſta plerumque rapi ſolet ad oblectamenta ſenſuum. Item in præſtando[8] probi filii officio[8] tam erga patrem[9] quàm matrem[10], ſi valeat[11], ſeu velit & conetur exhaurire[12] ſuas[13] vires[14]: ad hæc, ſi debita ſubditi officia[15] ſic præſtet adverſus ſuum Regem[16] aut Principem, ut valeat[17], ſive non dubitet exponere[18] propriam[19] quoque perſonam[20] ac vitam quotieſcunque res ita poſtulaverit. Denique cum[21] ſodalibus[22] & amicis[23] ſuis vivens familiariter[24] ſi tales inſtituat ſermones[25], ut[26] ubique locum habeat[27], ſeu eluceat fides[28] ipſius ac veracitas; quiſquis hujuſmodi fuerit, tametſi[29] fortè ſint qui dicant[30] eum necdum[31] ſtuduiſſe[32], ego[33] certè ſemper[34] & ſentiam & dicam[35] ſtuduiſſe[36], & præclarè quidem eſſe doctum. (Non vult *çù hiâ* angi animo vel affligi adoleſcentes illos, quibus à domeſticis officiis & curis tuendæ vitæ, quod apud homines tenuioris fortunæ non rarò uſuvenit, nihil eſt vacui temporis quo litteris dent operam: obtineant modò ipſi ſedulòque exerceant virtutes illas, quarum gratiâ potiſſimùm litteræ diſcuntur, diſci certè quidem par eſt; cenſebuntur enim, quamvis rudes litterarum fuerint, non ipſis tantùm litteris, ſed etiam ſapientiâ, quæ perpetua virtutis comes eſt, feliciter inſtructi.)

F. 4. *p.* 1. §. 1.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Probus[3] vir[4] ſi idem non[5] ſit vir admodùm ſerius, habeat quoque cordi exteriorem geſtuum motuumque omnium moderationem & gravitatem[6], quæ auctoritatis ac reverentiæ conciliatrix eſt; ſed è contrario gaudeat incompoſitè vagari, & jocis nugiſque indulgere; profectò[7] non[8] habebit inter ſuos auctoritatem[9], quin imò deſpicabilis iiſdem reddetur, & ſcientias[10] ac diſciplinas, quas tanto ſtudio & labore acquiſivit, ſanè[11] non[12] diu conſervabit[13].

§. 2.

ABSIT tamen ut ſolâ contentus exteriori compoſitione, de interiori, quæ longè præcipua eſt, minùs laboret: quin imò primum[1] præcipuumque ipſius ſtudium poni debet in cultu & compoſitione ipſius animi, tametſi non cadat ſub oculos aſpectumque hominum: nihil igitur æquè ſit cordi, ut cordis[2] ſinceritas ac fides[3].

Digitized by Google

P. 2. §. 1.

NE[1] contrahas[2] amicitiam ac familiaritatem cum quopiam qui sit [3]deterior[4] quàm sis tu[5] ipse; quippe damno tibi futuram, non usui: imò quos te meliores esse viros cognoveris, hos sectare, his jungere.

§. 2.

MEMOR interim conditionis humanæ, quæ imbecillis est pronaque in lapsum, & peccare facilis; si te peccare[1] contigerit, tum[2] quidem ne[3] timeas[4] dubitesve corrigere[5] quod peccatum est, & cum nisu quoque ac labore surgere, perruptis generosè vinculis ac difficultatibus, quibus impediri te sentis ac deprimi.

§. 3.

CEm[1] çù[2] ait[3]: Qui Rempublicam gubernant, ac cæteris exemplo suo prælucere debent, siquidem exacti[4] sedulique fuerint in observatione rituum funebrium, quando contigerit parentes eorum vitâ[5] fungi; tum verò lugentis animi sensu, necnon splendore quodam & apparatu justa illis persolvendo, renovent[6] item piam illorum memoriam[6], & annuos ritus atque parentalia, quamvis à multo tempore[7] jam diem[7] obierint, fiet sanè ut extenuata jam lapsu vitioque temporum populi[8] virtus[9] (quod ad pietatem observantiamque filialem spectat) restituatur[10] pristino suo vigori atque amplitudini[11]; & subditi omnes ad exemplum eorum qui magistratum gerunt, se componant. Tacitè nonnullos hîc arguit, qui in parentum suorum funere parcebant sumptibus, tametsi lamentis lacrymisque non parcerent.

F. 5. *p.* 1. §. 1.

DISCIPULUS çù[1] kin[2] quærit[3] ex[4] condiscipulo çù[5] cúm[6], dicens[7]: Magister noster [8]*Confucius*[9] accedens[10] ad[11] aliquod[12] regnum[13], haud[14] dubiè mox cognoscit[15] quænam sit illius[16] regni administrandi ratio[17]: quæro nunc abs te, num eam ipse ab Rege vel ab alio quopiam exquirit[18] curiosus? an[19] fortè Rex eam ultrò[20] communicat cum ipso?

§. 2.

Cù[1] cúm[2] respondet[3]: Magister noster [4]*Confucius*[5] suâ illâ facilitate[6] morum ac suavitate[6], ad hæc mansuetudine[7], necnon observantiâ[8] reverentiâque eorum quibuscum agit, prudenti item moderatione[9], modestiâ[10] submissioneque animi, his[11] inquam pulcherrimis artibus, cùm Optimatum Regumque sibi gratiam & benevolentiam

Digitized by Google

pariat, ac penitus irrepat in eorum ſenſus ac voluntates, hoc aſſequitur[12], ut ab eis non ultrò tantùm de adminiſtratione Reipublicæ edoceatur, ſed ſtudiosè etiam conſulatur. Quæro nunc igitur viciſſim abs te, hæc ars induſtriaque [13]Magiſtri[14] noſtri, & indagandarum[15] rerum[15] modus, hic[16] nonne diverſus[17] eſt ab[18] eo quo homines[19] vulgò quæ ſecreta ſunt indagant[20] & exquirunt?

P. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Ut certi quidpiam cognoſcas, ac tecum ipſe ſtatuas de obedientia filii-familias, primùm quidem dum pater[3] ſuperſtes[4] eſt, obſerva[5] quò maximè propendeat ipſius[6] pueri animus, quò ſtudia[7] ferantur: quid agat autem, non eſt quòd curioſiùs obſerves; quippe cùm tunc non ſit juris ſui atque arbitrii, aget utique quod juſſerit pater quamvis invitus ac nolens: verumtamen ubi jam pater[8] è vivis[9] exceſſerit, tum ſcilicet obſerva[10] quid ipſe[11] filius agat[12], quam ſuſcipiat vivendi rationem. Certè per tres[13] annos[14] ſi is non[15] immutaverit[16] [17]paternum[18] rectè vivendi[19] inſtitutum, (nam ſi pater ab eo quod rectum & honeſtum eſt aberravit, haudquaquam putet filius paternis ſe veſtigiis inſiſtere oportere, *inquit Colaus*) tunc ſanè poterit[20] nuncupari[21] obediens.

F. 6. p. 1. §. 1.

DISCIPULUS *yeù*[1] *çù*[2] ait[3]: Sicut toleranda non eſt juris[4] officiique violatio, ſic in officiorum uſu[5], & dum jus aliquod exigitur, placabilitas[6], moderatio & longanimitas[6] obtinent[7] primum[8] locum. Ex priſcorum[9] quidem Regum[10] ſententia[11] atque inſtituto in hujuſmodi[12] moderatione atque humanitate conſtituebatur[13] omnis decor[14] atque venuſtas officiorum, & quaſcunque tractabant illi res minores[15] majoreſve[16], omnes inde[17] procedebant: omnia omnino tam prudenti atque amabili ſuavitate condiebant ac temperabant, adeoque ad optatum quoque finem feliciter perducebant.

§. 2.

EST[1] hîc tamen quod[2] prudenter non[3] facias[4], ſive quod vitare te oporteat, velut extremum quoddam ab aureâ mediocritatis regulâ aberrans: ſi videlicet perſpectam[5] habes regiam illam plenamque humanitatis & clementiæ facilitatem[6], quot item quantaſque utilitates afferre ſoleat, jamque adeò exarſeris illius exercendæ deſiderio; verumtamen[7] illam facilitatem[8] non[9] ſecundùm[10] regulas[11] officiorum[12] quæ uniuſcujuſque ſunt propria, moderaris, peccabis identidem; adeoque eſt hîc quod utique[13] non[14] conveniat[15] facere[16]. Vult nos, dum comitatem beneficentiamque exercemus, cum judicio, conſideratè conſtanterque exercere; non autem temeritate quadam,

ſine judicio vel modo erga omnes, vel repentino quodam quaſi vento, impetu animi concitatos.

P. 2. §. 1.

IDEM *yeù*[1] *çù*[2] ait[3]: Promiſſum[4] pactumve quo te alteri obſtrinxiſti, ſi accedit[5] ad[6] juſtitiam[7], ſive non alienum ſit ab æquitate & honeſtate; verbo[8] tuo par[9] erit te[10] ſtare & præſtare datam fidem. Verùm ne cogaris aliquando vel fidem fallere, vel certè violare juſtitiam, ante omne pactum omnemque ſponſionem diligenter examina, juſtitiæ-ne conſentanea ſint. Rurſus comitas atque obſervantia[11], quibus alios ipſe proſequeris, ſi appropinquent[12] [13]officiis[14], id eſt, ſi conjungantur cum ea moderatione ac prudentiâ quam ratio officiorum cuique debitorum flagitarit, procul[15] amovebis abs te ruborem[16] & probrum[17]; nec erit periculum, ne vel importunus atque ineptus eſſe videaris dum exceſſu peccas, vel agreſtis aut ſtolidè ſuperbus dum peccas defectu. Denique ad amicitias quod attinet ac patrocinia[18], quibus nitare, eos viros haudquaquam[19] neglige[20], quos ſua[21] ſpectata fides ac probitas amore[22] dignos reddit, quibus adeò[23] poſſis[24] uti[25] patronis ac defenſoribus in omni caſu ac fortuna.

§. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Quiſquis eſt virtute[3] præditus[4], dum potu[5] ciboque[5] reficitur, non[6] hoc[7] agit ut ſaturetur[8] oppleatque ſe & ingurgitet[8], ſed ut vivat vireſque reficiat: in ædibus[9] etiam quas habitat[9], non[10] ſectatur[11] impenſiùs vel commoda[12] ſua vel delicias. Ad hæc impiger[13] ac ſedulus eſt in[14] obeundis[15] negotiis, &[16] cautus ac prudens[17] in[18] verbis[19]: & talis cùm ſit, haudquaquam tamen ſibi vel placet ipſe vel fidit, ſed ultrò[20] adit & ſtudioſè ſectatur viros ſapientiâ[21] præditos ac virtute[22], &[23] horum conſiliis & exemplis ceu regulâ quâpiam dirigitur[24]. Revera quiſquis eſt hujuſmodi, poteſt[25] dici[26] [27]Philoſophus[28]; & hoc ſufficit ut talis dicatur.

F. 7. *p.* 1. §. 1.

DISCIPULUS *çù*[1] *cúm*[2] percunctans[3] à *Confucio*, ait: Si quiſpiam ſit pauper[4], & [5]tamen ſublevandæ paupertatis gratiâ haud[6] adulet[7] cuipiam; divitiis[8] affluat, nec[10] tamen[9] extollatur[11] ſuperbiâ, de hujuſmodi[12] quid cenſendum[13], ô Magiſter. *Confucius*[14] reſpondet[15]: Suâ dignus laude[16] eſt is quidem, non is tamen qui impleverit numeros omnes veræ laudis veræque virtutis; adeoque necdum[17] comparandum[18] cum eo qui pauper[19] ſit, &[20] ſuâ illâ paupertate contentus gaudeat[21]; dives[22] ſit, &[23] tamen gaudeat[24] officiis[25]; manſuetè ſcilicet moderatèque ſe gerens, ſine faſtidio vel arrogantiâ, & in omnibus obtemperans rationi.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

DISCIPULUS *çù*[1] *cúm*[2] accepto hoc responso mox ait[3]: Antiquo poëmate[4] dicitur[5]: Ceu[6] cædens[7], ceu[8] limans[9] ossa; ceu[10] scalpens[11], ceu[12] poliens[13] lapillos: quod igitur modò factum est abs te, ô Magister, dum propositas à me virtutes ceu lapides pretiosos, sed etiamnum rudes quodammodo expoliviſti; nonne est[14] hoc ipsum[15] quod isto carmine significatur[16]?

P. 2. §. 1.

CONFUCIUS[1] hîc collaudans suum discipulum ait[2]: O mi *Sú*[3] (vulgare nomen est ipsius *çù cúm*) nunc[4] primùm potero[5], sive audebo tecum[6] agens, citare[7] Priscorum carmina[8] atque auctoritates quamvis explicatu difficiles: video namque te valere ingenio, qui simul atque ego proposui[9] hanc[10] modò memoratam[11] sententiam meam, Priscorum auctoritate sanè propositâ significasti id quod feceram, & simul[12] assecutus[13] es quæ ipse nondum[14] profatus eram.

§. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Non[3] angatur[4] quis instructus verâ virtute, verâque philosophiâ, nec cruciet sese quòd homines[5] haud[6] eum[7] norint[8]; adeoque nec operâ ipsius & eximiis talentis utantur, maximè cùm hoc sit libertatis arbitriique alieni: sed angatur[9] potiùs & affligatur quod ipsemet non[10] perspectos[11] habeat homines[12], uti par erat habere; adeoque facilè possit in eorum delectu ad amicitiam aliaque officia errare; nec sciat quos fugere, quos sectari conveniat.

F. 8. *p.* 1. §. 1.

CONFUCIUS[1] ait:[2] Quisquis[3] regit[4] cum[5] virtute[6], præclaro subditis suis exemplo constanter prælucens, planè est[7] instar[8] septemtrionalis[9], id est polaris stellæ[10]: ipsa persistit[11] suo[12] propè immota loco[13], cùm[14] interim reliqua[15] omnia quæ perenni motu circumaguntur sidera[16] illam respiciant[17].

§. 2.

CONFUCIUS[1] ait[2]: Odæ[3] trecentæ[4], sive doctrina quæ trecentis priscorum Sapientum odis continetur, unico[6] verbo[7] totæ comprehenduntur[8], dum dicitur[9]: Nostra mens omnis & cogitatio[10] sit absque[11] ulla pravitate[12]; quippe si id quod turpe vel iniquum est, ne primâ quidem cogitatione delibamus, multò minùs illud reipsa factove aliquando suscipiemus.

P. 2. §. 1.

CONfucius[1] ait[2]: A Rege aut Gubernatore si dirigantur[3] subditi, atque in officio contineantur per[4] solas leges[5]; qui has tamen non observarint, nihilominus in officio[6] contineantur per[7] terrores atque supplicia[8]: populus[9] tunc quidem servili metu compulsus abstinebit[10] sese à delictis gravioribus; sed[11] profectò more improbi cujusdam servi, sine[12] pudore[13] scilicet ac vero criminum odio; atque adeò non diu in officio persistet: persistet enim violenter & timore magistro, qui utique malus officii magister est.

§. 2.

CONTRA verò si regas[1] ac dirigas illos per[2] unam ferè virtutem[3], virtutis ipsemet omnibus exemplum, ad hoc proculdubio se component omnes: & quoniam non est eadem conditio omnium, neque esse par virtus potest; tu siquidem prudentiâ atque humanitate tuos contineas[4] si modereris[5] subditos per sua quemque officia[6], atque ita socies[7] omnes vinciasque, planè fiet ut teneantur ipsi non modò ingenuo quodam pudore[8] metuque filiali ne peccent; sed[9] ultrò quoque & alacriter ad omnem virtutis laudem contendent[10] atque pervenient.

F. 9. *p.* 1. §. 1.

CONfucius[1] ingenuè suis exponens quos in philosophiæ studio progressus ætate procedente fecerit, ait[2]: Cùm mihi[3] decem[4] essent[5] & quinque[6] ætatis anni, protinus[7] applicui[8] animum ad[9] perdiscenda[10] majorum virorum instituta sive philosophiam.

§. 2.

ANNOS triginta[1] natus jam[2] constiti: eas inquam radices egeram ut consisterem[3] firmus in suscepto virtutum sapientiæque studio, neque res ulla extra me posita avocare animum meum ab illo posset.

§. 3.

QUADRAGENARIUS[1] jam[2] non[3] hæsitabam[4] ampliùs: evanuerant dubiorum nubila: connaturales enim rerum convenientias habebam perspectas, & quid singulis inesset perfectionis vel imperfectionis, intelligebam.

§. 4.

QUINQUAGENARIUS[1] protinus[2] cognovi[3] cœli[4] providentiam[5] atque mandatum[6], & suam rerum singulis à cœlo inditam esse

Digitized by Google

naturam, vim, rationem; cujus adeò naturæ perſcrutabar ipſe perfectionem ac ſubtilitatem; indagabam quoque originem, & quæ tandem illius eſſet cauſa, intelligebam.

§. 5.

SEXAGENARIO[2] mihi jam[3] aures[4] erant faciles[5] & ſecundæ[6], expedita ſcilicet ac peracuta vis intelligendi, & aſſiduis tot annorum ſtudiis & exercitationibus excultus animus, optimiſque præceptis & diſciplinis imbutus, ſic ut facilè clarèque perciperem quidquid alii vel diſputarent, vel ipſe legerem.

§. 6.

AD extremum ſeptuagenarius[2] longæ meditationis[3] victoriæque mei ipſius beneficio ſequebar[4] quod[6] cor[5] meum appetebat[7]; nec[8] tamen excedebam[9] regulam[10], ſeu terminos tranſiliebam honeſtatis rectæque rationis, cui jam ſine luctâ moleſtiâve appetitus meus obtemperabat.

F. 10. *p.* 1. §. 1.

Mém[1] *y*[2] *çù*[3], unus Præfectorum regni *lù*, conſulit[4] *Confucium* de obedientia[5] quam filii parentibus ſuis debent, in quo ſcilicet ea conſiſtat? *Confucius*[6] reſpondet[7]: In hoc conſiſtit ut quis non[8] repugnet[9]. Hoc audito Præfectus abiit, exiſtimans fortaſſe dixiſſe Philoſophum quidquid dicendum haberet.

§. 2.

IGITUR *fân*[1] *chi*[2] diſcipulo eidemque aurigæ[3] ſuo *Confucius*[4] rem ſignificat[5] dicens[6]: *mém*[7] *ſûm*[8] (idem eſt qui *mém y çù*) quæſivit[9] de obedientiâ[10] ex[11] me[12], in quo illa conſiſteret? Eg[13] verò [14]reſpondi[15], Ut quis non[16] repugnet[17]. Quo audito, confeſtim abiit.

§. 3.

Fân[1] *chi*[2] ait[3]: Quis[4] obſecro ſenſus[5] eſt tui iſtius reſponſi, ô Magiſter? *Confucius*[6] declarans illud ſic ait[7]: Vivis[8] parentibus morem gerat ac ſerviat[9] filius debitis cum[10] officiis[11]: mortuis[12] ſimiliter juſta perſolvat, eoſque funeret[13] debito cum[14] ritu[15] atque apparatu: quotannis denique oblationes faciat ſive parentet[16] ſecundùm[17] rationem rituum[18] & officiorum funebrium. Hæc inquam faciat, & impleviſſe numeros omnes filialis obedientiæ cenſendus erit. Non igitur in hoc eam conſtituo, ut nunquam mandatis parentum ſuorum repugnent filii; (cùm evenire poſſit, ut hæc cum æquitate ac ratione pugnent, quibus adeò nequaquam ſit parendum; cùmque functis vitâ parentibus ſuus tamen adhuc obedientiæ & pietati locus

sit) sed ut nunquam pugnent peccentve contra officium quod à probo filio tam leges & instituta, quàm ratio ac natura ipsa pro conditione cujusque postulat. In regno *lù* tres Optimatum familiæ *mém sũn*, *xõ sũn*, & *kì sũn* tempestate illâ funebres Regulorum ritus usurpabant, quorum arrogantiam insolentiamque Philosophus hîc damnat.

P. 2. §. 1.

Mém[1] uù[2] pe[3], filius dicti *mém sũn*, quærit[4] ex *Confucio*, in quo consistat obedientia[5]? *Confucius*[6], qui non rarò dare consueverat apposita percunctantium moribus vitiisque responsa, ceu morbis sua pharmaca, respondet[7] in hunc modum: Pater[8] & mater[9] dumtaxat suorum[10] liberorum ægritudine[11] affliguntur[12]. Quisquis ergo laudem expetit filialis obedientiæ, caveat in primis ne libidine, vel intemperantiâ, similibusque vitiis vires ac valetudinem pessumdet, ac bonis parentibus si non acerbos luctus, graves certè curas afferat. Adolescens iste natus in copiosâ lautâque domo, cùm intempestivis epulis aliisque vitiis esset deditus, valetudinem ac vitam in discrimen adducebat.

§. 2.

Discipulus *çù*[1] *yeû*[2] quærit[3] item ex *Confucio*, in quo posita sit veræ obedientiæ[4] ratio? *Confucius*[5] respondet[6]: Hac[7] ætate nostrâ obedientes[8] vulgò hi[9] dicuntur[10], qui possunt[11] alere[12] parentes suos; sed profectò si nihil præterea requiritur, à brutis quoque animantibus obedientis nomen ac laudem petere quis poterit: quippe si agamus[13] de[14] canibus[15] & equis[16], hi quoque omnes[17] possunt[18] habere[19] qui eos alant[20]: atque adeò si[21] desit reverentia[22]; si inquam cura ista sustentandorum parentum non ab amore proficiscatur & honore filiali, ecquid[23] erit unde[24] petatur discrimen[25] inter sustentationem patris, & domestici canis vel equi?

F. 11. *p.* 1. §. 1.

Discipulus *çù*[1] *hiá*[2] similiter quæstionem[3] instituit de obedientia[4] filiali. *Confucius*[5] respondet[6]: Oris[7] alacritas, sive constans alacritas illa filialis obedientiæ quæ adeò in ipsa fronte totoque ore amantis ac reverentis filii reluceat, difficilis[8] est illa quidem, sed profectò nota propè certa veræ germanæque virtutis. Obsequia quippe domestica præstare filii vel inviti atque inobedientes possunt: uti cùm domi quidpiam est[9] faciendum[10], fratres natu[11] minores ac filiifamilias[12] utique subeunt[13] majorum loco id quod laboriosius[14] est: rursus cùm suppetunt[16] vina[17] & dapes[18], tunc[19] proculdubio tam parentibus quàm fratribus natu[20] majoribus natu minores officiosè ministrant

niſtrant[21] epulas; ſed[22] hi an[23] idcirco[24] ſtatim cenſeantur[25] obedientes[26] eſſe? Enimverò ſi non hæc promptè, conſtanter, & cum alacritate quâdam animi corporiſque præſtiterint, obedientiæ veræ nomen ac numeros haudquaquam impleverint.

§. 2.

CONfucius[1] ait[2]: Ego[3] cum[4] diſcipulo meo *hoêi*[5] diſſero[6] quandoque per totum[7] diem[8]; ille verò ſic me audit ut nihil[9] objiciat[10] unquam vel diſſentientis inſtar vel dubitantis, prorſus[11] ut ſtolidus[12] eſſe videatur, & qui nihil eorum quæ dicuntur capiat: verumtamen ubi à me receſſit[13], tunc[14] ego ſtudioſiùs hominem obſervans[15] examino quid is agat privatim, & ipſum[16] primùm quidem ſilentio[17] & per otium meditari quæ à me ſunt diſputata; deinde[18] verò ſic agere, ſic loqui, planè ut intelligam eâ facultate[19] inſtructum eſſe, ut[20] non modò perquam feliciter percipiat ac penetret omnia quæ doceo, ſed eadem rebus ipſis factiſque palàm exerceat ac manifeſtet[21]. Enimverò diſcipulus meus *hoêi*[22] haudquaquam[23] ſtolidus[24] aut rudis eſt.

P. 2. §. 1.

CONfucius[1] ait[2]: Probos ab improbis diſcernere ſæpe eſt difficillimum. Ut tamen diſcernas, primùm quidem obſerva[3] is[4], quem perſpectum vis habere, quid[5] agat[6] rerum ac moliatur: improbi namque ferè committunt quæ iniqua ſunt ac turpia; probi verò quæ cum honeſtate juſtitiaque ſunt conjuncta: ſed quoniam hæc non ſunt omnino certum probitatis argumentum,

§. 2.

PEnitiùs inſpice[1] & conſidera attentiùs operis cujuſque finem; ipſi[2] quo[3] animo[4] ſcilicet quove conſilio quæ honeſta juſtaque ſunt faciant; quippe ſi fictè ſimulatèque, ſi pravo perverſoque conſilio, quamvis optima ſint quæ agunt, probi tamen cenſeri, quando ſic agunt, haudquaquam poterunt.

§. 3.

SEd neque hîc conſiſtere poterit quiſquis errare non volet: erit illi procedendum ulteriùs & exquirendum[1], is[2], qui probus eſſe videatur, in[3] quo, ſive quibus in rebus ſtudiiſve conquieſcat[4]: ſi enim quæ facit, cum fide juſtitiaque, quæ item bono fine atque conſilio, parùm tamen volens & quaſi per vim coactuſque faciat, ſic ut animus ipſius non ex ipſa virtute vel honeſtate operis, ſed aliunde quietem ſuam & oblectamentum petat; certè nec conſummata dici poterit probitas illa, nec eſſe, qualiſcunque tandem fuerit, diuturna.

Digitized by Google

§. 4.

PORrò ſi quis uſus fuerit hujuſmodi animadverſione atque examine, eum homines[1] quo[2] pacto lateant[3]? eum homines[4] quo[5] pacta lateant[6]? quomodo non perſpectos habeat? facilè profectò, ac citra periculum erroris, probos ab improbis, à vitio virtutem diſcernet.

F. 12. *p.* 1. §. 1.

CONfucius[1] ait[2]: Si quis aſſiduè recolat[3] exercitetque vetera[4], ſive ea quæ memoriæ quondam mandavit ac didicit, atque[5] hoc modo per ſe aſſequatur identidem, ſive deducat[6] nova[7] (uberes quippe ſunt atque inexhauſti fontes Veritatis atque Philoſophiæ) [8]poterit[9] is ad inſignem quandam doctrinam pervenire & evadere[10] magiſter[11] aliorum.

§. 2.

CONfucius[1] ait[2]: Perfectus[3] vir[4] non[5] eſt vas[6], ſive non eſt vaſis atque inſtrumenti inſtar, ad unum alterumve dumtaxat uſum accommodatus; ſed cùm ſit inſtructus copiâ quâdam atque amplitudine variarum dotum, idoneus eſt ad res quamvis magnas multaſque perficiendas.

Diverſo quondam ſenſu Confucius, *cùm in avitam Regum aulam eſſet ingreſſus, ac vas quoddam videret jam inclinatum pronumque in caſum, ſuſpirans, Vas (inquit) vacuum, vas item redundans liquore inverti facile eſt; vas ſemiplenum tutò rectèque conſiſtit. Aderat hæc dicenti* çù lú *diſcipulus; explanari ſibi petit ſententiam. Tum* Confucius: *Si Rex (inquit) vel à virtute ſit vacuus, vel præfidentiâ quâdam ſuperbiâque plenus & quaſi redundans, erit is in quævis mala prolabi facilis, regnumque unà cum ſuo Principe proclive in ruinam. Contrà verò ſi Rex egregias naturæ ſuæ dotes optimis quoque diſciplinis ac ſcientiis exornarit, nec tamen uſquequaque placeat ſibi, memor, multa cùm ſciat, plura tamen ab ſe ignorari; quamvis item multa exiſtant merita ſua, virtutes multæ, ſemper tamen laudes alienas poſthabeat propriis; opibus denique & potentiâ quantumvis valeat, ſic tamen ſe gerat, quaſi mediocria ſint omnia: cum hac prudentia & moderatione magnitudineque animi quiſquis regnabit, regnabit ſecurus, ibitque medio tutiſſimus, & eximia naturæ fortunæque dona, quæ multis ſolent eſſe fraudi, ipſi gloriæ atque emolumento erunt.*

§. 3.

DIſcipulus *çù*[1] *cúm*[2] quærit[3] ex *Confucio* de viro[4] perfecto[5] cujuſmodi nimirùm ſit. *Confucius*[6] reſpondet[7]: Talis eſt ut priùs[8] re[9] ipſa factiſque [9]compleat ſuos[10] ſermones[11] quibus inſtituere deſiderat

alios, ac[11] deinde[13] ſua ipſius facta & exempla proſequatur[14] alios inſtituendo. Verbo, primùm agit, tum docet. Facundum naturâ ſtudioque diſcipulum, atque adeò copioſiori ſermocinatione quandoque peccantem tacitè reprehendit Philoſophus.

§ 4.

CONfucius[1] ait[2]: Probus atque perfectus[3] vir[4] amplitudine quâdam charitatis ac beneficentiæ, quâ de omnibus bene mereri deſiderat, & communem generis hominum conciliationem & conſociationem colere ac tueri, univerſalis[5] eſt &[6] non[7] particularis[8]. Contrà verò improbus[9] ac vilis[9] abjectique[9] animi homo[10] particularis[11] eſt, privatis affectibus ducitur, amicitiam fœneratur, & beneficia ſua meritaque privatis emolumentis & commodis ſeu pretio quodam ſordidè divendit; adeoque[12] non[13] eſt univerſalis[14].

Doctrinam hanc & ſimul amplitudinem charitatis ſuæ memorabili quadam ſententiâ declaravit aliquando Confucius: *audito namque fuiſſe militem è regno* çî, *qui amiſſum fortè ſcutum cùm diu fruſtra quæſiviſſet, tandem ſolaturus ſe de jactura ſua his verbis uſus fuerat:* Regni çi homo, ſive ſubditus, ſcutum quidem perdidi, ſed proculdubio ejuſdem regni çi homo, ſive commilitonum meorum aliquis, perditum obtinuerit. Confucius *ad hæc inquit: Dixiſſet multò meliùs ac laudabiliùs ſiquidem dixiſſet*, Homo ſcutum quidem perdidi, ſed & homo perditum obtinuerit: *hoc pacto charitatem militis ab anguſtiis vel caſtrorum vel patriæ ad amplitudinem generis humani traducens.*

P. 2. §. 1.

CONfucius[1] ait[2]: Exercitationi[3] totum ſe dedens, &[4] non[5] meditationi[6], utique[7] ludet[8] operam: meditationi[9] totum ſe dedens, &[10] non[11] exercitationi[12], utique[13] errori & confuſioni[14] obnoxius erit. Quiſquis enim ſtudet ac diſcit quidem exercitatque ſeſe, ſed non aſſiduè meditatur ac recolit & quaſi ruminat ea quæ didicit, nihil exactè ſolidèque perdiſcet, ſed cum perpetua quadam ruditate & quaſi caligine luctabitur. Rurſum quiſquis vel deſidiâ vel præfidentiâ quadam ſui occupatus, & nec libros conſulens nec Magiſtros, ſterili otioſæque tantùm contemplationi rerum, & non exercitationi, dat operam, is nihil ſanè aſſequetur præter umbras rerum & inanes ac ſæpe falſas imagines, nec in ſolida quapiam tutaque doctrina conquieſcet, ſed periculum erit ne in errores alios atque alios identidem prolabatur.

§. 2.

CONfucius[1] item ait[2]: Quiſquis operam[3] dat peregrinis[4] ac diverſis à doctrina Sanctorum dogmatibus[5], eiſque temerè inſtituit

alios; hujuſmodi novator citò pernicioſus erit tam ſibi quàm Reipublicæ.

Colaus hoc loco quatuor ſectas enumerat, & Sinicas (ut ita loquar) hæreſes; quas quoniam tam ipſe quàm alii Interpretum verbis ſanè gravibus condemnant, operæpretium fuerit de cenſuris eorumdem pauxillum hîc delibare. Sic igitur ait: Lex & diſciplina, quæ diverſa eſt ab ea quam Sancti nobis tradiderunt, hæreſis vocatur, cujuſmodi ſunt eæ quarum principes extiterunt *yâm & mè*, & quæ ætate noſtra vulgò *taó kiá*, & *fe* nuncupantur. (fe *idoli nomen eſt ex India in Chinam importati; quod & Japones, ſed alio nomine*, xaca *ſcilicet, venerantur. Hæreſiarchæ* yâm & mè *vixerunt annis circiter ſexcentis ante Chriſtum, imperante familiâ* cheu, *atque in occaſum jam declinante. Prioris error hic erat: Satis ſuperque eſſe ſibi ſuarum cuique rerum curam, alienis haudquaquam implicari oportere; adeoque nec in Rempublicam, nec in Principem & Magiſtratus, nec in parentes ipſos quidquam vel ſtudii, vel operæ, vel facultatum conferri. Diſſociabat itaque genus humanum improbus, atque orbem terræ in ſolitudinem redigens, pulcherrima civitatum & regnorum corpora, dum ſingula membrorum (civium inquam) ſibi unis vacare jubet & conſulere, planè deſtruebat. Huic è diametro erat oppoſita poſterioris, qui* mè *dicebatur, doctrina: unicuique ſcilicet ſe neglecto de aliis dumtaxat eſſe laborandum; ſic autem ut æqualis cura benevolentiaque impenderetur omnibus, nullo ne amicorum quidem vel parentum diſcrimine. Sic ambo ſtulti dum vitabant vitia, alter ſe amantis immodicè, ſe negligentis alter, in contraria, uti fit, currebant. Tertiæ ſectæ, quæ* taó kia *nominatur, auctor fuit* lì laò kiūn, Confucii *coëtaneus. Docebat is, opes, honores, & ea quæ eximia pleriſque & præclara videntur, parva ducere, eaque ratione ſtabili firmaque contemnere; vacare ſibi rerumque contemplationi. Porrò ſectam hanc principiò fortaſſis integram, nec longè aberrantem à vero, ſectatores deinde tot ſuperſtitionibus præſtigiiſque magicis vitiaverunt, tam fœdâ turpium voluptatum labe contaminarunt, ut hæreſis & quidem peſtilens ac pernicioſa vocari jam poſſit.*

Chîm çù *interpres in hunc locum ſcribens ait:* Quatuor ſectarum ea quæ poſtrema eſt, atque idolum *fe* colit, affert quidem plura, quàm afferant tres priores, veritati rationique conſentanea; ſed vel ob hoc ipſúm magis eſt pernicioſa, ut quæ virus ſuum ſpecie illa veritatis occultet feliciùs, latiùſque diffundat: quocirca quiſquis virtutis ac ſapientiæ ſtudioſus ſit, illius dogmata non ſecus ac ſermones obſcœnos, & illecebroſas ac turpes rerum ſpecies averſari ac fugere oportet; fore alioquin ut peſtis illa raptim ſeſe in viſcera incautorum inſinuet. *Hæc ille.*

Annalium verò Interpres kieū kiûm xān *gravioribus quoque verbis atque ſententiis, nec ſine quadam acerbitate, non modò ſectam ipſam condemnat, ſed imprimis ſtultitiam ac temeritatem Imperatoris* mîm tí, *qui eam*

cum

Digitized by Google

cum monſtro ſeu idolo Fe *in Sinarum Imperium invehi ſit paſſus. Eum quippe hoc facto infortuniis & calamitatibus omnibus aditum præbuiſſe, ſic ut ab ipſo Mundi exordio ad præſentem uſque diem nihil infortunatius triſtiuſve Sinis acciderit: itaque peſſimè de majoribus ſuis poſteriſque fuiſſe promeritum, nec eſſe de Tyrannis quemquam, quamvis pernicioſi ac deteſtabiles extiterint, qui non ex hoc ſaltem capite innocentior meliorque ipſo Imperatore* Mîm tí *cenſeri queat.* Ecquid tandem magis alienum eſt *(inquit)* à pietate reverentiâque Majoribus debitâ, quàm ex barbarorum terris legem petere, quam nec Majores noſtri ſecuti ſint, nec verò ſequi voluerint; quæ inimica pacis & ſocietatis humanæ perturbat ac tollit ordinem omnem, quem parentes inter & filios, Reges ac ſubditos, maritos & conjuges, &c. natura conſtituit, ac mutuis officiis foveri voluit & conſervari: enimverò crimen hujuſmodi in cœlum pervadit. *Hactenus Interpres Annalium.*

Has igitur ſectas & novitates uti vehementer damnat Colaus cum cæteris Interpretum, ita viam unam, unamque legem quam Sancti conſtanter tenuerint, & quæ terris omnibus gentibuſque maximè ſit communis, tenendam eſſe docet. Hæc nimirum ea eſt, quæ Jû kiáo, *id eſt,* Litteratorum lex *& doctrina dicitur, quam* Confucius *à priſcis Regibus ac Philoſophis acceptam & ipſe perquàm ſeverè coluit, & excoluit atque illuſtravit tot documentis ac præceptis: quam legem ſi uti profitentur ætatis noſtræ litterati, ita & ſervarent, non adeò difficilis, uti nunc eſt, eis aditus foret ad ſalutarem, & quâ unâ lex illa naturæ perfici debet, Chriſtianæ veritatis gratiæque legem.*

§. 3.

Confucius[2] ait[3]: Sciens rerum & eſſe & haberi deſideras, ô mi diſcipule *Yeû*[1], age nunc ergo, docebo[4] te[5] ſcire[6], ſive docebo te quis verè ſciens rerum dici queat. Scis[7] quidpiam? profitere[8] quòd id ſcias[9]. Non[10] ſcis[11]? ingenuè fatere te neſcire; ſeu ſic te gere[12], ut qui id [13]neſcias[14]: hoc[15] enimverò ſcire[16] eſt, & rerum ſcientem eſſe. Neque enim hoc exigitur, ut cauſas omnes ac naturas rerum perſpectas quis habeat, cùm eas nec Sancti quidem exhaurire cognoſcendo queant; ſed ut ex ea quæ officii ſui ſunt intelligat ac perdiſcat, incognita pro cognitis non habeat, hiſque temerè aſſentiatur, &, quod deterius eſt, aliis errores ſuos venditet, tam ſibi quàm aliis imponens: ſed adhibeat item ad conſiderandas res & tempus & diligentiam; peritiores ſe identidem conſulat, & in hoc priſcorum Regum *Yaô* & *Xún* prudentiam modeſtiamque imitetur. Ducebatur ſciolus ille diſcipulus immodico laudis ac præcellentiæ ſtudio, adeoque non rarò hîc peccabat; quapropter eum *Confucius* hiſce verbis ceu brachio molliori caſtigat.

F. 13. *p.* 1. §. 1.

Diſcipulus *çù chām*[2] in diſciplinam *Confucii* tradiderat ſeſe, & operam dabat[3] philoſophiæ, ut obtineret[4] litterarum doctri-

næque præsidio dignitates in Republica, & qui illas consequuntur amplos census[5]. Ut ergo discipulum instituat

§. 2.

CONfucius[1] sic ait[2]: Ex multis[3] hominum sermonibus, quos audiret[4] te contigerit, prudenter secerne, ac relinque[5], silentioque fac premas quæcumque dubia[6] fuerint vel incerta: considerate[7] verò fac proloquaris[8] 9cætera[10], quamvis tibi certa videantur esse, tutòque dici posse: sic[11] enim fiet, ut verbis quidem perrarò[12] pecces[13]. Rursus ex multis[14] rebus atque negotiis quæ vulgò videbis[15] suscipi ac tractari, iis prudenter abstineto[16] prudens quæ sunt cum periculo[17] vel offensione conjuncta; cautè[18] verò te geras[19] & considerate 20reliquis[21] etiam in rebus: sic[22] enim fiet ut rarò[23] te rei vel temerè susceptæ vel malè gestæ pœnitudo[24] subeat. Porrò ubi tam præclara vitæ morumque ratio servabitur, ut quis nec verbo[25] nisi fortè rarissimè[26] offendat[27], nec facti[28] nisi rarissimè[29] pœniteat[30], mihi crede, perampli census[31] his[33] tam cautè considerateque vivendi artibus 32continentur[34]: tantam quippe prudentiam & virtutem publicæ dignitates, & qui cum his conjuncti sunt census, ultrò consequentur.

P. 2. §. 1.

NGāi[1] cũm[2], Regulus regni *lù* postremus, consulens[3] *Confucium* ait[4]: Quomodo[5] perficiam[6], ut[7] populus[8] æquo animo se mihi subdat[9] atque imperata faciat? 10*Confucius*[11] 12respondet[13]: Admove Reipublicæ atque evehe[14] ad munera publica viros integros[15] ac rectos; exclude[16] verò ab administratione Reipublicæ omnes[17] eos quos cognoveris esse homines cupidos, & vilis, pravi tortuosique[18] ingenii: sic[19] fiet ut subditi[20] tui omnes æquissimo animo & illis & tibi pareant[21]: quòd si contrarium feceris, & evexeris[22] improbos[23] quos dixi, excluseris[24] autem ac neglexeris omnes[25] probos[26] ac rectos, utique[27] populus[28] tibi haud[29] æquo animo subdetur[30]. Nimirum sic est naturâ comparatum, ut subditos inter ii quoque qui fidem, continentiam & æquitatem ipsi negligunt, virtutes has tamen in suis Magistratibus magnopere diligant atque suspiciant; contraria verò oderint, nec ullo modo ferant: quocirca tam justis tuorum studiis obsecundare te necesse erit, siquidem eos cum fide, constantia & alacritate parere tibi volueris.

§. 2.

KI[1] cãm[2] çù[3], unus Optimatum regni *Lù*, sciscitatur[4] à *Confucio* in hunc modum: Is qui magistratum gerit, volens perficere[5] ut populus[6] adversùm se reverentiam[7] fidemque servet[8], 9utque ad virtutis item studium excitetur[10], quo[11] pacto[12] id perficiet? *Confucius*[13] respondet[14]: Quoties se dat in conspectum[15] suorum, si cum[16] decoro[17] & gravitate[17] se gerat, nihil appareat in eo leve vel incompositum, nihil agreste vel inhumanum; tum[18] subditi eum suspicient[19] ac ve-

Digitized by Google

rebuntur. Rursus si fungatur ipsemet officio pii atque obedientis[20] filii erga parentes ac majores suos, subditos item clementer ac benignè[21] tractet, illi tam appositо virtutis exemplo permoti, devincti etiam clementiæ beneficentiæque vinculo, planè[22] tum respondebunt insigni cum fide[23] Principi suo & Magistratibus. Denique si evexerit[24] admoveritque gubernandæ secum Reipublicæ viros spectatæ[25] probitatis, &[26] humaniter ac benignè instituerit[27] etiam imbecilles, quibus non[28] est tantum virtutis ac facultatis[29], sic ut eos haudquaquam despiciat negligatque; tum[30] quoque fiet ut excitentur[31] animi omnium, & in summis infimisque virtutis ac laudis studium mirabiliter exardescat.

F. 14. *p.* 1. §. 1.

FOrtè[1] quispiam alloquens[2] [3]*Confucium*[4] ait[5]: O *Confuci*[6], quare[7] non[8] geris[9] magistratum[10]?

Quo tempore Tím cũm *Regulus primùm cœpit administrare regnum suum* Lù, *privatus agebat* Confucius, *propterea quòd ii, quòrum consiliis tunc maximè Princeps utebatur,* Kí xí *scilicet &* Yâm hó, *homines essent improbi & perturbatores Reipublicæ.*

§. 2.

SEd cùm hanc causam significare nollet *Confucius*[1], aliâ percunctatori satisfacturus, sic ait[2]: In libro *Xũ*[3] *Kim* sic dicitur[4]: O singularem obedientiam[5]? (Sapientis scilicet *Kiũn chin,* imperante familiâ *Cheũ*; nam hujus viri laudes ibidem afferuntur.) Hoc tantùm[6] egit ipse ut obediret[7] parentibus, & mutuus vigeret[8] amor inter[9] se & fratres suos majores[10] ac minores[11] natu, extendens[12] hæc virtutis industriæque commoda ad eos in quos[13] habebat[14] privatum domesticumque imperium[15]: hoc[16] autem, mihi crede, etiam[17] est [18]gubernare[19], & magistratum inter privatos quidem parietes, at non sine laude & emolumento gerere: quorsum[20] igitur magistratum[21] geram[22] publicum, ut censear ac dicar gerere[23] magistratum [24]?

§. 3.

COnfucius[1] ait[2]: Qui homo[3] cùm sit, tamen[4] careat[5] fide[6], sive dictorum conventorumque constantiâ & veritate, non[7] intelligo[8] hujus[9] usum[10], seu cui tandem usui possit esse. Magna[11] plaustra[12] si careant[13] transverso[14] ad temonem[14] ligno, cui boves adstringi solent ac jungi; parva[15] curulia[16] si careant[17] arcuato[18] ligno, quo equus continetur & jungitur, curulibus hujusmodi[18] quo[19] tandem modo[21] iter[22] instituetur? tametsi fortè per aliquot passus rectà queant procedere, ad primum tamen flexum mox hærebunt: sic homo cui fides deest, non modò publicis in rebus, sed nec privatis domesticisque utilis erit. Est omnino Virtus ista preciosissima Regum gemma;

cum hac Imperia quamvis ampla prosperè pacificèque gubernantur.

Certè quàm ea Priscis, & Imperatoribus, & Administris Imperii cordi fuerit, ex eo, quod secundo ex familia Cheū *Imperatori*, Chîm vâm *dicto, quondam contigit, satis potest intelligi. Hic namque dum unà cum fratre suo adolescentulo adolescens & ipse annorum septemdecim in horto se oblectat, decerptum ex arbore folium ad frontem applicans sui fratris, (ritum scilicet imitatus quo admotâ fronti tabellâ creari solebant Reguli,) jocabundus,* Regni *Tàm* Regulum te creo, *inquit: hic* Sù yè, *unus Optimatum,* Rata est *(inquit)* ô Imperator, hæc creatio. *Cùmque ille joci gratiâ se feciſſe diceret, perseveravit Sapiens ratam esse; neque enim jocos in Principem cadere; verbo standum esse: quid multa?* Xo yû *(Principi nomen hoc erat) regnum obtinuit, in quo ipsi longa deinde series novem & viginti Regulorum posterorum ejus successit.*

P. 2. §. 1.

DIscipulus çu[1] *chām*[2] quærit[3] ex Magistro suo, an decem[4] familiæ Imperiales[5], quæ labentibus sæculis aliquando consecuturæ sint eam quæ tunc rerum potiebatur, possit[6] præsciri[7], an scilicet jam nunc sciri queat quæ futuræ sint leges & instituta singulorum, qui ortus & interitus.

Sinense sæculum triginta dumtaxat annis constat; atque hæc vocis Xí *vulgaris acceptio: hic tamen significat omne tempus illud quo familia quæpiam imperat, sive triginta annorum sit, sive trecentorum, pluriumve.*

§. 2.

CONfucius[1] respondet[2]: Domus Imperatoriæ *Yn*, sive *Xām*, (quæ proximè successerat familiæ *Hiá*) conformavit[4] sese cum[5] familia Imperiali *Hiá*[6], quod ad leges quidem attinet atque officia[7] majoris momenti & quasi ipsos cardines Imperii, nec in his quicquam immutavit; in iis autem rebus quæ minoris erant momenti quid[8] ipsa vel sustulerit[9], vel addiderit[10] de novo; quid immutarit, inquam, in ipsō modo & quasi temperamento legum & officiorum, potest[11] utique facilè sciri[12]. Similiter de familia *Cheū*[13], quæ hac ætate nostra potitur rerum, & conformis[14] est cum[15] familia *Yn*[16] proximè antecedenti in ipsa morum[17] legumque substantia, quid[18] ea vel sustulerit[19] & antiquarit, vel instituerit[20] de novo, potest[21] itidem sciri[22]. Hoc certum, primæ familiarum cordi fuisse imprimis fidem ac sinceritatem, & in hac studium suum gloriamque potissimùm collocasse: alteram masculâ quadam simplicitate conspicuam, de substantia rerum morumque integritate in primis laborasse: nostram verò, quæ est tertia, ornatu elegantiaque rerum omnium, & cultu externo ac cerimoniis, uti videmus, plurimùm delectari. Quotquot[23] igitur olim fortè[24] successerint[25] domui *Cheu*[26], licèt[27] centum[28] numero domus[29] Imperatoriæ, ex præteritis æstimando futura, poterit[30] haud difficulter jam

nun

nunc de iis præſciri[11], ſeu conditione propoſita quadantenus conjici quæ quamque ſors maneat, quæ cujuſque futura ſit firmitas & gloria, quæ item incrementa; ſive cùm explorata ſint nobis tam membra politici corporis, quàm nexus ipſi membrorum, & vigor ipſe ac ſpiritus quo ſunt imbuta, quis neget poſſe nos de futuris olim Imperiis quæ ſingulorum firmitas ac potentia, quæ item virtus ac gloria futura videatur, conjecturâ ſatis veriſimili diu antè pronunciare.

F. 15. p. 1. §. 1.

CONfucius[1] ait[2]: Si non[3] eſt proprius[4] ſpiritus[5], cui tu ipſe pro ratione conditionis tuæ atque officii ſacrificare poſſis ac debeas, &[6] tamen ei ſacrifices[7], reverà adularis[8], ſeu per adulatoriam illam cultûs à te non deferendi ſignificationem felicitatis quidpiam importuniùs emendicas.

Sinarum Monarchia debitæ ſubordinationis, quà infima per media, media per ſumma regit ac moderatur, ſemper fuit hodieque eſt ſtudioſiſſima; hujus exemplum priſci Reges atque Philoſophi petiviſſe videntur ab illa cœleſtium & aliorum omnium quæ cientur corporum certis locis ac ſedibus inter ſeſe apta connexione, quorum ſcilicet converſiones ac motus obſervabant ipſi ab uno Movente ſupremo gradatim omnes uſque ad infimos ritè provenire; unde in cultu Spirituum, quos ipſos quoque aliis alios ſuperiores eſſe intelligebant, ordinem quendam rituum & ſacrificiorum à Priſcis accuratè præſcriptum obſervari placuit. Itaque cœli terræque Spiritui ac Domino unus Imperator ritu ſolenni ſacrificat; præſidibus montium fluminumque ii qui Reguli & Optimates ſunt; inferioribus Præfecti; & ſic deinceps. Damnat ergo Philoſophus temeritatem quorundam hominum, qui magis hîc vel ambitioni ſuæ vel cupiditati, quàm ipſis Spiritibus, neglecto quem diximus ordine rituque, ſerviebant.

§. 2.

COlaus cum hoc loco ſuperiorem connectens: Docemur (inquit) ea tractare quæ fori ſunt noſtri viriumque humanarum; arcanis autem Spirituum, & iis quæ ſphæram noſtram excedunt, curioſiùs perſcrutandis prudenter abſtinere. Itaque videre[1] quempiam & intelligere, quid officii ſui ſit, quid æquum[2] rectumque ſit hîc & nunc; nec tamen id ſuſcipere[3] vel perficere[4], quia metu ſcilicet impediatur vel cupiditate, id profectò minimè[5] fortis[6] animi eſt; quinimo turpis eſt abjectæque imbecillitatis, quam adeò damnet unuſquiſque: at non item rectè quis damnet alterum, quòd is reconditas ac ſublimes naturas Spirituum, quæ aciem noſtrarum mentium quaſi fugiunt, perſpectas habere non poſſit.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



SCIENTIÆ SINICÆ,

LIBRI TERTII,

PARS SECUNDA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS agens de prætore Regni *Lu*, *Ki xi* dicto, qui ritus Imperatorios usurpabat, admirans ac stomachabundus ait: Octonis choris saltatur in ejus aulâ parentali: Hoc autem si tolerabile est, ecquid tandem non tolerabile erit?

Pro veteri gentis instituto solis Imperatoribus erat licitum in parentali majorum suorum aulâ producere choros funebres octo; quorum singuli totidem qui saltabant ad numeros, constabant: Regulis interim, quando solemniter majoribus suis parentabant, senos tantum choros; Prætoribus quaternos; literatis aliisque inferioris notæ Mandarinis binos producere permissis. Uni quidem Cheu-cum, *quamvis Regulo dumtaxat, propter eximia tamen ejusdem merita erga Familiam tunc imperantem, totumque Imperium,* Chim-vam *Imperator nepos ipsius ex fratre, primi quoque ordinis honores funebres olim concesserat: Quos cum Prætoria domus* Ki-xi *per insignem arrogantiam usurparet, damnat eam Philosophus, & docet neglectum ac violationem prisci moris rectique ordinis neutiquam ferri oportere; quippe licentiam ejusmodi semen esse quoddam maximarum perturbationum, & quasi scintillas, ex quibus gravissima deinde rebellionum existant incendia.*

Digitized by Google

§. 2.

TRES Familiæ *Lù*, ſcilicet *Mem ſun*, *Xo-ſun*, *Ki-ſun*, ſive *Ki-xi*, quotieſcunque Majoribus ſuis parentabant ſolemniùs, peractis jam officiis funebribus, cum cantu carminis *Ym* dicti colligebant menſas atque edulia (*Ym*, libri carminum pars eſt illa, quâ laudes familiæ *Cheu* continentur) *Confucius* hanc item licentiam arrogantiamque damnans, ac riſu dignam eſſe notans, ſic ait: Quando ipſemet Imperator in aulâ funebri majoribus parentat, aſſiſtentibus ei Regulis ac miniſtrantibus; tunc quidem cum ſolemni cantu illo, rituque fercula colliguntur. Verba carminis hæc erant: Miniſtri rituum ſoli ſunt Reguli: Imperator autem ſic aſſiſtit, ut in eo prorſus arcana majeſtas & reverentia virtuſque reluceat. Quæro nunc ego: Prætoribus illis dum parentant, an aſsiſtunt fortè Reguli? An Imperatoria Majeſtas adeſt? Quod ſi nihil horum adſit; quo jure, quâ authoritate, quâ fronte tam alieni ritus uſurpantur in trium familiarum parentali aulâ? Nimirum qui nunc ritus invadunt regios, metuendum eſt, ne invadant brevi & ipſa regna; ſublatoque diſcrimine clientis ac Principis, tollatur & ipſe Princeps.

p. 2.

Confucius ait: Homini non probo, qui, inquam, verâ, ſolidâque virtute non ſit inſtructus, cui tandem ſint uſui ritûs, cerimoniæ, officiaque exteriora? Rurſus: homini non probo cui tandem ſit uſui harmonia concentuſque muſicus? Etenim cùm ab ipſo animo virtutibus imbuto, ſeu radice ſuâ proſtuere debeant officia rituſque omnes, ſi quidem non adſit animus hujuſmodi, profecto inane quoddam humanitatis ſimulachrum, metumque mendacium ritus omnes officiaque erunt. Rurſus, cum neceſſe ſit animum virtutis expertem variis concuti motibus, aſsiduèque perturbari, inutilis profectò in tantâ motuum interiorum diſcordiâ, concordia omnis inſtrumentorum vocumque erit. Familias uſurpatrices rituum Imperialium paragraphus hic denuò perſtringit ac damnat.

f. 2. p. 1. §. 1.

LIN Fan vir probus & rectus, oriundus è regno *Lu*, cum obſervaret homines ſuorum temporum perquàm operosè, magniſque expenſis celebrare convivia, funera ducere, &c. Dubitans an idem mos fuerit priſcorum Regum, eademque temporum illorum ratio, ſciſcitatur ex *Confucio*, & quod officiorum fundamentum ſit: ſeu, in quo tandem poſita ſit vis ac ratio civilium rituum & officiorum.

§. 2.

ADmirabundus *Confucius* & collaudans hominem, qui de eo quod in quaque re maximum eſt, laboraret maximè, ſic ait: O præclaram, ô magnam quæſtionem!

Digitized by Google

§. 3.

DICO igitur, quod uti aliarum rerum sic & officiorum, sua singulis substantia est, & qui deinde ad substantiam accedit, ornatus quidam ac decor. Utraque si adsint, tum quidem numeris omnibus absoluta censebuntur officia: at si alterutrum desiderari necesse fuerit, utique sine ornatu ipsam rem (quod priscis ferè temporibus usu veniebat) quàm sine re ornatum malim. Exempli gratia: In officiis vulgo maximè usitatis conviviorum & funerum, ego quidem præ tanto splendore epularum, tantâque illâ prodigalitate, quâ nunc instruuntur, malim moderatum quid, & à priscâ majorum nostrorum simplicitate, parsimoniâque non abhorrens; plurimum verò mutuæ convivas inter fidei, reverentiæ, & charitatis. Rursus, in celebrandis funeribus exequiisque, ego præ illo tam sumptuoso apparatu luxuque funebri ex merâ consuetudine profecto multo malim verum luctum, verasque lachrymas, & immortale desiderium illius, cujus funus ducitur. Offendebat Philosophum luxuries illa rituum, & cerimoniarum, quæ istis familiæ *Cheu* temporibus immodicè prorsus excreverant; ardebatque revocare mores priscæ ætatis, quæ de ipso potiùs animo, quàm de indiciis animi laborabat.

p. 2. §. 1.

Confucius ingemiscens ait: Barbari Orientales & Boreales habent Regem, qui Rex sit non tantùm nomine, sed ipsâ re, & authoritate, utpote cui cedant, cui morem gerant, quem vereantur subditi sui: Non uti miserabilis hæc China nostra, quæ jam non habet Regem, sublato scilicet discrimine, apud Barbaros quoque, inviolato, clientis ac Principis; idque propter insolentiam quarumdam familiarum, prisci juris atque ordinis inimicam.

§. 2.

Tai-xan mons est prealtus ac nobilissimus in Provincia *Xan tum* olim regno *Lu*. Porrò *Ki-xi* supra memoratus sacrificabat monti *Tai-xan*, spiritui (inquam) montis præsidi (uti interpretes diserte dicunt) Cum tamen non alii, quam ipsimet Regulo regni *Lu* fas esset sacrificare. Offensus ea re *Confucius* & alloquens discipulum suum *Gén-yen* (pertinebat hic enim ad familiam Prætoris, & domesticus ejusdem Mandarinus erat) sic ait: Tu ergo non potes mederi tanto malo? Respondet discipulus: non possum. Tum *Confucius* rursum ait, edito prius suspirio, (quod *U-hu* duabus vocibus exprimitur.) An igitur aliquando dicetur, quod spiritus, qui *Tai xan* monti præsidet, non possit comparari cum viro illo tam vulgari *Lin fam*, qui me nuper consulebat? Exquirebat is admodum sollicitè Officiorum rituumque rationem & fundamentum, ne forte per ignorantiam peccaret: & nos existimabimus spiritum illum naturâ tam

perſpicacem vel ignorare, vel etiam negligere id quod jus ac ratio poſcit : adeoque ſuſcepturum eſſe ſacra, quæ perturbato rerum ordine tam arroganter ac temerè offeruntur? Tacitè carpit hîc etiam diſcipuli ſocordiam, qui non magis angatur ac laboret de tollendo tam gravi offendiculo. (Ex hoc paragrapho & explanatione Colai maximè conſtat, quid Sinæ jam olim ſenſerint de præſidibus rerum ſpiritibus ; eos utique eſſe præditos intellectu ac mente, & æqui rectique ſtudio teneri.)

f. 3. p. 1. §. 1.

CONfucius ait : Inter viros graves ac probos non eſt de quo contendant. Imo verò (inquies) nonne datur jaculandi certamen & contentio ? Utique datur. At cujuſmodi tandem illa ? Qui jaculis certaturi ſunt, prius quam ſubeant in aulam exercitio iſti deſtinatam, ter ſocios ſuos reverenter ſalutant, ter eis priorem locum deferunt, ac tum denique ſubeunt in aulam : Hic verò qui victor evaſit, cæteriſque feliciùs ſcopum attigit, deſcendit unà cum victis, quos comiter ſalutatos iterum jubet in aulam conſcendere, ibique ſuis ipſos manibus vinum fundere, ac ſtantes potare vinum pœnale (ſic dictum, quòd tali ejuſdem potatione victi mulctarentur.) Nimirum in ipſo certaminis quoque fervore obſervare licet concordiam, modeſtiam, comitatem, & planè viros eſſe probos ac graves qui certant : Dum è contrario viles improbique homines, ſi quando inter ſe contendant, exardeſcere ſolent in iras, & ferarum propè ritu inter ſe concurrere.

§. 2.

DIſcipulus *çu-hia* quærit dicens : Carmen extat hujuſmodi : Blando riſui decor ac venuſtas oris conciliat gratiam. Item pulchris oculis apta coloris albi nigrique proportio. Nimirum ubi ſubjectum ipſum & quaſi ſolum probè diſpoſitum eſt, inde evadit ornatus ei ſuperadditus & forma oculis tam grata. Poſtremum hunc verſiculum *Su y quéi hiven hi* nondum percipiebat diſcipulus : quocircà Magiſtrum ſuum conſulens, quid (inquit) verſus ille ſignificat ?

p. 2. §. 1.

CONfucius rem declarans ſimili, quod petit ab arte Pictoriâ, ſic ait : Sicut Picturæ opus, ſeu figura illa quam coloribus ſuis exprimit exornatque Pictor, eſt quid poſterius ipſo ſtrato fundamentoque Picturæ, ſeu primâ illâ colorum facie, quæ tabulæ ſeu telæ induci ſolet : Sic lepor ille ac venuſtas, quæ ab ore oculiſque ſolet exiſtere, eſt ipſo ore oculiſque poſterior.

§. 2.

DIſcipulus audito ſimili, perappoſitè intulit dicens : Fortaſſis igitur docetur illo carmine, quod officia rituſque omnes exteriores ſint quid poſterius ? Sic ut prima ſedes Officiorum & quaſi fundamentum

fundamentum ipse animus sit plenus fide & veracitate, cui animo deinde sua respondeant officia, suus addatur rituum variorum ornatus ac splendor? Gavisus interpretatione tam appositâ *Confucius* sic ait: Qui feliciter assequatur & explicet me, sive mentem meam, tu is ipse es ô mi discipule *Xam.* (*Xam* cognomen est ipsius *çu-hia.*) nunc primum potero, sive audebo tecum agens citare Priscorum carmina atque authoritates, quamvis explicatu sanè difficiles.

f. 4 p. 1. §. 1.

Confucius ait: De Priscis Familiæ *Hiá* (fuit hæc inter Imperiales & Monarchicas Sinarum Familias omnium prima) moribus, institutis, ritibus & litteris, ego possem utique loqui, & summam illorum posteritati tradere: Sed enim prorsus regnum *Ki*, quod à posteris Familiæ *Hiá* nunc obtinetur, non est sufficiens ad testificandum & confirmandum ea quæ dicturus essem. Similiter familiæ *Yn* seu *Xam*, familiarum Imperialium secundæ moribus, ritibusque & litteris, ego possem loqui & referre multa, quæ ætati nostræ incitamento essent futura ad imitandum mores antiquos & egregias laudes majorum suorum: sed enim regnum *Sum*, quod nunc de pristino splendore suo & amplitudine plurimum amisit, estque penes posteros istius familiæ, non sufficit ad testificandum vera esse, quæ à me referrentur: libri nimirùm & sapientes, qui in utroque regno seu inter posteros utriusque familiæ perpauci existunt hoc tempore, haud sufficiunt; haud ii, inquam, sunt, à quibus ætas nostra testimonium satis luculentum petat, hoc in causa est: alioqui si sufficerent; tunc & ego possem vicissim testificari; plurimumque lucis ac ponderis accederet testificationi meæ ab illorum testimonio & authoritate. Nunc autem cum mihi desint præsidia tam necessaria; quorsum frustra laborem, & proloquar ea, quæ posteri non credant.

§. 2.

Confucius ait: Quotiescunque peragitur gravis ille ritus *Ti* dictus, qui proprius est Imperatorum, & quo solent hi quinto quoque anno in parentali majorum suorum aulâ honorare familiæ conditorem, & qui ex illo deinde prognati sunt Imperatores; etsi principio satis graviter, & ritè multa fiant; ubi tamen jam vinum novies de more oblatum est, novies item libatum, quicquid deinceps agitur, quia oscitanter agitur, & exiguâ cum reverentiâ, ego quidem non aveo vel gaudeo spectare, tametsi ratione officii mei cogar assistere. Verùm quod hîc omnium maximè mihi displicet, est, quod honores illos solis Imperatoribus debitos (& uni quondam *Cheucum* quamvis tantùm Regulo concessos ab Imperatore *Chim-vam* ejusdem nepote, idque propter eximia prorsus viri merita in totum Imperium) nunc videam aliis quoque Regulis ejusdem *Cheu-cum* posteris deferri, contra jus omne moremque Imperii.

Digitized by Google

p. 2.

QUidam percontatus est à *Confucio* parentalis officii longè solemnissimi *Ti* dicti rationem: videbat illud in Regno *Lu* exerceri, sed institutionem illius & usum ignorabat. *Confucius* ei respondens ait: Non scio: dico tamen, quod quisquis probè intellexerit arcanas illas ac sublimes ritûs hujus & officii rationes, in rebus ad Imperii gubernationem spectantibus, is habiturus sit omnia tam perspecta, tamque in promptu, ac si posita videret omnia hic, in palmâ, inquam, manus suæ, quæ dicens, digito monstravit suam ipsius palmam, uti à discipulis est traditum: facilè nimirum reget homines, qui debitos honores præstare majoribus defunctis norit. Duabus interim de causis noluit Philosophus mysterium hoc percunctatori exponere: prima, quod illo contineatur apex quidam filialis pietatis & obedientiæ, ad quem ipso quidem opere & exercitio nemo præter Priscos illos magnarum virtutum Reges; cognitione verò & intellectu nemo præter admodum sapientes videtur pertigisse: quorsum ergo vulgari cuipiam homini illa exposuisset? Altera, quia declarari non poterant ea, quæ ad ritum illum pertinebant, quin illicò patefieret, ac plusquam tacitè damnaretur insignis arrogantia Reguli, qui hîc ritu Imperatorio contra fas moremque Imperii utebatur: atqui veritas hæc odium periculumque parere nata erat.

f. 5. p. 1. 1. §.

Confucius (uti à discipulis ejusdem traditur) Quotiescunque majorum suorum memoriam, & accepta ab eis beneficia solemniùs recolebat, cum eo pii gratique animi sensu & significatione præscriptos ritus exercebat, ac si revera majores ipsi præsentes astitissent. (Ex hoc loquendi modo colligi potest, non fuisse Sinas in hoc errore, quod manes majorum suorum vitâ functorum suis assisterent parentantium officiis.) Idem quotiescunque magistratum gerens, pro officio suo præscriptos honores deferebat spiritibus locorum præsidibus, tantâ cum veneratione & gravitate illos deferebat, ac si spiritus ipsi spectabiles astitissent.

§. 2.

SOlebat itaque non rarò *Confucius* ipse dicere: Ego si quandoque graviter impeditus non assistam per me ipse dictis officiis, eisque ritè fungar: tametsi vices meas alteri protinùs commendem, minimè tamen acquiesco; sed angor animo non secus ac si nondum sacris illis quisquam operatus fuisset. Argumentum illustre tum pietatis, tum venerationis admodùm sinceræ, quo Philosophus vel majores suos, vel tutelares spiritus prosequebatur.

Digitized by Google

§. 3.

VAN sun kiè (Præfecti nomen est) percontatur à *Confucio* dicens : Proverbium illud noſtrum : præ hoc quod capteur gratia ſpiritûs *Ngao* dicti, qui præſidere cenſetur aulæ domeſticæ, & ſuperioris eſſe ordinis; ſatius tamen fuerit captare gratiam ſpiritus *çao* dicti, qui foci præſes eſt, quamvis hic ille ſit inferior: hoc (inquam, proverbium quid obſcoro ſignificat ? Præfectus ille plurimum valebat gratiâ & authoritate apud Regem *Oueí*, ad cujus regnum Philoſophus tunc fortè diverterat : ratus autem veniſſe illum dignitatis obtinendæ cauſâ, percunctatione iſtâ jocabundus hortatur, ſuam ut operam gratiamque imploret; hanc enim præ Regis ipſius gratiâ ei quodammodo neceſſariam fore.

Domos familiaſque ſingulas duorum maximè ſpirituum tutelæ fidique eſſe commiſſas, priſci autumabant; è quibus is, qui Ngáo *dicebatur, nobilior cenſebatur; vulgò tamen alterum qui foco præſidebat, impenſius colebant, ſuadente ſic (ut aiebant) non utilitate modò, ſed etiam neceſſitate; quippe ſine foco nec vitam duci poſſe : vitâ autem deficiente nec ipſos coli poſſe ſpiritus.*

p. 2. §. 1.

SED *Confucius* haud ignarus quò tenderet ſuperbi hominis jocoſa percunctatio; judicans alienum eſſe à rectâ ratione, viroque ſapiente & probo indigniſſimum adulando gratiam alterius aucupari, ſic ait : Nequaquam ſic ut tacitè mihi ſuades, agendum eſt. Nequaquam ſequor vulgi morem : Quiſquis enim peccaverit in cœlum, non habet aliud Numen ſuperius à quo peccati veniam deprecetur.

Hîc enim verò, quomodocunque Interpretes moderni quidam ſe torqueant : omnino tamen dicendum eſt, de eodem planè cœlo loqui Philoſophum, de quo loquebatur prodigus quondam filius, cum plorans ab ſe peccatum fuiſſe in cœlum. Neque deſunt nobis Interpretes, qui contra impios cives ita ſentiant. In primis Cum ngan *ait* ; Vu sò tào yu chum xin : non habet quod veniam precetur à ſpiritibus univerſis *(Offenſo videlicet ſpirituum univerſorum Domino) Uberius autem clariſque noſter Colaus, qui* Confucii *ſententiam explanans, unum, inquit, eſt cœlum, quod ſummè colendum eſt, & cui nihil æquale. Ab hoc & probis obveniunt proſpera, & improbis adverſa, tam certò, tamque exactè, ut ne minimo quidem errori ſit locus. Quiſquis ita res agit, ut obſequatur rationi, hunc utique beata ſors manet : quiſquis autem repugnat, hoc ipſo peccat in cœlum. Immiſſus verò calamitates ab cœlo vindice ecquis tandem effugiat ? Aut quomodo implorata* Ngáo & çáo *ſpirituum ope declinare queat ? Ex quibus perſpicuum fit, oportere hominem parere rationi, & ſervire cœlo; & ne ipſis quidem ſpiritibus (nedum hominibus) adulari.*

§. 2.

Confucius ait: Hæc „quæ nunc rerum potitur, familia *Cheu*; in ortu ſuo ſtatim conjecit oculos in duas familias *Hiá* & *Xam*, quæ ante illam tenuerant Imperium: cumque viros haberet & literis & armis claros; horum operâ (maximè quidem Principum *Ven-vam*, *Vu-vam* & *Cheu-cum*.) tam feliciter attemperavit præcedentium familiarum leges ac mores, partim addendo quædam, partim etiam tollendo; ut ipſa tandem ornatiſſimum quid in omni litterarum & officiorum genere, vitæque totius cultu evaſerit. Ego itaque lubens ſequor familiæ *Cheu* mores & inſtituta: maximè quando mihi contigit illâ imperante naſci, atque ætatem agere.

§. 3.

Confucius quo tempore magiſtratum gerebat in regno *Lu*, crebrò ingrediebatur in magnam illam celebremque aulam quæ memoriæ ſapientiſſimi *Cheu-cum* dicata erat, ut inibi cum reliquis regni primoribus conſuetos honores defuncto Principi ritè deferret. Porrò quotieſcunque ſic ingrediebatur; ſolebat ipſe de ſingulis propè rebus admodum multa ſollicitè ſtudioſeque ſciſcitari; quis ſcilicet vaſorum eſſet uſus, quo fine, quo ritu, modoque ſingula peragi oporteret. Quidam hoc animadvertens ait: Ecquis ſibi perſuadeat, dicatve *Cheu* hominis filium (ita *Confucium* vocitabat, propterea quod ejus pater *Xo leam he*, Præfectus olim fuiſſet oppido *Cheu* dicto.) Peritum eſſe rituum? Quotieſcunque enim intrat in majorem hanc aulam, ſingula exquirit; eo planè modo, quo imperitiſſimus quiſque ſolet. At *Confucius* hoc audito ſic ait: Imo verò hoc ipſum genus quoddam rituum eſt & argumentum ſatis illuſtre quam quis eorum non imperitus ſit. Planè ſic erat: tanta quippe cura, ſtudium tam ſingulare exquirentis minutiſſima quæque, ſatis declarabant, intelligere Philoſophum, quid ibi, quantique momenti res ageretur, & in quanto haberet pretio ritus illos ac cerimonias. Simul etiam prodebat ſeſe hominis modeſtia, cum eximiam quandam rituum peritiam aſſecutus eſſet, eâ tamen haudquaquam efferebatur, aut ſic fidebat, ut non aſſiduè conſuleret alios, ab eiſdem proficere gaudens ac diſcere.

f. 6. p. 1. §. 1.

Confucius ait: Qui ſagittas mittunt, non perforant corium (extant hæc verba in libro officiorum, ubi de ſagittariorum exercitiis agitur) Laus inquit, ac victoria periti ſagittarii non in eo conſiſtebat olim, ut ſcopum perforaret (conſtabat ſcopus ex corio) ſed ut feriret; nec immeritò: quia vires jaculo certantium non ſunt æquales; neque certamen erat de robore, ſed de peritiâ & dexteritate: erat hæc Priſcorum lex & ratio; à quâ, proh dolor! deflectere jam cœpit ætas noſtra, malè reſumptis armis quæ *Vu-vam* familiæ *Cheu* conditor

conditor bene ſapienterque juſſerat recondi. Nunc denuò robur militare, nunc artes bellicæ in pretio ſunt; virtus autem negligitur, quæ tamen una ſcopum veræ laudis attingit; & cum robur acquiri nequeat diſcendo, virtus poteſt.

§. 2.

SOlebant exeunte quovis anno Imperatores Calendarium anni ſequentis jamdiu antè confectum in Regulos diſtribuere; Reguli verò aſſervare illud in parentalibus majorum ſuorum aulis, ad quas deinde Calendis cujuſque menſis accedebant & producto conſultoque Calendario ſecundùm præſcriptos ritus ovem occidebant: quo ritu dicebantur commonefacere ſpiritus ſeu facti, ſui rationem iiſdem reddere, *id-eſt, ſic gerebant ſe, ac ſi præſentibus majorum ſpiritibus pii gratique animi ſtudia teſtarentur: etenim mera quædam panegyris erat ea, de quâ hîc agitur, commonefactio?* Mos hic in regno *Lu* jam per annos plurimos intermiſſus fuerat: Ovis tamen è cenſu publico ſubminiſtrabatur ſingulis ab eo, cui demandata erat hæc cura. *çu-cum* ergo diſcipulus cupiebat impoſterum tolli illam, quâ ſpiritus commoneſiebant Calendis cujuſque menſis, vivam ovem: cupiebat, inquam, ſuperſederi impenſis, quas planè ſupervacaneas eſſe judicabat.

p. 2. §. 1.

SED *Confucius*, qui rem maturiùs expendebat, ac futuræ ſaltem ætati volebat conſultum, haudquaquam probato parſimoniæ iſtius conſilio, mi diſcipule (inquit) *Su* (*Su* nomen eſt ipſius *çu-çum*) *Su* quidem amas iſtas oves; at ego amo iſtum morem & ritum: mos ille tam laudatus jam negligitur, & quodammodo ſublatus eſt: verùm ſi poſthac oves ali deſierint, ipſa quoque ſpes moris aliquando revocandi funditus tolletur. At certè haud inutiles cenſeri debent expenſæ, quæ nos officii noſtri non patiuntur eſſe immemores, & quæ Regis alicujus, ut ſpero, animum excitabunt olim ad reſtaurandum priſcæ pietatis obſervantiæque morem.

§. 2.

Confucius ait: Ego ſic obſequor & ſervio Regi meo, ut penitùs exhauriam quidquid ad exteriorem illam veherationem obſervantiamque deſiderari poteſt. Verùm homines quidam imprudentes ac temerarii, qui vel animum meum non habent perſpectum, vel etiam ex ſuo metiuntur meum, propter hoc ipſum judicant me adulatorem eſſe, & qui per artes ejuſmodi, gratiam mei Principis abjectè captem.

f. 7. p. 1. §. 1.

TIM cum Rex regni *Lu* quæſtionem inſtituit hujuſmodi. Rex dum imperat ſubditis ſuis; & ſubditi viciſſim dum ſerviunt Regi ſuo quâ ratione ſe gerent? *Confucius* reſpondit: Rex imperet ſubditis

Digitized by Google

cum prudenti quâdam moderatione ; neminem ſuorum aſpernetur: cuique pro cujuſque meritis, officio, gradu, dignitate attemperet ſeſe ; cum his agendo blandiùs, ſeveriùs cum illis ; cum unis fidentiùs, cum aliis cautius. Subditi vero ſerviant Regi magna cum fide, ſtudioque ſynceræ veritatis, non modo nihil ut eum celent earum rerum, quas ſcire par ſit ; ſed etiam quidquid imperatum, quamvis arduum ſit atque difficile, ſuſcipiant tamen fortiter, conſtanterque perficiant : Nec dubitent, ubi res poſtulaverit, ipſius quoque vitæ diſcrimen alacriter ſubire.

§. 2.

Confucius ait : Carmen epithalamium *Quan-çiu* dictum lætum quidem eſt ac feſtivum, & non obſcœnum : Mœſtum eſt, quatenus exprimit amantis deſiderium, varioſque affectus animi, non tamen eſt ejuſmodi, quod afficiat quemquam vehementius ac perturbet. Diu erat, quod virginem cui *Tai ſu* nomen, eximiis naturæ dotibus ac virtutibus ornatam *Ven-vam* Rex in uxorem ſibi expetierat : & ardebat ille quidem amore deſiderioque virginis : Verumtamen ſic ardebat, ut nihil ageret, vel diceret Philoſopho Rege indignum. Ubi verò nuptiarum dies tandem adfuit ; quamvis aula feſto concentu muſicorum tota reſonaret ; adeò tamen nihil audiebatur, quod verecundas aures offenderet ; ut è contrario petulantiores motus animi coërcerent eximia quæ carminibus illis continebantur documenta. Commendatur hic itaque ſingularis quædam moderatio tam Principis, quam Regiæ totius.

Inter alias illuſtres fœminas tres imprimis, dictæ San-mù, *id eſt, trium maximorum Principum matres, Scriptorum encomiis celebrantur;* Tai-kiam Vam-ki *Regis mater*, Tai-gîn *mater Regis* Vên-vâm, *qui & familiæ* Cheu *conditor ;* Tai ſu *ex quâ natus deinde* Vù-vam *familiæ ejuſdem primus Imperator, adeoque* Chîm-vam *ſecundi celeberrimique Imperatoris avia : Nec dubitant matronarum iſtarum prudentiæ ac virtuti acceptam referre tantorum filiorum tam præclaram inſtitutionem, & ſucceſſus rerum maximè ſecundos. Porrò qui plura cognoſcere deſideret de his aliiſque laudatiſſimis fœminis, libros* Quei muen pie to, *&* Lie niu chuen *conſulat. Inveniet hîc inter alia virtutum exempla caſtimoniam Lucretianæ æmulam ; multas, inquam, tuendi pudoris cauſâ promptiſſimè morientes.*

§. 3.

NGAI cum Rex Regni *Lu* percunctatus eſt de aræâ ſeu patenti quodam extra urbem circo *Xe* dicto, à diſcipulo *çai-ngò*. In campo illo telluri (ſeu veriùs ſupremo cœli terræque Imperatori, quemadmodum *Confucius* hoc ipſum declarat in lib. *Chum-yûm* f. 14. p. 2. §. 1.) Sacrificium offerebatur. *çai-ngò* diſcipulus reſpondit Regi in hunc modum : *Hia* Imperialis familia campum iſtum conſe-

Digitized by Google

rebat pinis; secundæ verò familiæ *Yn* homines cypressis: tertiæ denique familiæ, quæ nunc tenet imperium *Cheu* dictæ homines castaneis illum adornabant: hæc autem ideò fecisse dico, ut populus pertimesceret seu horrore quodam concuteretur. Moris erat in eodem loco noxios afficere supplicio: Cumque memoratæ arbores ferale quid ac horridum præ se ferrent; hinc priscorum mentem temerè interpretatus, ibi finxit esse mysterium, ubi nullum erat. Equidem cum singulæ familiarum diversis in locis aulam constituissent, locum sacrificio supplicisque destinatum iis censeverunt arboribus, quas ipsa loci natura, solique ingenium postulasset.

p. 2. §. 1.

Confucius ergo cum inaudivisset quid à discipulo fuisset responsum, parum utique prudenter, neque ad rem sic ait: Peractâ jam re, non est loquendum: Imò quamvis re necdum peractâ, eò tamen loci deductâ ut impediri jam nequeat, non est adhibenda monitio, quippe inutilis & frustranea: denique re jam præteritâ non sunt exigendæ pœnæ, eo quidem consilio, ut, quod jam factum est infectum reddatur: non autem quod per illas non caveatur in posterum. Cæterum hæc ipsa sic dicta correptionis vim habent: Severius quippe castigare vix poterat temeritatem discipuli, quàm sic non castigando. Volebat nimirum Philosophus justitiâ, clementiâque, non autem minis atque terroribus subditos in officio contineri; ideò molestissimè ferebat interpretatione tam falsâ concitatum fuisse Regis animum ad immodicam severitatem, à quâ priscorum ætas semper alienissima fuerat.

§. 2.

Confucius ait *Quòn-chùm* Præfecti capacitas ô quam modica est! Erat hic præpotenti Regi Regni ci à consiliis; cumque plurimum valeret industriâ, prudentiâ, aliisque rerum gerendarum artibus; multa feliciter perfecerat, vulgoque sermonibus omnium celebrabatur: Quoniam tamen vera virtus sapientiaque homini deerat, abjectè de illo sentit & loquitur Philosophus; sic enim judicabat, veram cujusque magnitudinem, veram capacis altique animi laudem ex unâ virtute peti & existimari oportere. His autem Magistris ac Ducibus, ubi quis seipsum, familiamque suam rectè instituerit, tum demùm posse utilitates maximas in Principem subditosque populos derivari.

§. 3.

QUAM Philosophi mentem cum quidam adstantium minimè assequeretur, ratus præfectum de avaritiâ, nimiâque parsimoniâ notari, sic ait: : An igitur *Quòn-chum* sumptus odit, immodicè restrictus & tenax? Respondet *Confucius*: *Quòn-chum* Præfecti familia habet sumptuosam turrim illam *San-quei* dictam, cujus ex-

Digitized by Google

truendæ, auctor fuit, ipse in primis. Item consilio ejusdem & authoritate perfectum est, ut lites & causæ subditorum non omnes promiscuè ad unius hominis tribunal deferrentur, sed ut sunt eæ diversi sæpè fori, ita diversi constituerentur Judices, qui cum otio examinarent singula, & jus dicerent : Nec tamen ignorabat ipse, quam multum hoc pacto quotannis expenderetur de censu Regis sui : Quomodo igitur, hæc qui faciat, censeri possit peccare parsimoniâ.

f. 8. p. 1.

AT enim (subsumit alter) si vir est tam splendidus, tamque munificus, & qui recto judiciorum ordini tam præclarè consuluit; nonne ergò dicendum erit, quod *Quòn-chúm* probe calleat officia, quod (inquam) cujusque sit officium, quid quæque res poscat. Respondet *Confucius* : Rex erecto pariete velat majorem portam Palatii, utique pro jure suo & more (soli namque domui Regiæ erat licitum extrà majorem portam Palatii sui parietem seu vestibulum quoddam erigere, per quod uni Regi medius patebat egressus vel ingressus, reliquis omnibus per laterales dumtaxat fores incedentibus (& tamen *Quòn-chúm* familia similiter etiam pariete obtegit portam domûs suæ, haud secus ac si foret regia. Rex item si quando instituit duorum Regum convivium, (si inquam) hospes illi sit alter Regulus, quem ad cœnam invitet; habet utique pro opulentiâ suâ & majestate Regiâ varios, ubi crateres aurei, aliaque vasa collocentur, abacos. *Quòn-chúm* familia per insignem arrogantiam similiter item habet poculis instructos abacos. Enimverò si *Quòn-chúm* familiáque ejus, cùm tam aliena faciat ab officio modestiâque subditi, tamen sciat, seu scire censeatur officia, ecquis tandem non censebitur non scire officia, quantumvis eadem negligat; contemnat mores patrios, & quæ alieni juris sunt, invadat ?

p. 2.

MUsicâ plurimum delectabatur Philosophus, non quidem adeò propter suavitatem, quæ mulcebat aures, quàm propter utilitates, quas summi pariter infimique ex illâ percipiebant, quotiescunque Priscorum more instituebatur; sic prorsus, ut quandoque Regni totius innovatio quædam, morumque singularis emendatio sequeretur. Tanta doctrinæ vis erat, quam Prisci Reges ac Magistri numeris suis illigaverant. *Confucius* itaque ex Regno *Guéi* redux in patrium *Lù* regnum, cum videret Musicam passim negligi; multa item quæ ad Reipublicæ administrationem, morumque disciplinam pertinebant, propè jam oblivioni tradita, vehementer optans instaurari omnia, alloquens Regni *Lù* magnum magistrum sic ait : Musices quæ Majoribus nostris in tanto fuit pretio, ejus tu saltem, qui pro officio illam tractas, potes esse peritus. Et illa quidem principio consonè unitis (inquam) & vocibus & instrumentis pleno, ut

no, ut aiunt, choro resonabat: deinde verò paululum remittens, cum proprio tamen cujusque vocis & instrumenti sono harmonicè perseverabat: sic quidem ut clara semper & sine ullâ confusione: continenter & sine interruptione: hac ratione majorum nostrorum musica perficiebatur.

f. 2. p. 1.

OPpidi quod *Y* vocabatur limitum præfectus à *Confucii* discipulis petivit copiam sibi fieri conveniendi & salutandi magistrum ipsorum dicens: Spectatæ probitatis sapientiæque viros quotiescunque accesserunt huc, ego nunquam non obtinui ut viderem. Discipuli introduxerunt hominem ut salutaret Philosophum: Quo salutato cùm egrederetur, conversus ad eosdem ait: O vos duo, tres-ve filii, quorsum mœretis & angimini animo, quod Magister ille vester vivat nunc procul à regno patrio & privatus sua dignitate? Porrò quod in imperio nostro sine lege vivatur, jam diu est: Et ego quidem sic statuo, futurum brevi ut cœlum, ex *Confucio* efficiat quasi vivum quoddam instrumentum *Mo to*, seu sonoram æris campani linguam ad populi totius institutionem.

Eligebatur olim Mandarinus unus è gravioribus, qui leges imperii, & sanam virorum sanctorum doctrinam per omnes Provincias divulgaret: Utebatur is autem tintinnabulo, quod æneum cùm esset, linguâ tamen ligneâ instructum erat; hinc Mo to *dictum; contra quàm tintinnabulum militare, quo statuta scilicet militaria bellique leges vulgari consueverant, quod ex ære totum erat; adeoque* Kin-to *vulgo dicebatur. Significatur hîc itaque, doctrinam Philosophi per Imperium totum propagatum iri: uti revera deinde contigit.*

p. 2. §. 1.

Confucius, uti commemorant, dicebat de musicâ *Xaò*, cujus author extiterat *Xún* Imperator, quod illa penitùs exhausserat elegantiam & pulcritudinem. Item quod exhausserat eadem clementiam & suavitatem. Dicebat autem de musica *Vù* dicta (fuerat hæc Imperatoris *Vu-vam*) præstantissimam quidem fuisse, plenamque majestatis: At non item suavissimam, bellum quippe & arma resonantem.

§. 2.

Confucius ait: Præfecti non sint clementes, rursus si qui fungantur mutuis urbanitatis officiis ceremoniisque, si non ex animo colant se mutuò: si denique tot inter apparatus funebres, nullus tamen veri doloris luctûsque sensus existat: Ego quorsum obsecro spectator horum omnium esse velim?

Digitized by Google

fo. 1. p. 1. §. 1.

CONfucius ait : Prorsus infrequens sit vicus & ignobilis, ubi scilicet familiæ degant non plures viginti quinque; incolæ tamen loci tales sint, ut mutua fides & amor vigeat; ab hoc uno petatur laus omnis & decor : sit item quispiam qui sedem sibi deligat, nec tamen commorari velit in hâc, quam diximus, sede charitatis & innocentiæ : Hunc ego quomodo censere queam esse prudentem ?

§. 2.

CONfucius ait : Improbi, haudquaquam possunt longiori tempore commorari cum ærumnis & paupertate, haud item possunt longiori tempore commorari cum faventis fortunæ lætitiis. Vir interim probus, quæcunque sors casusve incidat, in unâ conquiescit virtute : Vir etiam prudens, non emolumentum & lucrum suum petit ex virtute.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait : Solus ille qui probus est, tutò potest diligere homines, tutò potest odisse homines.

§. 2.

CONfucius ait : Si quis seriò firmiterque applicet animum ad virtutem, is nihil quod turpe sit aut contrarium rationi committet.

§. 3.

CONfucius ait : Opes & honores ea sunt quæ mortales appetunt. Verùm si non sit consentaneum ipsi rationi illa obtinere verus Philosophus neutiquam in illis persistet. Ultrò scilicet se his abdicabit. Rursus inopia & humilitas vilitasque ea sunt quæ mortales oderunt ac fugiunt : verus autem Philosophus, tametsi fortè non secundùm ipsum jus & ipsum hæc illi obvenerint, ipse tamen haudquaquam id aget, ut ab se per fas & nefas inopiæ vilitatem avertat.

f. 11. p. 1. §. 1.

QUocirca si quis audire velit Philosophus, & tamen abjiciat veræ sapientiæ virtutisque studium, talis qui sit, quomodo mereatur vel sibi conciliet Philosophi nomen ac famam.

§. 2.

VErus Philosophus ne tantillo quidem tempore quo solet corpus refici quidpiam committat contrarium virtuti rectæque rationi : Et quamvis incidat casus maximè repentinus, planè tamen in hoc virtutis proposito persistat. Imò quæcumque tandem rebus eversis ac perditis calamitates premant, planè tamen in hoc virtutis fundamento perseveret.

Digitized by Google

§. 3.

CONFUCIUS ait : ego nondum vidi quemquam, qui gauderet virtute & abhorreret à vitiis seu improbitate. Utriusque ratio hæc est, quod eum qui gaudeat virtute, velim tam inflammato illius studio & amore teneri, ut nihil eidem anteponat. Rursus, qui abhorreat ab improbitate, eum sic volo operam dare probitati ut non patiatur ne tantillo quidem, quod vitiosum sit, affici & inquinari suam personam.

p. 2. §. 1.

VErumtamen an est credibile dari quempiam qui generoso determinatæ mentis consilio velit, adeoque possit vel unius diei spatio impendere omnes vires suas in studium virtutis, & tamen ad eam non pertingat ? Ego certè nondum vidi quemquam, cujus ad hoc vires non sufficerent.

§. 2.

FORTASSE tamen dabitur, qui reverà tam imbecillis sit, at ego certè necdum vidi quemquam.

f. 12. p. §. 1.

CONFUCIUS ait : Quotiescumque homines excessu quodam peccant singuli ferè peccant in suo genere, sic ut quales ipsi sint, talis etiam sit excessus. Unde considerato quo quis peccat excessu, hoc ipso scit, qualis ipsa sit virtus in quâ vel excessu vel defectu quis peccat.

§. 2.

CONFUCIUS ait : Manè qui audiverit legem, vesperi mori potest. Nec erit quod vixisse pœniteat aut tædeat mori.

p. 2. §. 1

CONFUCIUS ait : Homo literatus qui constituerit operam dare veræ Philosophiæ & tamen erubescat viliorem vestitum, viliorem cibum, is profectò nondum idoneus est qui cum philosopheris.

§. 2.

CONFUCIUS ait : Perfectus vir, seu, verus Philosophus in hoc orbe non habet obfirmatum animum ad agendum, neque habet ad non agendum : convenientia cujusque rei est id quod sequitur.

§. 3.

CONFUCIUS ait : Proborum tota mens & cogitatio occupatur unà virtute, improbi contrà suis intenti commodis. Pari modo probi homines continenter animo volvunt ac revolvunt Imperii leges, Improbi verò cogitationes suas omnes defixas habent in lucris.

f. 13. p. 1. §. 1.

CONFUCIUS ait : Turpiter inhians lucris suis & juxta ea suas res agens ; plurimis utique reddetur odiosus.

Digitized by Google

§. 2.

CONfucius ait ? Si quidem Rex possit sive velit pro suo Regis officio moderari sese, & sic regere, quid obsecro laborabit ? E contrario, si nolens ipse pro suo Principis officio moderari sese, administret regnum, cui tandem erunt usui tam inania frivolaque officia.

§. 3.

CONfucius ait : Noli mœrere propterea quod careas publicâ dignitate. De hoc angaris, quod iis careas virtutibus propter quas eveharis. Rursus, noli mœrere, quod nemo sit à quo ipse cognoscaris. De hoc uno scilicet nobis laborandum est, tales ut simus, qui mereamur cognosci.

§. 4.

CONfucius ait : Heus tu, mi discipule *Sin* (alias *çemçu*) mea doctrina in radice suâ unum quid est, seu in uno maximè fundatur principio, quo ipse utor deinde in ordine ad omnes reliquas actiones. *çem-çu* Magistri sui mentem feliciter assecutus, prorsus, inquit, res habet ut dicis.

p. 2.

CONfucio non multo post egresso, discipuli ab *çemçu* sciscitati sunt, dicentes : Ecquid obsecro significant illa Magistri verba? Ad quos *çem-çu* sic ait : *Confucii* doctrina fundamentalis, & unicum rectè vivendi principium hoc est : Quidquid agas, agere verè ex animo totisque viribus & à tuo ipsius corde gradum facere ad alios : seu, talem te esse erga alios, quales esse velis alios erga te ; atque hoc sufficere, nec aliâ re esse opus.

f. 14. p. 1.

CONfucius ait : Vir probus ac verè Philosophus valde perspicax est in iis quæ sunt rationi consentanea, improbi verò ac homines oculatissimi suis in lucris & commodis, quid è re suâ sit, quid contrà, acutissimè discernunt.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait Probus si videat quempiam virtutibus instructum mox cogitat eidem se conformare. Idem si videat hominem virtutis expertem, inde etiam fructum suum petens, interius secum ipse mox disquirit, an ei fortè vitio suo sit similis.

§. 2.

CONfucius ait : Filius constanter morem gerat serviatque Patri & Matri. Si tamen ab eis fortè peccaretur, leniter ac pedetentim commoneat : quod si viderit eo esse animo parentes, ut non obsequantur monenti, supersedeat : Iterumque solita prodat observantiæ argumenta, & nequaquam verbo factoque eis adversetur. Quod si etiam laboribus molestiisque, immo etiam verberibus obruant eum castigentque

Digitized by Google

castigentque; eis tamen haudquaquam succenseat filius.

§. 3.

CONfucius ait: Quandiu Pater & Mater superstites sunt, filius ne longius seu in longinquiores terras evagetur. Verumtamen si gravis quæpiam necessitas longiùs proficiscì coëgerit, sciant omninò parentes ubi terrarum filius versetur.

f. 15. p. 1. §. 1.

CONfucius ait: Quisquis parentibus vitâ jam functis totos tres annos non discesserit à patrio more & instituto, is poterit nuncupari obediens.

§. 2.

CONfucius ait: Patris ac Matris annos seu ætatem, probus ac pius filius assiduè reminiscì debet, nec potest citrà culpam ignorare, partim ut lætetur ipse, partim ut pertimescat.

§. 3.

CONfucius ait: Prisci sermonem non proferebant nisi rarò & perparcè: Pudore quodam suo impediti scilicet, quod intelligerent se rebus factisque propriis nondum pertingere quò pertingebant sermone.

§. 4.

CONfucius ait: Homines frugi & assiduâ disciplinâ continentes sese & tamen delinquentes, utique rari sunt.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait: Verus Philosophus studio quodam tardus est ac muti propè instar in suis verbis, (vel affectat nescio quam tarditatem & quasi impedimentum linguæ in suis verbis) contra verò celer & expeditus idem est in operibus suis.

§. 2.

CONfucius ait: Virtus non est solitaria nec desertæ instar: Omnino habet vicinos suos; cultores, inquam, & sectatores.

§. 3.

DIscipulus çu yeu ait: Qui ministrat Regi, si importunus sit hoc ipso probrum sibi accersit: qui item apud sodales & amicos suos importunus, hoc ipso abalienabit ab se animos illorum. Sed caveant hîc (inquit Interpres) viciſſim viri Principes & quicunque amicitias colunt, ne dum monentur paulò liberiùs, repugnanter id accipiant, audiantque cum molestiâ, quod tamen cum fide benevolentiâque dicitur: Periculum est enim, ne vero amico protinùs succedat blandus, & fido monitori improbus assentator, qui eosdem non modò ferri sinat præcipites, sed ultrò quoque in exitium & ruinam propellat.

Digitized by Google

LIBRI TERTII
PARS TERTIA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS dicebat de discipulo suo *Cum ye cham* dicto; convenit ei uxorem dare, quippe viro planè integro, & maturæ solidæque virtutis. Nam tametsi sit inter atro fune vinctos, id est, carceri mancipatos; id tamen accidit alienâ culpa calumniantis innocentem; non accidit ipsius culpâ: *Confucius* itaque suam ei filiam nuptui dedit.

§. 2.

Confucius dicebat de discipulo suo *Nân-yûn*: Vir hic est raræ prudentiæ, & solidæ adultæque virtutis; itaque si in regno vigeant virtutes ac leges; ipse non negligitur, sed ad regni munia adhibetur: Si verò regnum sit sine virtute ac legibus; tum suâ prudentiâ servat se ab interitu ac periculis incolumem, propterea *Confucius* sui fratris filiam ei in uxorem dedit.

p. 2.

Confucius item dicebat de *çu-çien* discipulo suo: Quantæ sapientiæ ac virtutis vir hic est! At enim si regno huic nostro *Lù*, ex quo oriundus ipse est, non essent tot tamque insignes sapientiâ & virtute viri, quorum exemplis, usu, & institutione assiduè profecit; ipse undenam, aut quomodo sibi comparasset hanc tantam virtutem, tantamque sapientiam?

f. 2. p. 1. §. 1.

Cu-cum & ipse *Confucii* discipulorum unus, cum audivisset *çù-çién* condiscipuli sui ab ipso Magistro prolatum encomium; curiosus sciendi, quid de se Magister suus sentiret, ex eodem per contatus ait: Ego *sú* (nomen hoc erat ipsius *çù cúm*) qualisnam sum? *Confucius* respondit: Tu es vas. Quo ille audito iterum quærens ait: cujus-

modi vas ego ſum ? Cui reſpondens *Confucius*, tu, inquit, es pretioſum & elegans illud vas *Hû-lien* dictum quod inter vaſa ad uſum oblationum, quas Reges in majorum ſuorum aulâ facere conſueverant, erat pretioſum imprimis. Cum hoc itaque comparavit *Confucius* hunc ſuum diſcipulum, ut oſtenderet ipſum ejuſmodi talentis ornatum, quibus primum inter cæteros Regni Præfectos locum mereretur.

§. 2.

Confucii diſcipulorum unus *Yum* dictus, vir erat præ cæteris taciturnus; quidam hanc ejus taciturnitatem notans, *Confucio* dicebat : *Yum* diſcipulus tuus equidem vir probus eſt; verumtamen indiſertus & parum eloquens.

§. 3.

Confucius reſpondit : Ecquem tandem uſum habet illa oris facundia & loquacitas ? Nam obruere & opprimere alios garruli oris promptitudine, plerumque indignationem movet odiumque apud homines. Quod attinet ad *Yum* diſcipulum meum, quem virum eſſe probum aſſeris; ego quidem neſcio, nec diſcutio, ipſius probitatem : unum quæro, cui tandem eſt uſui illa quam tanti æſtimas, oris facundia ?

p. 2. §. 1.

Confucius juſſerat diſcipulorum ſuorum unum *çie tiao cai* dictum, Magiſtratum gerere. Hic reſpondit : Ego hujus rei nondum teneo vel aſſecutus ſum ſufficientem peritiam, ut eam auſim ſuſcipere. *Confucius* audito diſcipuli ſui reſponſo prudentiæ modeſtiæque pleno, admodum gaviſus eſt.

§. 2.

QUIÀ *Confucii* temporibus jacebat in Regno *Lù* neglecta virtus; neque Rex probos ſapienteſque viros ad publica munia adhibebat: *Confucius*, qui dignitates eo maximè conſilio admittebat, quod ſperaret ſic facilius doctrinam ſuam à populis admittendam; videns ſe, proboſque viros paſſim negligi, dolore plenus, in illa tandem prorupit verba, & dixit : Mea doctrina hodie negligitur, & non propagatur : Quorſum igitur Chinam adhuc incolo ? Conſcendam ratem, navigaturus per maria, & hoc tam corruptum moribus ſæculum ocyùs fugiam. Proculdubio ſequetur me abeuntem vel unus hic diſcipulus meus *Yeu* (vir ad ardua quæque tentanda promptus æquè & audax) *çu-lu* hæc audiens gaviſus eſt. At *Confucius* converſus ad hunc præfervidi animi diſcipulum, heus, inquit, mi *Yeu*; amore ac ſtudio fortitudinis equidem ſuperas me; at cares re illa qua arripias, quod conſultius eſt; cares, inquam, judicii maturitate.

Digitized by Google

f. 3. p. 1. §. 1.

PRæfectus Regni *Lù mem xu pe* dictus, volens promovere aliquos ad publica munia, percontatus est *Confucium* dicens: *çu lu* discipulus tuus estne veræ solidæque virtutis? *Confucius* quod sciret virtutem esse rem adeò arduam, ac proinde non facilè temerèque cuilibet tribuendam; prudenter admodùm respondit: vera solidaque virtus res est intimo cujusque animi recessu abdita; adeoque quis eam habeat, vel non habeat, pernosci difficile est: Quare an *çu-lú*, ut à me quæris, veræ solidæque sit virtutis, ego quidem nescio.

§. 2.

SUperiore *Confucii* responso non contentus Præfectus, eundem iterum de virtute discipuli *çu lu* interrogat: persuadere enim sibi non poterat, *Confucium* nescire discipulorum suorum virtutes. Tum *Confucius* respondit: Cum sit eximiâ fortitudine, bellicâque virtute præditus discipulus meus *Yeu*, in mille etiam curruum bellicorum regno, potest ipsi committi gubernanda ejusdem militia: Verumtamen nescio ejus interiorem virtutem.

§. 3.

IDEM Præfectus de alio *Kieu* discipulo *Confucium* percontatus, ait: Discipulus tuus *Kieu* qualisnam est? *Confucius* respondit: *Kieu* discipulo meo mille etiam familiarum oppidum, vel centum curruum bellicorum familia, potest committi, ut agat eorum gubernatorem: Attamen non mihi constat de ipsius virtute illâ interiore.

p. 2. §. 1.

RUrsum Præfectus interrogans *Confucium* ait: Discipulus tuus *Che* qualisnam est? An ipse fortè eam, de quâ quærimus, solidam virtutem possidet? *Confucius* respondit: Meus discipulus *Che* politiam callet, rituumque est peritissimus, indutus solemni veste, cinctusque Præfectorum cingulo si consistat inter cæteros Præfectos in aulâ regiâ, ubi se videndum exhibet Imperator; potest ei committi munus cum hospitibus legatis ad Regiam adventantibus loquendi & agendi. Cæterum, quod ex me quæris, nescio an ipse sit vir veræ solidæque virtutis interioris.

§. 2.

Confucius alloquens discipulum suum *çu-cum* (erat hic alienorum dictorum factorumve facilis Censor ac Judex) ait: Si te comparavero cum *Hoei* socio studiorum, uter alterum antecellet?

§. 3.

REspondit *çu-cúm*: Ego *Su* (nomen est *çu cum*) qui ausim me ex adverso ponere cum condiscipulo *Hoei*. Hic enim tantâ valet ingenii perspicaciâ, ut in ipso cujusque rei exordio, ejusdem simul videat terminum; adeoque audiens rem unam, jam inde intelligit decem

decem alias : Cùm interim ego, si quid assequor, longo usus studio & ratiocinatione vix tandem assequar; adeoque audiens rem unam per hanc, si quando succedit feliciter, in congnitionem venio duarum.

§. 4.

CONfucius tam modesto discipuli responso applaudens ait : Hoc quod tam syncerè fateris, nimirum te non esse, qualis ille est; ego omnino concedo tibi; planèque assentior te non esse talem qualis ille est. Cæterum hæc ipsa tui cognitio, & tam ingenua professio minoris facultatis, satis declarant, te, auditâ re unâ, plures quam duas cognoscendo posse assequi, & inferre ratiocinando.

f. 4. p. 1. §. 1.

CONfucii discipulus *çai-yû* dictus, de die crebro stertebat ac dormiebat; *Confucius* segnitiem ejus reprehensurus ait: Putre lignum non est aptum sculpi: Luteus paries non est aptus incrustari calce, in hoc itaque *çai yû* tam segni torpidoque discipulo cui sit usui correptio mea ?

§. 2.

CONfucius adeò torpentem exstimulaturus ait: Primis quidem temporibus ætatis meæ ego cum hominibus agens, audiensque illorum verba, protinùs credebam illos eodem modo operari; nec dubitabam, quin agerent quæ dicebant. At modò, mutatâ rerum morumque facie deceptum me agnosco. Itaque jam imposterum agens cum hominibus audiam quidem illorum verba; sed & simul contemplabor eorumdem opera & actiones, an verbis respondeant. Aliter non credam. Cum hoc discipulo meo *Tû* experientiâ jam doctus me correxi in hoc.

p. 2.

CONfucius aliquando dixerat: Ego nondùm vidi virum fortem. Adstantium fortè aliquis, ad Philosophum conversus ait: *Xinçem* nonne est fortis ? *Confucius* respondit: *çem* discipulus meus obsequitur appetitionibus pravis & oblectamentis sensuum; quomodo censeri potest vir fortis ?

f. 5. p. 1. §. 1.

DIscipulus *çu-cum* dixerat: Ego quod nolo ab aliis fieri mihi; ego quoque volo non fieri à me aliis; *Confucius* ut hos tam præclarè de seipso sentientis reprimeret spiritus, heus (inquit) mi *Sú* falli te nolo. Clarè loquar: Nondum tu eò perveniisti; adhuc magnum maris æquor arandum est.

§. 2.

ALiquando *çu-cum* dixerat: *Confucii* Magistri nostri exteriorem illam compositionem & ornatum seu styli, seu morum & actionum; potest quis etiam mediocris ingenii assequi & percipere

Digitized by Google

At verò hæc à *Confucio* noſtro aſſiduè prædicata natura ejuſque dictamen cælitùs homini inditum, non poſſunt tamen capi penituſque perſpici ne à perſpicacibus quoque ingeniis.

p. 2. §. 1.

CV-lú præfervidæ indolis diſcipulus, bonæ laudabiliſque rei quidpiam audiens ardebat illicò perficere. Sed quandoque id quod auditu perceperat, non valens ipſe quam primùm opere complere; angebatur animo ſcilicet ac ſolum timebat, nè interim novi quidpiam eſſet ad virtutem ſpectans quod ſeſe offerret denuò audiendum, antequam illud, quod prius intellexerat opere compleviſſet.

§. 2.

JAM olim in more poſitum erat Sinis, ut qui in Magiſtratu aut dignitate ſuâ laudabiliter vel perperam vixiſſet, poſt mortem propriâ vel honoris vel opprobrii notâ afficeretur. *çu-cum* itaque *Confucii* diſcipulus, cum ſciret Regni *Guêi* Præfectum *Cum-yù* dictum, dum viveret, multa haud laudabilia patraſſe, (inter cætera author fuerat cuidam *Tai xo çie* nominato, uxoris repudiandæ, ut ei deinde ſuam ipſius filiam daret nuptui) & tamen poſt mortem honorifico illo cognomento *Cum-vem-çu* auctum appellatumque fuiſſe; non parùm miratus, Magiſtrum interrogat dicens: Præfectus ille *Cum-ven çù*, quânam de causâ poſt mortem vocatus eſt, honoratuſque literâ illâ *Vên*, quæ ornatum ſignificat. *Confucius* reſpondit: Præfectus autem iſte tametſi acutus ipſe & perſpicax naturâ eſſet; tamen gaudebat identidem ſtudere libris & addiſcere; nec erubeſcebat aut dedignabatur inferiores quoque miniſtros, imo & plebeios conſulere, & quidem iis de rebus, quas, qui conſulebantur, fortè non uſquequaque callebant. Ornatus itaque modeſtiâ tam ſingulari dum ageret in vivis, idcircò à morte ſuâ jure merito cognominatus eſt ornatus. Liber enim, è quo ejuſmodi poſthumi tituli depromi ſolent, ſic ait: *Kîn hiŏ háo vén yvĕ vén.* Id-eſt: qui cùm viverent, diligenter ſtuduerunt, alioſque libenter conſuluerunt, à morte cognominandi ſunt ornati.

f. 6. p. 1. §. 1.

CONfucius Præfectum Regni *Chím, çú chàn* dictum identidem deprædicans aiebat: Præfectus *çù chàn* habet proprias perfecti viri virtutes quatuor. Nam ipſe res agens ſuas ipſius, admodum moderatus, modeſtoque ac demiſſo eſt animo, nunquam ſe ſuaque laudat: idem tamen alios, qui probitate conſpicui ſunt, palàm deprædicat, ſibique ultro præfert. Deinde, ipſe ſerviendo & obſequendo Principi ac Superioribus ſuis magnâ cum obſervantiâ ſe gerit, promptéque & alacriter facit imperata. Præterea ipſe conſervando tutandoque populo perquàm eſt beneficus, quæ ſubditis ſuis commodo ſunt & lucro, ſollicitè procurans; quæ damno, arcens. De

Digitized by Google

nique ipse gubernando populo, & jure dicundo magnam adhibet æquitatem & justitiam, nemini favens impensiùs, neminem aspe-riùs quàm fas sit tractans, æquus adversùs omnes. Itaque Regnum *Chim* tametsi jaceat inter duo Regna præpotentia *çín* & *çû* medio situm loco: tali tamen administro rerum suarum, egregiè tuetur libertatem suam, vimque omnem & insidias vicinorum Regnorum avertit. Tantum scilicet præsidii est, vel in unius viri sapientiâ & virtute.

§. 2.

Confucius ait: *Yén pîm chúm* (nomen hoc erat Præfecto Regni *çî*) omnes explet numeros, in colendâ cum hominibus amicitiâ: Est enim amicus vetus, & tamen reverens. Velut si amicitia foret etiamnum recens.

§. 3.

Confucius ait: *Cam vên chúm* domo suâ abdidit magnam testudinem *çai* dictam, seu, habitat in domo, quæ similitudine suâ refert locum illum nativum testudinis, *çai* dictum. Nam montium figuris cælata habet epistylia, & herbarum palustrium figuris depictas columellas: Qualis, obsecro censeri potest ejus prudentia qui commissi sibi populi oblitus felicitatem captet aut speret ex hujusmodi loco.

p. 2.

Discipulus *çù-cham* quæsivit à *Confucio* dicens: Gubernator Regni *çu*, nominatus *çu vên*, ter ad officium promotus gessit supremum Magistratum *Lîm yn* dictum, absque ullâ, quam vultu præferret, lætitiæ specie: Idemque exauthoratus est, absque ullâ item, quam vultu proderet, indignationis specie: Imò de præteritâ officii illius sui *Lim yn* administratione infallibiliter certiorem faciebat novum, qui ipsi successerat, gubernatorem, ei sine ullâ prorsùs invidiâ candidè significans, quidquid usu didicerat prodesse vel obesse posse urbi feliciter administrandæ. Ecquid videtur dicendum de hoc viro? *Confucius* respondit: Vir sanè fidelis & rectus fuit: Instat discipulus & ait: Annon solidæ virtutis vir dici potest? Philosophus respondit: Necdum scio. Quomodo enim scire possim an ipse obtinuit solidam animi veramque virtutem.

f. 7. p. 1.

IDEM discipulus *çu cham* rursum percontans ait: Olim Regni *çi* Præfectus *çui çu* nomine, occiderat ejusdem Regni *çi* Regem: Tum alter ejusdem Regni Præfectus *Chin ven çu* dictus, immane parricidium execratus, tametsi ratione dignitatis & muneris sui, quod tum gerebat ibi commodè splendideque viveret, habens equorum decem quadrigas, seu, quadraginta equos; hæc tamen omnia ultrò reliquit, & profectus pervenit ad aliud Regnum: Ubi cum improbos item

Digitized by Google

Præfectos, Regique parùm fideles offendisset, illicò ait : Hi Præfecti similes & ejusdem omnino farinæ sunt cum nostrate Præfecto *çui çu* : Nihil itaque negotii mihi cum illis sit. Profectus ergò inde, pervenit ad unum aliud Regnum : Ubi similiter offendens improbos Præfectos, illicò etiam ait : Et hi etiam similes omnino sunt nostrati Præfecto *çui çu*. Quare inde quoque abiit profectus aliò. De hoc viro quid tibi videtur ? *Confucius* respondit : Dici sanè meretur, qualis re ipsâ fuit, vir purus & integer. *çu cham* iterum quærit : sed solidæ virtutis vir fuisse dicendus est ? *Confucius* respondit nescio : Cùm enim vera solidaque virtus in intimo corde lateat, & in externis certò deprehendi nequeat ; quomodo ego assequi illicò aut scire possum, an ipse veram solidamque virtutem acquisiverit.

p. 2. §. 1.

OLIM Regni *Lu* Præfectus *Kî vên çù* dictus, vir erat morosus & cunctator in expediendis negotiis : Quippe omnino ter secum ipse perpendebat singula ; ac tum demùm exequebatur. *Confucius* hæc audiens ait : iterum, seu bis expendere maturè omnia, hoc enim verò convenit : nec opùs est deinde cunctari diutiùs ac deliberare ; ne dum justo prudentiores sumus, contra ipsam prudentiam vel maxime peccemus.

§. 2.

Confucius ait : *Ním vù çù* Præfectus Regni *Guéi*, quando in Regno, seu domo Regiâ, viget probitas, prudens audit apud omnes. Si quando autem Regnum est sine lege ac probitate sic ut perturbari incipiat ac periclitari ; ipse tempestati subducens sese, sic latitat, ut à vulgi oculis remotus, prudentiâ suâ & consilio fulcire labantem Rempublicam non cesset : Cæterùm quia hæc privatus, & clam præstat ; ipse tum rudis audit, meticulosus & ad res gerendas imperitus : At ego sanè sic judico quod ad ejus prudentiam, quâ pacis tempore in regno eminet, facilè possit quis pertingere illumque imitari. At verò ad prudentissimam ejus ruditatem illam, dum perturbata sunt omnia, incolumitati propriæ publicæque consulentem, non potest nisi difficillimè & à paucissimis pertingi.

f. 8. p. 1.

Confucius cum esset in Regno *Chin* ; videret doctrinam suam non admitti ; Revertar itaque, revertar in patrium Regnum *Lu* : Saltem populares mei adolescentes discipuli, ut sunt altioris spiritûs ad summa quæque adspirantis, & inferiora communiaque aspernantis, ita ad elegantiam & ornatum contexunt orationes suas & lucubrationes ; nec sciunt interim quid & qua ratione castigent ; ignari scilicet regulæ illius secundum quam solemus quidquid est nimium, ultraque fines recti luxurians prudenter amputare.

p. 2. §. 1.

Digitized by Google

p. 2. §. 1.

CONfucius dixit: *Pĕ y* & *Xŏ cĭ* filii Regis Regni *Cu chŏ* (de quibus parte 4. agetur) Non reminiſcebantur, ſive, non revocabant in memoriam præterita aliorum ſcelera. Licet odio haberent improbos propter ſcelera ſua, ſi tamen ſerio reſipiſcerent; ſic eos complectebantur, ac ſi nihil unquam peccaviſſent. Querelarum igitur & obmurmurationum de iſtis quidem Principibus fuit uſus longè rariſſimus: Adeò chari erant omnibus, graves odioſique nemini.

§ 2.

Vi ſem cao vir erat in opinione quidem vulgi admodum ſyncerus & candidus: Sed *Confucius*, qui obſervârat hominem, ut oſtendat quam obnoxia ſint errori judicia multitudinis imperitæ, unam exponens ipſius actionem ſic ait: Ecquis, obſecro, dicat *Vi ſem cao* virum eſſe rectum & ſyncerum, quandoquidem nuper uno aliquo petente ab illo acetum; cùm ei reverà non eſſet, non hoc tamen ingenuè faſſus eſt; ſed contrarium ſimulans clam mutuum petivit à ſuo vicino, & petenti dedit. Porrò videant nunc, qui candorem hominis uſque adeò deprædicant, an res ipſa famæ reſpondeat.

f. 9. p. 1. §. 1.

CONfucius aiebat: Affectata comptæ orationis verba, quibus mulceas ac titilles hominum aures: affectatam item blandi oris ſpeciem qua aliorum oculos allicias: Nimias denique cerimonias, quibus aliorum gratiam animoſque captes; artes ſcilicet induſtriaſque levium hominum atque fallaciûm, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem; verbo, adulatorum; inſignis quidem vir ille *ço kieu mim* erubeſcebat & damnabat: Et ego quoque non minus erubeſco & damno. Præterea mutua hominum inter ſe conſuetudo, fidem & candidam veritatem vel maximè poſtulat: Itaque tegere odium animo conceptum & iterum falſis ſimulatæ amicitiæ officiis proſequi eum ipſum hominem quem revera oderis vir ille ſapientiſſimus *ço kieu mim* item erubeſcebat oderatque, ſed & ego quoque deteſtor & erubeſco.

§. 2.

DIſcipuli *Yen yven* unus, alter *Ki lu*, vel *çu lu* ſoli adſtabant lateri *Confucii* Magiſtri ſui, tum *Confucius* ad illos converſus ait: Cur non uterque mihi exponitis veſtrum animi propoſitum ac deſiderium?

§. 3.

CU-lu priòr reſpondens ait: Deſidero ego currus & equos, induis que bonis ac levibus pelliceis; & hæc omnia cum amicis habere communia: eiſdem quoque res meas atterentibus longo uſu & prorſus abſumentibus tamen neutiquam indignari, nec id moleſtè ferre.

§. 4.

DIscipulorum alter *Yen yven* deinde item respondit: Ego vero desidero non ostentare, aut inaniter jactare, si quæ in me sunt bona; nec extendere vel amplificare merita mea coram aliis.

p. 2.

TUM illorum alter *çu lu* ait: Desideramus nunc audire tuam sententiam, desiderium ac votum. Tum *Confucius* respondit: Quod ego imprimis expeto, hoc est, ut ii qui jam grandes natu sunt, placidè quiescant, foveantur ab omnibus & observentur: ut amicos inter & æquales mutua fides constet: ut, qui minores ætate sunt, qui valetudine, viribus, conditione cæteris inferiores amanter & benignè foveantur: Verbo, votum generis humani, votum meum est.

f. 10. p. 1. §. 1.

Confucius ait: Actum est, proh dolor! Quotus enim quisque reperiatur hac ætate nostrâ, qui sumet severus censor sit, idemque testis, accusator, & Judex: Ego quidem nondum vidi quemquam hujusmodi, qui vellet, inquam, agnoscere suam culpam, & intus, id est, pro interiori illo mentis suæ quasi tribunali semet in jus vocare, seseque reum agere, debitasque exigere pœnas.

§. 2.

Confucius ait: In quolibet quamvis ignobili & parvo, exempli gratiâ, decem nec amplius, domorum pago, utique dantur aliqui synceri homines ac veraces (qualis & ipse sum) proprio quodam naturæ beneficio tales. At non dantur æquè ut ego amantes discere & proficere.

§. 3.

Confucius laudaturus discipulum suum *Gen-yum* ait: Discipulus meus *Yum* vir est admodùm moderatus, lenis, minimèque minutus ac tetricus; dignus proinde, quem faciant Austrum versùs respicere, sive obverso ad meridiem vultu considentem jus dicere: Id est, dignum judico præfecturâ. Nam apud Sinas non tantùm Regis aula, sed omnium etiam Præfectorum Regiorum tribunalia Austrum respiciunt.

p. 2. §. 1.

MODO memoratum discipulum *Yum*, seu *Chum cum* cupido incessit percunctandi de *çù sam pĕ çù* dicto, quem studio & indole sibi haud absimilem esse noverat; magistrum itaque interrogavit de *çù sam pĕ çù*, quid ipsi videretur? *Confucius* respondit: Potest, seu, dignus est, & ipse magistratum gerere: vir enim moderatus est nec qui minutiis intentus, majora negligat.

Iste çù sam pĕ çù *oriundus è Regno* Lù (*quem non injuriâ quis vocet Diogenem Sinicum*) *Magnus fuit vel sumet contemptor, vel certè gra-*

vitatis elegantiaque Sinica, laceris incedebat vestibus & sine pileo, adeò non erubescens paupertatem suam, ut ostentaret potiùs: dicere solitus: Nec cœlum clam tegit omnia, nec terra clam sustinet omnia; quo pacto igitur cœlum ac terra velint me tegere paupertatem? *Facetum illud quod de ipso traditur:* Confucius *visendi gratia adibat hominem: At is discooperto ut erat capite tantum hospitem excepit: haud leviter ea res* Confucii *discipulos offendit, quod, neglecto ritu operti capitis hospitem salutaret: qui adeò, quorsum (inquiunt) ô Magister adis hominem usque adeo agrestem & rusticum? Ad quos Philosophus: Placet mihi recti hominis simplicitas; rusticitas utique non placet: At huic ego mederi pervelim. Ipsum deinde* çù sam pẽ çù *quod is vicissim pararet salutare* Confucium *discipuli sui gravitate* Confucianâ *nihilo minùs offensi, dehortabantur scilicet: Quibus ille non auditis: Eundum est, inquit: nam integritas hominis mihi placet, gravitas non item: At huic ego mederi desidero.*

§. 2.

AD hæc *Chum cum* quærens ait: ut quis domi suæ secum ipse severus sit & rerum quamvis minimarum rationem exigat ab se, & sicubi peccatum est, etiam pœnas; At verò foris, & dum gerendæ sunt res publicæ; tunc uti remissione quadam indulgentiâque in gubernando suo populo nonne expedit? Contrà verò domi suæ, id est, in suâ ipsius personâ, seu, secum ipso remissum esse, sibique indulgere; & dum gerendæ sunt res publicæ similiter esse remissum, nonne hæc est nimia planè remissio, & quæ cedat in damnum non unius tantum, sed multorum?

§. 3.

Confucius supradictum discursum approbans ait: Discipuli mei *Yum* verba omnino vera sunt.

f. 11. p. 1.

NGAI cum Regulus Regni *Lu* quæsivit ex *Confucio* de discipuli ipsius, ecquis eorum esset præ cæteris studiosior. *Confucius* respondit: Fuit mihi discipulus *Yên hoêi* admirabili quodam ardens studio discendi & proficiendi. Itaque omnino non transferebat is seu exerebat iram vel in homines vel in res, à quibus lacessitus fuerat. Neque is etiam bis unquam peccabat. Sed infelix abruptâ vitâ meo ac bonorum omnium dolore immaturè obiit (ætatis scilicet anno trigesimo secundo) terris tantum ostensus. Nunc igitur ipso mortuo, ego adhuc quidem non cognovi quemquam, nec audivi, qui pari flagraret studio virtutis ac sapientiæ.

f. 12. p. 1. §. 1.

HOC paragrapho discipuli commendant *Confucii* Magistri sui æquitatem in conferendis beneficiis. Nam discipulo *çù hoa* fortè misso ob publica quædam negotia in Regnum *çi*, jussu *Confu-*

tii; discipulorum alius *Gén-çù* dictus, pro ipsius condiscipuli matre apud *Confucium* tunc Magistratu fungentem intercedens rogavit ut præberetur eidem milium per modum annonæ. *Confucius* respondit: Detur ei una mensura *Fu* dicta, quæ è minoribus est. Verùm cum parum id esse videretur; rursum patrocinatus, rogavit augeri mensuram: Et *Confucius* respondit: Detur ei major mensura *Yu*, sed cùm hoc etiam auctarium tenue esse videretur; ipsemet *Gen-çu* promens de suo, præbuit ei milii quinque mensuras grandes *Pim* dictas, utique prodigâ, & majore, quàm par erat, liberalitate.

§. 2.

Confucius, memoratam discipuli sui *Gen-çù* liberalitatem, uti nimiam, damnans; ne putes (inquit) avaritiâ quâdam, sordidâve parsimoniâ factum esse, quod non jusserim præberi amplius. Etenim condiscipulus tuus *Che çu* (idem est qui *çu hoa*) profectus in Regnum *çi* conscendit splendidum & probè pastum equum, & induit sese levibus optimisque pelliceis, quippe dives ipse ac locuples. Atqui, quod semper ego audivi vir probus ac prudens elargitur egentibus, non autem superaddit divitibus.

§. 3.

Confucius in Regno *Lu* primi ordinis gerens Magistratum, discipulo suo *Yven su* ibidem oppidi Præfecto sic tamen ut ipsimet *Confucio* pareret, præbuit in censum præfecturæ, quam exercebat, novies centum (non exprimitur species mensuræ, aut rei in censum datæ) at ille recusavit.

§. 4.

Confucius factum improbans ait: Ne recuses stipendia à Rege statuta. Si superflua familiæ tuæ sunt, admittas tamen, ut dispertiaris inter tuas villas, pagos, vicos, & oppida curæ tuæ commissa, in quibus utique egeni & pauperes.

p. 2.

Sinenses olim ad sacrificia tantum adhibebant animalia unius coloris: ipse verò color alius fuit atque alius pro varietate temporis & familiarum, penes quas fuit Imperium. Tempore Imperii *Cheu* rufus erat in pretio. *Confucius* igitur loquens de discipulo suo *Chum cum*, eumque sub appositâ metaphorâ laudare volens, ait maculosæ seu versicoloris vaccæ filio sive vitulo, rufo toto & instructo suis cornibus eleganter rotundis: Tametsi hominum plerique velint non uti ad sacrificium, eò quod natus sit ex maculosâ matre: Anne etiam montes & flumina (præsides, inquam, montium fluminumque spiritus) illum idcirco respuent, si offeratur? Haud opinior. Ita ergo discipulus hic meus, tametsi pater ei sit vilis & abjectæ conditionis homo, variis item notatus vitiorum maculis, adeoque maculosi bovis instar; ipse tamen virtute insignis,

rufi

rusi instar est vituli. Uti igitur stulto certè improboque filio, nec virtus patris ac sapientia ornamento esse potest ; nec improbitas stultitiaque patris fraudi esse debet probo filio & sapienti, adeoque digno qui ad publica munia adhibeatur.

f. 13. p. 1. §. 1.

Confucius aiebat : Solus *Hoéi* discipulus erat cujus animus sui victor trium mensium spatio, nunquam amittebat hanc virtutem *Gîn*.

Virtus Gîn *est illa interior & solida animi perfectio quâ fit ut naturale lumen cœlitus inditum constanter sequamur, sicut à suscepto cursu ne exiguo quidem temporis momento desistat.*

At verò cæteri discipulorum meorum, uno quidem die, nonnulli etiam mense uno satis animosè dant operam excolendo animo, victoriæque sui; adeòque pertingunt & ipsi, quò tam impigrè fortiterque contendunt : Sed enim non est perpetua quædam vis atque contentio : consistunt tandem, & mox aguntur retro ; & non sine labore parta, repente amittunt.

§. 2.

Ki cam çu Præfectus Regni *Lu* quærit à Philosopho, an *Chúmyéu* discipulus ejus possit admoveri gerendæ Reipublicæ ? *Confucius* respondet : Discipulus meus *Téu* vir est haudquaquam lentus, aut timidus ; sed admodùm certi promptique consilii, quique adeò lites quaslibet sapienter decidere, & quæcumque etiam intricata difficiliaque negotia expedire queat : In gerendo igitur magistratu quid habeat, obsecro de quo laboret ? Præfectus rursum quærens ait : Discipulus tuus *Sú* potestne admoveri item gerendo magistratui ? Respondet Philosophus : Discipulus meus *Sú* est perspicacis & omnia penetrantis ingenii, quo rerum causas, negotiorumque rationes omnes ac fines perquàm facilè cognoscit : In gerenda itaque præfectura, quid habet negotii vel difficultatis ? Tertium quærens ait : An etiam *Kiéu* discipulo tuo potest injungi administranda Respublica ? Respondet *Confucius* : *Kiéu* discipulus meus arte valet & ingenio ad res omnes idoneo : ad gerendum itaque magistratum quod attinet, quid impedimenti quæso habet, quominùs eum præclarè gerat ?

p. 2.

Ki xi Colaus Regni *Lu*, vir improbus misso nuntio jussit *Confucii* discipulum *Mim çu kien* agere *Pí* oppidi sui Præfectum : *Mim çu kien* ut erat vir probus & integer nuncio dixit : Quæso te, optimis verbis pro me recusa ac deprecare onus, quod usque adeò reformido. Certè si contigerit, ut excusationem non admittat, & tu iterum revertaris ad me cum eodem mandato ; tunc ego necessitate compulsus fuga mihi consulam, & consistam ad flumen *Vén* in

extero Regno ci. Præclarus sanè Philosophus, qui dignitatem & censum ab improbo delatum, exilii molestiis posthaberet.

f. 14. p. 1.

VETUS erat mos Sinarum, ut qui decumbebant ex morbo, lectulum collocarent ad Borealem fenestram domûs suæ, oppositi directè meridionali plagæ ejusdem domûs. Quoniam verò similimus quoque situs erat Regis, quotiescumque is considebat, ut scilicet obversus Aquiloni, Meridiem recta fronte respiceret: idcirco, si quando Rex visebat ægrotantem, stratum hujus ad Meridionalem cubiculi partem sine morâ transferebatur, tantoque hospiti locus honoratissimus, uti par erat deferebatur. *Pe niem* itaque discipulo *Confucii*, fortè ægrotante eumque visendi gratiâ adeunte *Confucio*, voluit is honore quanto poterat maximo excipere Magistrum, stratumque suum non secus ac si Regem præstolaretur, transferri jussit. At *Confucius* rem subodoratus, & certùs haud admittere honorem uni debitum Regi, peramicè quidem percontatus est discipulum de suâ valetudine; cæterum ab ingressu cubiculi abstinens sese, foris secus ex ipsâ fenestrâ, ad quam æger applicuerat lectulum, apprehendit ejus manum, certaque notans mortis indicia, ingemiscens ait: Moriendum est. Hæc est cæli voluntas. Proh dolor! fierine potest, ut cum talis ac tantus vir sit, tamen habeat talem morbum? fieri ne potest, ut cum talis ac tantus vir sit, tamen habeat talem morbum?

p. 2. §. 1.

HIlarem paupertatem, frugalitatemque discipuli sui *Yen hoei* celebraturus *Confucius* ait: O quam sapiens ac probus erat *Hoei* discipulus meus charissimus! Cum uno quasillo seu fiscella oriza coctæ in cibum, & unâ scutellâ aquæ in potum contentus & alacer, degebat in vili desertoque plateæ angulo. Cæteri homines utique non valerent sustinere hanc ejus tantam in victu cultuque asperitatem; adeoque plenam tædiorum, ut aucumam, mœstamque vitam. Sed enim magnus ille Philosophus *Hoei*, sui semper similis nullo modo mutabat suam lætitiam. O sanum! ô verè sapientem virum discipulum meum *Hoei*.

§. 2.

GEN *Kieu* remissioris animi discipulus cum *Confucio* Magistro suo colloquens ait: Non est quidem quod ego non amem æstimemque tuam, *Confucii* doctrinam & quod ideò parum in ea proficiam: Sed vires meæ non sufficiunt. *Confucius* respondit: Vires cui non sufficiunt is in medio viæ consistit. Nunc autem tu, mi bone vir, per socordiam viâ nondum cœptâ tibi terminum ipse statuis.

Digitized by Google

f. 15. p. 1. §. 1.

Confucius alloquens discipulum suum *çu-hiá* ait: Tu, mi discipule, unus esto de perfectis illis, vereque magnis ac Regiis literatis: Haudquaquam sis de literatulis illis, seu vilibus improbisque literatis.

§. 2.

CU yen discipulus *Confucii* olim agebat oppidi *Vu-chim* in Regno *Lu* Præfectum. *Confucius* eò divertens, percontans ait: Tune in hoc oppido nactus es egregium virum tibi familiarem? Respondit discipulus: Est hîc vir unus ex familiâ *Tan tai* nomine *Miĕ miñ*, homo perquam serius & rectus, qui per Regiam virtutis viam incedens, nunquam declinat ad obliquas privatarum affectionum semitas. Itaque nisi detur publicum aliquod negotium, non admodùm frequens venit etiam ad meas, amici tamen sui, ædes.

p. 2.

Confucius laudans Præfectum exercitûs *Mem chi fan* à singulari quâdam modestiâ, admirabundus sic ait: *Mem chi fan*, nunquam se jactat. Nuper quidem ardente bello inter regna *Lù*, & *çi*, cùm inito fortè conflictu funderetur exercitus noster, cum jam strages cum fuga fieret, ipse tum præsenti animo in extremo agmine persistebat, victoris impetum reprimens, impigrè munus obiens ducis pariter militisque. Ubi verò pleriscque suorum in tuto positis, ipse etiam jamjam ingressurus erat propriæ urbis portas; tùm videlicet stimulavit suum equum, postremus omnium incedens, & dixit: Haud equidem fuissem ausus ego accepta clade postremum tenere agmen fugientis exercitus, sed enim equus hic meus lassitudine fractus non progreditur.

f. 16. p. 1. §. 1.

Confucius videns in Regno *Guei* promoveri eos dumtaxat qui valerent gratia vel diserti oris vel venusti, ingemiscens ait: Nisi cuipiam fuerit vel *Chŏ tŏ* Præfecti loquacitas vel certè fuerit venustuli illius *Sum chao* lepor & elegantia, difficile est evadere ab hoc præsenti sæculo, nec insidiis invidorum, odiisque & injuriis inimicorum opprimi.

§. 2.

Confucius ait: Quis autem egrediatur domo, & non per ipsos egrediatur postes domûs? Cur igitur non procedimus per ipsam viam? Cur inquam non simili ratione quidquid negotii suscipimus, quidquid aggredimur rerum, per ipsam cujusque rei convenientiam & propriam quasi viam postemque ingredimur, & perducimus ad finem, quem nobis ipsi præfiximus.

§. 3.

CONfucius ait : Si ſimplex naturæ indoles excedit exteriorem ornatum & compoſitionem, id eſt, ſi natura ſibi prorſus relicta ſit, nihilque vel ſubſidii, vel ornamenti acceperit ab arte, vel culturâ tum illâ procul dubio rude quid erit, ruſticumque & agreſte. Contra ſi ars, ſeu veriùs ornatus ille cultuſque, exterior, excedit naturalem, illam ſimplicitatem; tum affectatum, neſcio quid, merè politicum & merè concinnulum exiſtet. At verò ſi interiori naturæ ſimplicitati & candori exterior ille cultus & ornatus ita ſocietur, ut citra exceſſum alterutrius vel defectum ſibi mutuo gratâ cum diverſitate, ſed & juſtâ cum proportione reſpondeant : Tum demum verus exiſtet *Kiun çu*; exiſtet (inquam) illuſtre quiddam & numeris ſuis abſolutum, viri ſcilicet gravis ac politi pulcherrima ſanè ſpecies : Sicut & pulcherrimam ſolet efficere in ipſo quoque corpore, apta figura membrorum cum ſuavitate quadam coloris conjuncta.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait : Homo naſcitur rectus. Depravatur ? Tum vivere illum, & mortem evadere, fortuitum ac immeritum quid eſt.

§. 2.

CONfucius agens de tribus quaſi claſſibus hominum virtutem profitentium, ſic ait : Ii qui intelligunt ac ſatis perſpectum habent quid ſit virtus, & quantoperè ſit expetenda, non ſunt æquiparandi cum iis, qui amant, id eſt, qui virtutem ſtudio affectuque proſequuntur, ſed hi quoque virtutis amantes non ſunt æquiparandi cum illis qui jam læti potiuntur eo quod amant.

§. 3.

REctam docendi alios rationem traditurus *Confucius* ſic ait : A mediocris ingenii hominibus ſurſum aſcendendo, poſſunt utique proponi ſublimiora, quippe capient, diſcentque feliciter. At verò à mediocris ingenii hominibus deorſum deſcendendo, non poſſunt proponi ſublimiora : Quippe tam ipſi, quàm qui docere ipſos voluerint, oleum & operam perdent.

f. 17. p. 1.

DIſcipulus *Fân chî* Magiſtrum ſuum percontatus eſt de Prudentiâ, ſeu prudente. *Confucius* reſpondit : Quiſquis enixè dat operam humanis, ſeu iis quæ hominem maximè condecent virtutibus : Veneratur item ſpiritus, & cum iiſdem nonniſi eminùs agit, hic demùm poteſt dici verè prudens. Diſcipulus *Fân-chî* percontatus eſt de virtute *Gîn*, ſeu de interiore, eâque ſolidâ & conſummatâ virtute. Reſpondit *Confucius* : Veræ ſolidæque virtutis homo ſi primùm laboret, & poſtea obtineat, tum poterit dici veræ ſolidæque virtutis homo.

p. 2. §. 1.

Digitized by Google

p. 2. §. 1.

Confucius ait : Æqui verique perſpicaces induſtriique homines gaudent aquis : At verò ſolidæ virtutis viri gaudent montibus. Illi quippe, id eſt, æqui verique perſpicaces homines, non aliter quàm fluenta quædam in perpetuo ſunt motu; dum res, cauſaſque rerum indagant; dum alia ex aliis deducunt, ſemperque agunt quid & moliuntur : Iſti verò, id eſt, ſolidæ virtutis viri, montium inſtar in perpetua quiete firmi immobileſque perſiſtunt. Æqui verique perſpicaces viri quidem jucundè vivunt; virtutis autem poſſeſſores, quia tam placidè, tam tranquillè; idcircò etiam diu vivunt.

§. 2.

Confucius ait : Regnum *çi*, ſi fortè fortunâ reſtaurabitur aliquando, ſimul atque mutatio illa in melius, ſeu reſtauratio continget, vix tamen ipſum pertinget ad præſentem Regni noſtri *Lù* ſtatum. At verò Regnum *Lù* ſimul atque ſimili mutationi ſeu revocationi locum dabit; aſſequetur illico Priſcorum Regum ſuorum virtutem, & regendi inſtitutum. Cum enim civilis illa comitas & obſervantia, etiamnum vigeant, nihil in eo magnoperè deſideratur, niſi ut reſtauret ac renovet propè jam collapſam clementer ac juſtè ſubditos regendi rationem.

f. 18. p. 1. §. 1.

Confucius ut doceat, unumquemque mortalium vel implere nomen ſuum oportere, vel certè deponere; ſimili utitur petito à tabellâ quadratâ vulgo *cu* dictâ, quâ olim Sinæ papyri loco utebantur ad ſcribendum : Ait itaque : Tabella illa quadrata *cu* niſi quadrangularis fuerit, quadrata qui dicetur? Si Rex quæ Regis, ſi homo quæ hominis ſunt non exerceat, quomodo dici poteſt Rex vel homo?

§. 2.

CAI ngo diſcipulus virtutem (pietatis imprimis) Sectari ſe profitebatur, cum tamen virtutis hujus naturam ac proprietates necdum ſatis ipſe perciperet : Magiſtrum itaque interrogans ait : An homo verè pius, aliorum amans, talis eſſe debet, ut tametſi nonniſi incertæ fidei quiſpiam nunciet dicatve in puteo eſſe hominem qui periclitetur, ipſe è veſtigio nuntiantem proſequatur, ac cum periculo capitis ſui in puteum ſe demittat? Ad hanc diſcipuli quæſtionem *Confucius* reſpondit : Quorſum faciat is hoc modo? vir perfectus, tenetur ille quidem ſuccurrere periclitanti : Sed non tenetur neque licitè poteſt cum præſentiſſimo diſcrimine; quo fiat, ut nec alteri nec ſibi conſulat, quocirca expedit decipi, non tamen expedit perire.

Digitized by Google

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Verus Philosophus amplissimo quodam versatur studio in libris scientiisque omnibus; omnia examinans restringit exigitque ad regulam rectæ rationis. Et sic quidem fieri poterit, ut is à veritate & virtute nunquam declinet.

§. 2.

Confucius olim in Regno *Guéi* Magistratum gerebat, Imperante *Lim cum* Rege. Porrò conjugem Regis *Nân-çu* dictam cupido incessit Philosophi: Philosophus haud ignarus fœminam esse deterioris famæ, semel iterumque congressum excusarat. Sed cum instaret illa (quippe moris tunc erat, ut quotquot magistratum gererent, etiam Reginæ sisterentur) *Confucius* offensionem metuens adivit tandem Reginam *Nan-çu*. Discipulus *çu-lu* non admodum probavit factum Magistri. Sed enim *Confucius* egregio conscientiæ suæ fretus testimonio, haud cunctanter obstringens se jurisjurandi religione sic ait: Ego si quid iniqui seu flagitiosi in animo admisi, si quid peccavi; cœlum me execretur! cœlum me execretur!

Idem Lim cum, *uti memorant fasti Sinenses, dum quodam die cum* Nançù *Reginâ urbem lustrat uno eodemque vectus curru obvium fortè* Confucium *compellans invitavit, ut in unum ex curribus qui Regium pone sequebantur, conscenderet: At Philosophus immodestiâ tantâ viri fœminaque, tametsi conjugium, eodem curru considentium vehementer offensus non sine stomacho oblati currûs honorem recusans discessit.*

f. 19. p. 1. §. 1.

Confucius ait: Aurea mediocritas, seu medium tenere in omnibus etiam quotidianis & ordinariis actionibus, hæc demum est veræ perfectæque virtutis. At hæc quam ardua & sublimis est! Mortalium paucorum illam esse jam vetus aliquid est. vetus malum: vetus querela est.

§. 2.

Discipulus *çu cum* agens de virtute illa *Gin* quatenus pietas vocatur de illa consulens *Confucium* sic ait. Si detur ergò quispiam largissime beneficia conferens in alios, itemque potens opitulari omnibus, quid tibi videtur? An, ejusmodi qui sit, poterit censeri ac dici verè pius. *Confucius* respondit: Quomodo res ista à pietate hujusmodi quam affers perficienda? necessaria quoque hic est sanctitas. *Yâo* & *Xún* ipsi hîc quoque laborabant: & ad hoc impares vires suas esse sentiebant huic virtuti assequendæ.

p. 2. §. 1.

Est igitur sanctitas illa vel charitas pietasve quam exigo, mi discipule, affectio animi constans & consentanea rationi, quâ quis abjectâ propriæ utilitatis commodivè curâ, totius orbis homines amplectitur, haud secùs, ac si unum quid idemque secum fo-

Digitized by Google

rent; atque adeò communem cum iisdem sensum tam inter prospera, quàm adversa & habet & prodit. Exempli causa hujusce modi pius ipsemet desiderans erigi ac florere, protinus consilio, & ope & operâ, etiam erigit quoscunque alios, quos vel nativa tenuitas, imbecillitasque depressos humi teneat, vel gravior fortunæ casus ex alto dejectos afflixerit, prostraveritque. Similiter ipsemet volens feliciter res penetrare; non sustinet videre alios, qui vel errant cœci, vel laboribus ac difficultatibus victi succumbant; sed ipse per se nihil non tentat ac molitur quo opituletur & his & illis, atque ita etiam penetrare facit alios & perfringere objectas difficultates, & ex errorum ignorantiæque tenebris feliciter tandem eluctari. Hæc porrò charitas pietasve, ubi mortalium animis semel insederit; tum verò totus orbis unius erit instar familiæ, quin & hominis unius instar homines erunt universi, & quidquid ubique rerum est propter admirabilem illum summorum, mediorum, infimorum inter se mutuò nexum atque ordinem, unius & ejusdem substantiæ esse videbitur.

§. 2.

ALIOS itaque diligamus, sicut nos ipsi diligimus: Alios ex nobis metiamur: Labores aliorum & commoda ex nostris æstimemus. Denique, ut paucis omnia complectar, nosse è propinquo (sive à nobismetipsis) desumere seu instituere comparationem ad alios, quibus adeò contingere velimus aut nolimus id omne, quod ipsi nobis contingere volumus aut nolumus; hæc demum potest dici virtutis *Gîn*, seu memoratæ jam charitatis ac pietatis exercitandæ ars ac regula.



LIBRI TERTII
PARS QUARTA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS ait : Præco ſum, ſeu relator, & non author doctrinæ, quam palàm facio. Credo, & amo antiquitatem, ex quâ ſtudiosè ſuffuror, & excerpo quæ ad rem meam ſunt; imitatus in me ipſo famoſum illum ſenem *Pûm* : Quippe qui prior veterum monimenta ſimili conatu, tradidit poſteritati.

Narrant Sinenſes hunc Laò Pùm *ſeptingentos vixiſſe annos vegetoſemper corpore; attigiſſeque tempora familiæ* Xam; *quâ imperante magiſtratum quoque geſſerit.*

p. 2. §. 1.

Confucius ait : Vacare ſilentio, &, quæ ſeu vidimus, ſeu audivimus, recolere memoriâ : Seriò conſtanterque dare operam ſtudiis, & non affici tædio : docere alios, nec frangi vel fatigari docendi labore : Tria hæc quo pacto fuerint in me aliquando?

§. 2.

Confucius ait : virtutem non coluiſſe ſtudioſiùs; de optimis ſcientiis ac diſciplinis non diſſeruiſſe crebriùs; audiviſſe quæ recta & conſentanea rationi ſunt, nec tamen valuiſſe ad ea me transferre; denique vitia non valuiſſe pro voto emendare : hæc, inquam, quatuor ſunt meus dolor, & juſta mœroris cauſa.

§. 3.

DIſcipuli Magiſtrum ſuum *Confucium* hoc elogio paſſim celebrabant, *Confucius* magiſter noſter, inquiebant, quotieſcumque ſolus & à negotiis liber domi degebat, quam erat jucundus & affabilis, quam explicato ſerenoque animo! Quam comis ac placidus!

f. 2. p. 1. §. 1.

Digitized by Google

f. 2. p. 1. §. 1.

Confucius jam ſenior, dicebat: Magna ſanè eſt mea nunc imbecillitas. Nunc diu eſt quod ego non amplius (uti olim cum ætas vigeret) per ſomnium videam magnum illum magiſtrum *Cheu cum*.

§. 2.

IN hoc paragrapho, & quatuor ſequentibus declarat Philoſophus, quo tandem modo conſummetur ac perficiatur virtutis ſtudium, ſive, quid agendum ſit virtutis ſtudioſo, ut in eâ perfectus evadat. *Confucius* itaque ait: Primùm mens defigenda in conſentaneo rationis dictamine, ſeu in eo quod ratio à nobis exigit.

§. 3.

DEinde, ſeriò magnoque animo arripienda, ſeu apprehendenda virtus.

§. 4.

TErtiò firmiter incumbendum in abſolutam virtutis interioris perfectionem.

p. 2. §. 1.

QUartò ut vigeat exercitium, & quæ hoc conſequitur facilitas & peritia in bonis artibus officiisque.

§. 2.

MORE receptum jam olim apud Sinas erat, ut qui ſe alteri inſtituendum liberalibus diſciplinis traderet, primo ſtatim acceſſu minerval Magiſtro offerret. Tenuiſſimum porrò minervalis genus erat faſciculus ſiccatæ carnis decem minimum fruſtis conſtans. *Confucius* ait: Quicumque, acceſſerunt ad me, ut in diſciplinam meam admitterentur, incipiendo ab illis, qui offerebant faſciculum ſiccatæ carnis, infimum minervalis genus & ab his aſcendendo ad alios qui offerebant lautiora; horum ego neminem unquam non inſtitui ac docui.

§. 3.

Confucius ait: In ſcholâ ſapientiæ non adhibentem conatum, hunc ego quidem non erudiam. Item non aperientem mihi verbis mentem ſuam, quia ſcilicet vel nolit, vel non poſſit; eum nec ego intelligam, nec errores ejuſdem vel dubia habere potero perſpecta. Denique proponente me unum quadrati angulum, & tamen non ex hoc reliquos tres angulos per ſe inferenti; huic certè non repetam amplius eandem fruſtrà crambem.

f. 3. p. 1. §. 1.

LAudant hoc & ſequenti paragrapho diſcipuli Magiſtrum ſuum. *Confucius*, inquiunt, funebribus officiis perfunctus, ac deinde ſolemnes inter epulas ad eorum qui funus duxerant latus aſſidens; de appoſitis cibis vix cogitans, haud unquam famem explebat: tanto ſcilicet tenebatur luctu deſiderioque illius qui obierat.

Digitized by Google

§. 2.

IDEM *Confucius* in ejuſmodi funebri die ubertim plorabat defunctum, atque ita prorſus non canebat.

§. 3.

Confucius alloquens diſcipulum ſuum *Yen yven* ait: Qui evocati adhibitique ad munia publica, actutum & ſine tergiverſatione, capeſſamus Rempublicam: Rurſus qui amiſſâ dignitate illâ, illicò & ſine querimoniâ, moleſtiave animi, privati latitemus domi noſtræ; ſoli (opinor) ego & tu ſumus ejuſmodi.

p. 2. §. 1.

DIſcipulus *çu lu* audiens à Magiſtro laudari condiſcipulum, ut erat ipſe bellicæ fortitudinis ſuæ ſibi conſcius, ſi inquit, *Confucius* Magiſter ducturus eſſet (*Reverentiæ ergo præſentem in tertiâ perſonâ alloquitur, more gentis uſitatiſſimo*) Tres exercitus; tum quemnam ſibi adjungeret in collegam.

§. 2.

Confucius, ut vanos ſimul marcioſque ſpiritus diſcipuli deprimeret, ſic ait: Inermis ac nudis manibus qui aggrediatur indomitam tigrem, & ſine rate vel ſchapha committat ſeſe ſpatioſo rapidoque flumini: mille item inter mortes verſetur; & tamen non aliquo teneatur metu: Hunc ego ſanè nolim mecum copias ducere. Rapax namque temeritas uſui fuit, damno quàm ſæpiſſimè, honori nunquam. Neceſſe eſt quidem non perturbari in rebus aſperis; ſed quando ſe offert diſcrimen anceps ac improviſum, tum vel maximè præſentis animi uti conſilio, & conſiderate vigilanterque ſe gerere. Quanquam multò etiam malim talem & conari, & verò gaudere percipere animo futura & aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem.

f. 4. p. 1. §. 1.

Confucius inſanos hominum conatus in coacervandis opibus perſtringens ait: Divitiæ ſi quidem poſſunt humanis viribus induſtriiſque obtineri; ad eas obtinendas, vel Agaſonem, ſi neceſſe fuerit ego quoque agerem. Si copiæ & opes non poſſunt humanis viribus induſtriiſque comparari, ſed à ſolo cœlo dependeant: ſequar ſcilicet ipſe quod amo, & teneor & poſſum, lumen, inquam, ductumque rationis à cœlo mihi inditum.

§. 2.

TRIA narrantur fuiſſe in quibus *Confucius* plurimum vigilantiæ, curæ & operæ ponebat; abſtinentia ſcilicet, antequam ſacris operaretur, conflictus cum hoſte, morbus.

Digitized by Google

§. 3.

XAO nomen est seu genus Musicæ ab Imperatore *Xún* olim conditæ; quâ continentur virtutes ac laudes magni illius Legislatoris *Yao* dicti; à quo & ipse *Xún* ad Imperii societatem & deinde successionem assumptus fuerat. *Confucius* ergo collabente paulatim familia *Cheu*, existens fortè in Regno *çi* ibique audiens musicam illam *Xao*; tanto repentè sensu voluptatis affectus est; ut cum tertium jam mensem illâ pasceretur quippe tribus omnino mensibus, non perciperet carnium, quibus vescebatur, saporem. Enimverò (aiebat ipse) Haud unquam ego existimaveram eum qui composuit hanc musicam, pertigisse ad hujusmodi suavitatem.

p. 2. §. 1.

LIM cum Rex Regni *Guéi* habuit filium nomine *Quái quei*: Hic quòd novercam adulteram occidere tentavisset, à Patre è Regno ejicitur. In vicinum itaque *çin* Regnum profugit; sed relicto domi filio, cui *Che* nomen erat. Moritur interea *Lim cum*. Populus filium profugi Principis in avito collocat solio. Audiunt hoc, qui patrem susceperant. Damnant factum. Reducunt profugum. Obsistit filius, & clam missa armatorum manu, venire prohibet. Inter hæc varii sermones hominum atque sententiæ. Negabant illi, esse licitum filio tenere Regnum vivo Patre & invito: Sed hi contrà excidisse jam pridem jure Patris & Regni, qui vitæ Matris, tametsi non suæ, struxisset insidias. Utique non alteri, quam qui & innocens esset, & filius, deferendum videri sceptrum. Porrò sub idem tempus *Confucius* degebat in hoc ipso Regno *Guéi*: Ejus itaque discipulus *Gen yeu* à condiscipulo *çu cum*, quærit, an *Confucius* quoque favet eidem *Che* Regni *Guéi* Principi? *çu cum*, protinùs respondit: optimè: ego exquiram.

§. 2.

REgni *çu cho* Regi tres fuêre filii, maximus natu *Pe y*, minimus *Xo çi* dicebatur, secundi non extat nomen. Pater, qui minimum tenerius diligebat, eundem morti jam proximus Regni hæredem denuntiat. Sed mortuo Patre, subditi majorem natu regnare volunt: Ipsi namque deberi coronam nascendi jure & ordine. Verùm is voluntatem Patris tam juri suo, quàm votis suorum anteponens, Regnum fratri ultrò cedit. Sed & hic non minùs memor fraternæ charitatis, quàm alter filialis observantiæ; fratrem, quod primo loco genitus sit, ad suscipienda Regni gubernacula constanter urget. Certamen hoc tam raræ gratiæ cùm perquam diu tenuisset, & neuter alteri persuadere potuisset, quod utrique suo quodam jure debebatur; ut tam insuitatæ contentioni finis tandem fieret, ambo clam suis generosâ tandem fugâ ex aulâ in solitudinem se contulêre, victores ambo, victique. Secundus itaque fratrum relictum à

Digitized by Google

majore minimoque regnum, communi populi ac procerum consensu suscipit. Porrò certamen hoc fratrum, uter alteri coronam cederet, contendentium, ei certamini, quod (ut paulò supra memoravimus) tunc Patri erat cum filio, prorsùs è diametro opponebatur. Discipulus itaque *çu cum* per ambages Philosophi sententiam callidè exquirens; ingressus est ut Magistrum consuleret, duo fratres, inquit, *Pe y* & *Xo-çi* cujusmodi fuerunt homines? Philosophus quo tenderet illa percontatio, animadvertens, respondit *Pe y* & *Xo çi* omnino fuerunt è priscis spectatæ virtutis ac sapientiæ viris. Discipulus *çu cum*, instat, & ait: Sed num credibile est sibi constitisse, non eos pœnituerit deinde facti sui, fugæque? Tum *Confucius* in hoc facto, inquit, ambo quæsiverunt veram virtutem, & invenerunt veram virtutem. Numquid igitur eos pœnitudo subierit ubi error nec peccatum præcessit? Satis hoc responso declarabat *Confucius*, quid de improbo *Che* paterni principatûs invasore sentiret; quippe dum sic laudabat à virtute ac sapientiâ illos, qui invicem Regno cesserant; damnabat utique eum, cujus impia temeritas & ambitio debitam Patri, quamvis sonti, pietatem violarat. *çu cum* igitur egreditur, & condiscipulo suo *Gen yeu* ait: *Confucius* haudquaquam favet *Che* Principis factioni.

f. 5. p. 1.

Confucius aiebat vescor ferè admodùm vulgari parabilique cibo; poto lympham, & dum brevi somno reficio vires, inflecto cubitum, capitique subjicio & is mihi pro cervicali est. Hoc interim affirmo quòd sua Philosopho voluptas etiam constat hæc inter. Habet omnino suas virtus delicias, medias inter asperitates. Quisquis autem expers virtutis est, etsi idem sit dives & opulentus, adeoque sicut ferè usu venit, honoratus; apud me certè quidem erit instar volantis nubis.

p. 2. §. 1.

Confucius septuagenarius aiebat: Cœlum si concederet mihi aliquot adhuc vitæ annos, penitus ut perdiscerem doctrinam libri *Ye kim*, id est, mutationum; possem, utique, vacare graviori saltem quâcumque noxâ & crimine.

§. 2.

Confucius (uti memorant discipuli) Quæ crebrioribus usurpabat sermonibus, erant ferè tria. Odæ, id est, Sententiæ priscorum Sapientum & Regum, metro ligatæ. Chronica, seu res ab eisdem Regibus ac Majoribus suis vel rectè vel perperam gestæ, Denique studiosè observata & exercita ab eisdem Regibus officia & ritus. Hæc tria, inquam, erant ea ferè omnia de quibus passim disserebat *Confucius*.

f. 6. p. 1. §. 1.

Digitized by Google

f. 6. p. 1. §. 1.

PRæfectus civitatis *Xe* homo arrogans, utpote qui titulum *Cum* officio ſuo longè ſuperiorem temerè ſibi vindicabat. Hic, inquam, quæſivit de *Confucio* à diſcipulo *çu lu*, quid ſcilicet hominis eſſet Magiſter ſuus? *çu lù* non reſpondit.

§. 2.

CONfucius ubi cognovit percontationem præfecti & ſilentium diſcipuli; huic ait: Tu quin ſic reſpondiſti? ipſe eſt vir ejuſmodi, ut non alia de re magis laboret, quam ut in ſuſcepto virtutis ac bonarum artium ſtudio aſſiduè proficiat: In quo ſi quidpiam non uſquequaque aſſecutus eſt, hoc ipſo contendit exeritque vires omnes & conatus, ſic prorſus, ut obliviſcatur etiam cibi ſumendi, quoad aſſequatur. Ubi autem aſſecutus eſt; tum tantis exultat lætitiis, ut jam non meminerit amplius triſtitiæ moleſtiæque præcedentis; nec advertat ſenectutem inter hæc jam propè adveniſſe. Hæc, dico tibi reſpondere potueras præfecto percontanti.

p. 2. §. 1.

CONfucius ait: Ego non ſum natus cum ſapientiâ (vel, ego non is ſum, qui natus illicò ſapiens extiterim) ſed ab ineunte ætate mea ſemper amans ac ſtudioſus fui antiquitatis; omnem ſemper adhibens operam ac diligentiam: Per hæc itaque comparavi illam, quæcumque demum mihi tribuitur, ſapientiam.

§. 2.

CONfucius (uti memorant diſcipuli) de quatuor rebus non niſi rariſſimè, & quidem brevibus loquebatur. De rebus ſcilicet exoticis, inuſitatis, peregrinis, de monſtris, atque prodigiis. De factionibus atque diſſidiis, & perturbationibus publicis. Denique de ſpiritibus, quod eorum virtus, efficacitas, natura uſque adeò ſubtilis ac ſublimis ſit, & ab humano ſenſu remota, ut de illâ debitè loqui ſit periculum.

p. 2.

CONfucius ait: Si vel tres duntaxat homines pariter ambulemus, haud dubiè dabitur in his meus Magiſter: erunt, inquam, duo ex quibus proficiam. Exempli gratiâ: Probus ſit unus, & alter improbus. Mox ſeligam illius quidem bona, ſeu virtutes, & ſequar imitando: Hujus verò mala, ſeu vitia tacitus inſpiciam, meque ipſe diſcutiam, & ſi quidem reum me invenero, mox corrigam.

f. 7. p. 1. §. 1.

TRanſiverat *Confucius* à Regno *Guéi* in Regnum *Sum*: Ubi diſcipulos in umbrâ prægrandis arboris quotidie exercebat. Porrò loci præfectus *Von tùi* nomine, quia *Confucium* ejuſque doctrinam oderat, arborem illam ſuccîdi juſſit. Perculit ea res diſcipulorum animos, verentium, ne de tollendo etiam è vivis ipſomet Magiſtro

Digitized by Google

cogitaret. At *Confucius* cognito ſuorum metu ſic ait : Cœlum ſiquidem procreavit virtutem, doteſque naturæ in me, cum vita mea à cœlo tota pendeat, *Vôn tûi* itaque præfectus iſte quorſum me ſic exagitet ? An pugnare cum cœlo tentat mortalis ?

§. 2.

SUſpicione quadam liberaturus diſcipulos *Confucius*, itane verò, inquit, ô duo treſve diſcipuli mei, ſic de me ſentitis, quod celem vos quidpiam quod ad virtutis ſapientiæque ſtudium ſpectat ? Atque ſic vobis affirmo, quod ego nullâ utor reticentiâ, vel occultatione vobiſcum. Ego reverà nihil egi unquam, quod non communicarim & palàm vobis diſcipulis meis fecerim. Talis nimirum ſum ego.

p. 2. §. 1

Confucius tametſi, ut modò dictum eſt, nihil omnino ſanæ doctrinæ celaret ſuos; in quatuor tamen præcipuè eoſdem inſtituebat. In literis, id eſt, libris *Xi kim*, & *Xu kim*, nec non in liberalibus quibuſque diſciplinis ac ſcientiis. Deinde in uſu & exercitatione eorum omnium, quæ didicerant : Tertio quartove loco ſuis aſſiduè inculcabat ut perſiſterent in ſeriâ prorſus ac ſyncerâ voluntate agendi quidquid agerent, cum fide conſtantiâque & cum robore quodam invictæ mentis conjunctâ.

§. 2.

Confucius ait : Hominem ſanctum ego adhuc quidem non potui videre : verum, ut queam videre aliquando virum virtute ſapientiâque cæteris præſtantem ; hoc quidem adhuc fieri poterit.

§. 3.

Confucius etiam, inquit, probum uſquequaque & integrum virum, ego adhuc quidem non potui videre. Verùm ut liceat mihi videre quempiam qui habeat robur & conſtantiam in ſuſcepto virtutis ſapientiæque ſtudio; hoc enimvero adhuc fieri poterit.

§. 4

Confucius, non habens, inquit, & tamen ſimulans ſe habere, vacuus & inanis doctrinæ, & virtutis, & tamen ſimulans harum copiam & plenitudinem : exilis ac tenuis, & tamen oſtentans magnitudinem neſcio quam, & excellentiam : Simulator hujuſmodi tametſi fortè per exiguum tempus imponat hominibus, vehementer tamen laborabit in ſervanda fingendi conſtantiâ, ſic ut non pateſcat aliquando fraus ac ſimulatio.

f. 8. p. 1. §. 1.

Confucius, uti memorabant ejus diſcipuli cùm fortè privatus piſcationi, aucupicque daret operam, hamo duntaxat & arundine piſcabatur, & non retibus. Similiter cum aucupabatur, filo ſagittam

adſtringebat, quâ prætervolantium avium unam alteramve peteret; & non feriebat quieſcentes.

§. 2.

Confucius ait: Quomodo dantur homines tam rerum ignari, & tamen tam activi & expediti? Ego quidem non habeo hoc ſaltem vitii: Multis auditis, ſeligere ex illis optima, & ſequi: Multa item videre, & omnium meminiſſe, ut ex omnibus proficerem: hæc ſciendi ſecunda claſſis eſt, cui me applico ſcilicet.

§. 3.

LOcus *Hu hiam* difficilis erat ad ſermones de virtute ſuſcipiendos; ob incolarum pravitatem aut tarditatem. Adfuit quodam die puer inde oriundus, iſque palam ſe ſtitit obtulitque *Confucio*, hic rogantem benignus admiſit. Videntes hoc diſcipuli, ſuboffenſi ſunt.

p. 2. §. 1.

Confucius id reſciens, ſic ait: Admiſi nunc ipſum ut intraret in diſciplinam meam: non autem admiſi ipſum, ut illico repellam. Quorſum igitur hæc vehementia, & offenſio veſtra? Quoties-cumque homo quiſpiam renovavit ſeſe, ut in ſcholam ac diſciplinam meam admittatur; admittam ſanè hanc ipſius renovationem, novæque vitæ propoſitum. Non autem ſponſor ſum, & fideijuſſor pro ipſius vitâ futurâ an ſit perſeveraturus.

§. 2.

Confucius ait: Virtuſne fortaſſis abeſt longè à nobis. Ego certè ſi expeto virtutem, hæc ipſa virtus ad me acceſſit. Foris quærenda non eſt, quæ nobiſcum naſcitur.

§. 3.

REGNI *Chin* Mandarinus *Su pai* (muneris publici nomen eſt) quæſivit ex *Confucio*, an *Chao cum* Princeps Regni *Lu* calleret ritus ac leges? *Confucius* reſpondit eum callere ritus.

f. 9. p. 1. §. 1.

Confucio abeunte, ſalutans ipſe diſcipulum *Confucii* fortè ſibi obvium *Vu ma ki* dictum, & accedens ad eum ait: Ego quidem ſemper audivi virum perfectum non aſſentari: an igitur, Philoſophus quandoque etiam aſſentatur? Nonne conſtat Principes ambos regnorum *U* & *Lu* ejuſdem eſſe cognomenti *Ki* ſcilicet; & tamen Rex Regni veſtri *Lu* uxorem duxit ex *U* familia item Regiâ, quæ eſt ejuſdem cum ſuâ cognomenti, quod Legibus Regni vetitum eſt: Imò quo felicius res lateret, appellavit nuptam ſuam non *U mem ki* vero proprioque cognomine; ſed *U mem çu* ficto cognomine. Profecto ſi Rex ille, dum ſic illudit ritibus; nihilominus peritus eſt rituum: ecquis, obſecro, mortalium non ſit peritus rituum ac legum licet eaſdem violet ac contemnat?

§. 2.

Vu ma ki discipulus confestim de his certiorem fecit Magistrum. *Confucius* ergo, ô, inquit, me fortunatum! Si enim quid pecco, alii certo certius id resciunt: A quibus moneri queam ut me emendem.

p. 2 §. 1.

Confucius (uti memorant discipuli) unà cum aliis canens, si quidem bellè cani animadverteret, omnino jubebat repeti symphoniam: quâ pascebatur. Mox inde vicem reddens & gratiam, cum reliquis vocem jungens ipse modulabatur.

§. 2.

Confucius ait: Ornatu copiâque vel dicendi vel scribendi nonne ego propè accedo ad alios? Sed ut ipsemet constanter agam virum virtute sapientiâque præstantem; hoc opus hic labor est. Certè ego nondum id sum consecutus.

§. 3.

Confucius ait: Quod attinet ad sanctitatem cum solidâ illa syn-ceri animi perfectione, quibus præditum me vulgo autumant; equidem ego qui ausim mihi arrogare? An fortasse, id unum significant, in exercitio & conatu, quo ad perfectionem contendo, non me languescere; in docendo & instituendo alios non defatigari? Tunc quidem poterunt dici significare quidpiam: Hoc enim solum & non amplius me posse fateor. Discipulus *Cùm si hoâ* hæc dicentem Magistrum audiens, & ingemiscens ait: Sanctus & perfectus dici non sustines, sapientissime Magister; idem tamen fateris animum tibi esse in studio virtutis excolendæ alacrem & constantem, in aliorum institutione prorsus indefessum: Enimverò hoc ipsum est quod ego discipulus tuus necdum queo addiscere; & te imitari, quamvis maximè velim.

f. 10. p. 1.

Confucio quondam ægrotante cùm de salute Magistri angerentur; unus illorum *çu lu*, adiens ægrotum rogavit potestatem sibi fieri deprecandi spiritus pro ejusdem incolumitate. Mos enim jam tunc erat, ubi morbus, aliave calamitas quempiam premeret, instituendi deprecationes. *Confucius* sciscitabundus, daturne, inquit, ejusmodi usus deprecandi morbos & calamitates? *çu-lu* discipulus respondit: datur utique: antiquissimus enim liber *Lui* dictus sic ait: Deprecamur vos superiores, id est, cœli, & inferiores, id est, terræ spiritus. *Confucius* ad hæc respondit: quod ego ritè venerer ac deprecer spiritus jam diu est. *Cham* colaus & interpres noster ægrotantis Philosophi mentem sic exponit: Quod liber ille vocat deprecari, nihil est aliud, quam, si quid fortè peccatum fuerit, reum se agere coram spiritibus, & facti pœnitentem liberari pœna & calamitate

mitate promeritâ; deinde verò quæ fausta sunt prosperaque ab iisdem flagitare. Ad me quod attinet, adhuc quidem non ausus fui verbo factove quod sciam offendere spiritus; sed hoc egi, per omnem vitam, in hoc elaboravi, ut rationi parerem in omnibus: contra quam si quid peccatum à me est aliquando; protinus id scilicet expiavi ac emendavi. Unde profecto quod ego deprecer spiritus jam diu est.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Prodigus est quispiam luxuique deditus? Ergo nec submissus. Æquo parcior est quispiam? Sordidus? avarus? Ergò vilis idem & abjectus; attamen præ eo quod est non esse submissum, sed opibus ac potentiâ efferre sese, præstat, minùs, inquam, pernicioſum fuerit, esse sordidum ac vilem: hujusmodi namque sibi fere uni damno est, ille toti Reipublicæ damno esse potest.

§. 2.

Confucius ait: Vir probus nunquam non æquanimis, tranquillus, ac placidus est. Improbus verò, nunquam non turbato & amaro est animo.

§. 3.

Confucius, (ut testantur ejusdem discipuli) Blandus erat, comis, affabilis; & tamen idem venerandus & compositus: Gravis erat ac severus ubi res postulabat; idem tamen haudquaquam morosus, asper, truculentus. Officiosus, observans aliorum & reverens; sic tamen ut perquam temperatè, suaviter, ac citrà molestiam & fastidium.

f. 11. p. 1.

Confucius ait: Principis *Tai vam* filius *Tai pe*, equidem potest dici summæ fuisse virtutis, & cui nihil addi queat. Imperium iterum iterumque, cum fratre & generosè cessit: verùm tantæ laudis ignara multitudo non valuit heroas suos pro merito deprædicare.

Tai pe & Yu chum *filii erant majores natu* Tai vam *ii cum scirent minorem natu fratrem* Ki lie *á patre amari impensius, eique Regnum destinari, in utriusque gratiam spontanei exules australium Barbarorum ditiones petunt, qui ut celent genus suum tonsâ Cæsarie necnon maculis servilibusque notis corpus deformant. Ab hoc fundatum* Nankim *Regnum in urbe* Sucheu *annis ante Christum circiter 1160. ubi etiamnum hujus sepulchrum extat.*

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Comis & officiosus est quispiam; at sine debito modo ac mensurâ; utique fatigabit se gratis, nec rarò cum molestia fastidioque aliorum. In negotiis tractandis consideratus est ac sollicitus; at sine debita moderatione; utique erit perplexus, & qui

ad ſingula quæque hæreat ac trepidet. Fortis quis eſt, ac ſtrenuus; at ſine prudentiæ fræno ac moderatione, ſic ut res quaſvis temerè aggrediatur; is utique perturbator erit rei domeſticæ & publicæ. Denique rectus eſt quis, ac juſtus; at ſine modo & diſcretione, nihil valens diſſimulare; talis utique ſæpe angetur animo ſeque ipſum irretiet periculis ac moleſtiis.

§. 2.

SI quidem is qui Magiſtratu fungitur, ſolidè conſtanterque ſe gerat erga ſuos parentes; tum procùl dubio ſubditi hoc exemplo certatim quoque efflorescent in virtute. Idem ſi antiquiores ætate, vel meritis, haud negligat abjiciatve; tum ſubditi non minus facient, & cives ſuos vel annis, graves, vel meritis colent, ac fovebunt.

f. 12. p. 1. §. 1.

CEM-çu, inter diſcipulos *Confucii* ſecundus, & pietatis erga parentes longè ſtudioſiſſimus, graviter ægrotans, & morti jam proximus, convocatis ſcholæ ſeu diſciplinæ ſuæ diſcipulis; agite, inquit, retegite meos pedes, retegite meas manus, quæ à parentibus acceperam, ſana, quoad potui, integraque conſervavi, quo promptiùs ea diutiuſque in eorumdem obſequium impenderem. Id me docuit Odarum liber, dum ait: Eſto timens ac pavidus, ſollicitus & cautus, ad inſtar appropinquantis profundo rapidoque fluminis alveo: vel ad inſtar calcantis tenuem glaciem, ne quidpiam committas, quod parentes contriſtet, vel offendat; ſed enim vivendi finis, uti ſentio, jam adeſt; atque adeo jam nunc impoſterum ego ſic intelligo ſuperſederi à me poſſe curis ejuſmodi. His dictis, ſuos iterum inclamavit, condiſcipuli mei, inquiens; poſtremâ ſcilicet hâc compellatione eoſdem ad ſui imitationem cohortans.

Ex hoc pietatis & obedientiæ ſpecioſo ne dicam inepto aut ſuperſtitioſo titulo, multi, Tartaro imperante, maluerunt aquis aut laqueo ſuffocari quam capillitium amittere, imò optabilius honoratiuſque ſemper hic viſum laqueo vitam finire quàm capite minui. Intolerandum quippe Sinenſibus videtur ad Patres ſuos & Majores, ut aiunt, remeare abſque capite, & hoc ſpectaculo & opprobrio manes patrios affligere, ſeſeque reos ſiſtere tam nefandi criminis, cujus causâ corpus, quod à parentibus integrum acceperunt, Acephalorum inſtar mutilum & truncatum iis ſpectandum offerre cogantur.

§. 2.

CEM-çu ſic ægrotantem Regni *Lu* Præfectus *Mem-kim-çù* dictus ſ vifendi gratiâ adivit, & percontatus eſt de valetudine.

p. 2. §. 1.

CEM-çu Præfectum alloquens ait: Aves dum jam morituræ sunt, ὁ ipsarum vox lugubris & gemebunda est. Homines verò dum jam proximè sunt moriturι ipsorum sermo tunc vel maximè bonus est & fidelis.

§. 2.

PHilosophus, inquit, quæ majoris facit in veræ Philosophiæ disciplinâ, tria sunt. Primum est, motus, figura, habitusque corporis; & hac ratione longè removens quidquid agreste vel dissolutum est. Secundum, vera & non simulata oris species: Sic enim acceditur proximè ad fidem & veritatem. Tertium profluens à prudenti ore sermonis gratia: hæc enim longè removebit, quod minus decorum sit, vel rationi dissentaneum. Ad viminea verò ligneaque vasa sacrificiorum & oblationum usibus destinata quod attinet; utique dantur alii, qui pro officio suo procurent ac servent.

f. 13. p. 1. §. 1.

CEM-çu commemorans condiscipuli *Yen hoei* pridem defuncti ὁvirtutem sic, inquit, qui prudentiâ & consilio pollens; adeoque & consilium petat etiam ab imperito, qui florens ingenio peritiâque rerum abundans, sciscitetur discendi gratiâ ab hebetiore ac tenuiore, qui habeat eximias dotes quasi nihil haberet. Qui plenus sit, & tamen instar vacui, propter animi demissionem, quâ de se modestissimè; de aliis præclarè sentit. Qui offensus ab alio & lacessitus, tamen non succenseat. Unus erat è millibus, unus olim meus sodalis *Yen hoei* in ejusmodi virtutum studio semper elaborans seseque exercens.

§. 2.

IDEM *çem-çu* aiebat: Is cui poterit committi sex palmorum, id est, admodùm adolescens, quindennis scilicet, stirpis Regiæ pupillus: Cui poterit item committi centum stadiorum Sinicorum dynastia: Ingruente autem repentinâ quâpiam calamitate, & magno rerum discrimine; tamen haud valèns eripi sibi; & deiici animo, sic ut admittat quidpiam à dignitate suâ, constantiâque alienum: hujusmodi qui fuerit, an non censendus erit prorsus eximius vir? utique prorsus eximius vir censendus erit.

p. 2. §. 1.

IDEM *çem-çu* aiebat: Homines litterati non debent, non esse amplo magnoque animo, forti item & constanti. Onus quippe, seu munus, quod ipsorum humeris impendet, admodùm grave est, & iter quod decurrendum habent, longinquum.

Digitized by Google

§. 2.

VERA ſyncraque virtus proprium eſt ipſorum onus; nonne reverà grave? Rurſus cum mors ſupervenit, tum demùm ceſſat labor & tanti oneris ſuſtinendi neceſſitas: Nonne ergo longum eſt, nonne diuturnum, quod ſpatium adæquat vitæ totius?

§. 3.

Confucius ait: Jacentes ac repentes humi erigimur quodammodo per Odarum librum.

f. 14 p. 1. §. 1.

ERECTI porrò conſiſtimus & verò perſiſtimus, in omni vitâ decorum conſtantiamque ſervantes, per Officiorum libros.

§. 2.

AD extremum perficimur per muſicam, illam ſcilicet, quæ ipſas voluntates noſtras doctrinâ ſuâ harmonicâ demulcet.

p. 2. §. 1.

Confucius ait: Populo quidem poteſt, & verò debet præcipi legum executio: At non poteſt, æquè præcipi ſcientiæ ſtudium.

§. 2.

Confucius ait: Si quis fidens animi, & gaudens lacertis ac robore, idem quoque ſit exoſam habens paupertatem, quâ fortè premitur; facilè perturbator erit publicæ tranquillitatis. Similiter homo improbus quamvis reverà odio ſit dignus, exoſus tamen vehementiùs & exagitatus, perturbator erit. His potentiâ clementiaque mederi potius quam ſeveritate exaſperare malebat *Confucius*.

§. 3.

Confucius ait: Etiamſi quis habeat *Cheu-cum* ſummi viri dotes, omnemque facultatum ejus excellentiam: dato tamen caſu quod efferat ſeſe faſtu, ſuperbiâque, & quod inde conſequens eſt invidus ſit alienæ laudis & gloriæ: In hujuſmodi homine quicquid eſt reliquum, quamvis reverâ ſit maximum, tamen non eſt dignum ad quod vel oculos convertamus.

f. 15. p. 1. §. 1.

Confucius ait: Diu & conſtanter virtuti ſapientiæque dantem operam, non defixa mente in cenſu, haudquaquam facile eſt invenire. Quod ſi inveniatur, eos Rex accerſat nec dimittat (addit Colaus) negociatores verò ſic repudiet ut nunquam accerſat.

§. 2.

Confucius ait: Philoſophus, qui firmâ fide credit, quam fortè doctus eſt, veritatem, nec parcit labori & ſtudio, is in quâdam vitæ perpetuitate conſtabit ſibimetipſi uſque ad mortem, ſemperque illi optimè conveniet cum virtute & recto rationis dictamine.

§ 3.

Digitized by Google

§. 3.

ITaque Philosophus ejusmodi periclitans Regnum haudquaquam intrat: In turbato quoque Regno haud unquam degit. Si quando in Imperio est virtus legumque observantia; tum ipse palàm se facit: Si verò in Imperio deest virtus; tum latet, privatus quidem, sed tutus.

p. 2. §. 1.

EContrariò, quando Regnum habet virtutem, quando vigent leges; Tunc autem privatæ vitæ otio marcescere, & velle vivere pauperem & adhuc negligi, pudendum est. Jam verò quando regno deest virtus, & jacent legens: Tunc eum, qui dici vult Philosophus, servire tempori, & velle augeri opibus ac honoribus, indignum quid est, maximeque probrosum ac pudendum.

§. 2.

COnfucius ait: Non constitutus in hoc vel illo munere; non consultes agasve de illius administratione.

§. 3.

COnfucius ait: In Regno *Lu* patrio Magni Magistri *Chi* musicæ exordium, & *Quan-çiu* finalis strophа pleniſſimo vocum & instrumentorum concentu resonans, ô quam suaviter & jucundè implebat mulcebatque aures.

f. 16. p. 1. §. 1.

COnfucius ait: Callidus amator & gloriæ & suimet; adeòque non rectus: Item qui naturâ sit hebetior idem tamen inconsideratus ac præceps: Denique qui rudis & ad tractanda negotia ineptus sit, idem tamen non verax ac syncerus; qui, inquam, tales sunt; ego reverà nescio quid tandem hominis sint, vel quo pacto mederi quis eis queat.

§. 2.

COnfucius ait: Sic disce, semper quasi nondum perveneris. Imò etiam si quid didiceris, time ne amittas.

§. 3.

COnfucius ait: O magnitudinem! ô sublimitatem virtutis ac sapientiæ *Xún* & *Yù*! Ambo sapientissimi cum admodum contenti viverent sorte suâ, quamvis reverà humili, quæque illustrissimæ ipsorum stirpi minimè responderet: Utrumque sua virtus ad Imperium evexit. Ambo itaque tenebant amplissimum hoc Sinarum Imperium; at non vicissim tenebantur: sic ferè (ut Colaus exponit) quasi Imperium nihil interesset ipsorum. Parvi scilicet ducebant omnia præ unâ mentis suæ nobilitate & præstantiâ. Quam quidem mentem norant à cœlo procreatam esse ad virtutis & sapientiæ possessionem eamque minimè incertam nec in casu vel in temeritate positam.

p. 2. §. 1.

Confucius ait : O quantus olim erat *Yao* agens Imperatorem ! Magnarum ac sublimium rerum solum cælum est maximum. At enim quamvis illud mole ac sublimitate sit maximum ; solus tamen *Yao*, adæquavit illud virtutis suæ magnitudine ac sublimitate. Quæ quidem ejus virtus, quia erat tam ampla, tamque arcana, ut omnem vulgi sensum captumque fugeret ; hinc eam populus nunquam potuit pro dignitate celebrare.

§. 2.

O Magnitudinem hujus Principis ! ô sublimitatem ! Ipse nimirum is fuit, qui habuit perfecta consummataque merita. O quàm splendida quàmque illustria ipse habuit ornamenta legum, rituum, officiorum, musices ac litterarum.

Certè quàm charus eam ob causam populo esset, ut alia præteream, argumento sit, quod obeunti ditiones suas ac de more lustranti, obviam quandoque effusa subditorum multitudo certatim fausta omnia acclamaret, cælumque deprecaretur, ut optimo parenti suo ac Principi multas opes, filios, vitaque annos concederet. Quod tamen populi votum pro suâ ipse modestiâ admittere recusans, multæ opes, inquit, pariunt multas curas ; multi filii multos timores ; multi vitæ anni multas sæpe miserias, multa probra.

§. 3.

Discipuli memores certè sententiæ infra referendæ f. 17. p. 1 §. 1. quâ Philosophus deplorat quodammodo paucitatem virorum eximiis naturæ dotibus instructorum, *Xún*, inquiunt, habebat Præfectos quinque magni nominis, & virtutis viros ! Quorum primus *Yu* eluvionibus aquarum purgavit Imperium. Secundus *Sie* derivatis jam eluvionibus primus Agriculturam restituit. Tertius *Sie* quinque institutiones (de quibus infra in libro *Mem çu* parte 3. f. 12. fiet mentio) conservandæ & augendæ Reipublicæ necessarias condidit. Quartus *Cao yao* de criminibus mirâ cum æquitate cognoscebat. Quintus demùm *Pe ye* montium torrentes aquas, & exundationes, mirâ cum industriâ & rei agrariæ commodo simul & incremento dispertiebatur. Per *Xun* itaque horum 5. virorum consilio operâ & industriâ Imperium tam præclarè tamque feliciter administratum fuit.

§. 4.

Conditor *Chen* familiæ *Yu vam* gratulabundus sibi identidem dicebat : Ego habeo regiminis mei adjutores subditos decem homines. Hos inter primus erat *Chen tum tan*. Secundus *Chao cum xe* *De hoc memorant Annales ea felicitate & industriâ Boreales regiones sibi commissas administrasse, ut sementis ac messis tempore è vinculis dimitteret reos omnes ; & hi constituto revertendi tempore suâ sponte (cum ta-*

men non deeſſent rei capitis) ad carcerem rediret. Tertius *Tai cum vam.* Quartus *Pie cum.* Quintus *Yûm cùm.* Sextus *Tai tien.* Septimus *Hûm yao.* Octavus *San y ſem.* Nonus *Nân cum quo.* Intus verò *Ye kiam* Regina uxor (cui adeò viros inter decimum locum tribuerunt) familiam Regiam, reſque Palatii admirabili cum virtute ac prudentia regebat.

f. 17. p. 1. §. 1.

Confucius ingemiſcens ait : Quod veteri proverbio dicitur, magnæ dotes difficiles ac raræ ſunt; nonne hoc verum eſt? Sola ferè quæ olim dicta fuit *Tam & Yu*, alias *Yao & Xun* pulcherrima in Imperio ſocietas & ſucceſſio unà cum hoc noſtro familiæ *Cheu* Imperio jure cenſeri poteſt floruiſſe præclaris adminiſtris : Et hoc Imperium noſtrum geminata felicitate omnino decem numeravit. Et inter decem datur una mulier, Regina ſcilicet *Ye kiam* Imperatoris *Vu-vam* uxor : adeoque novem duntaxat viri numerandi ſunt & non ampliùs. Veriſſimum eſt itaque vetus illud effatum, magnas dotes difficiles ac raras eſſe.

§. 2.

TRanſit Philoſophus ad laudem Principis *Ven-vam* cui filius erat *Vu-vam*, ipſe, inquit, de tribus partibus Imperii cum haberet jam illarum duas ; (quatenùs ſcilicet obtinebat omnium ſtudia ac voluntates) Tamen ne ſic quidem ab officio optimi clientis avocari potuit ; ſed fidem Imperio potiorem habens, invictâ cum patientiâ paruit ac ſervivit familiæ (quamvis jam tyrannicæ) *Yn:* propterea familiæ *Cheu* virtus ipſa poteſt reverà dici ſumma virtus, & cui nihil addi poſſit.

p. 2.

Confucius ait : Quod attinet ad *Yu* Imperatorem, ego non habeo nec invenio, quod arguam Parcus erat ac mirè temperans potûs & cibi : Idem tamen maximè liberalis, magnificus, ac mundus erga ſpiritus. Admodùm vulgaris paſſim erat ei veſtitus : Ejuſdem tamen ſummus quidam ornatus ac ſplendor erat in veſte ſacerdotali & tiarâ, quotieſcunque ſacris operabatur. Humile erat minimèque ſumptuoſum Palatium : Idem tamen exerebat & exhauriebat omnes animi, & ærarii facultates in aquarum in mare derivandarum ductus & earumdem receptacula pro ſiccitatis tempore. In *Yu* ergo non habeo ego nec invenio quod arguam.

Hunc quoque ex ea ſortis humilitate, quam diximus, ad avitam primæ ſtirpis ſuæ dignitatem, virtus ſapientiaque revocavit : Ob hujus quippe, meritorumque magnitudinem charus adeò fuit, tantoque in pretio Xun *Imperatori, ut poſtquam eum per 17. poſtremos annos in Imperii Collegam adſciviſſet, tandem legitimo filio ſuo, cui* Xam *nomen, conſtanter rejecto (imitatus ſcilicet* Yao *ſui deceſſoris exemplum) non dubitaverit eundem*

jam nonagenarium Imperii hæredem designare. Verum Yu, *generosâ sese fugâ propipiens, in latebras sese abdidit. Sed à dynastis tandem detectus, in solium quamvis invitus evectus est. Eminuit in eo, admirabilis quædam facilitas, affabilitasque adversùs omnes. Æs campanum jussit erigi in ipso Palatii sui atrio: ad cujus primum pulsum suos auditurus alacer provolabat. Itaque accidit aliquando, ut prandii unius tempore decies à mensâ surgeret: E balneo item, ubi corpus lavabat, semel, iterumque ac tertio procurrerit; & quidem soluto & impexo etiamnum capillo; ut scilicet ad primum æris campani signum, suorum vel postulata vel querelas audiret. Inter alias, quas plurimas condidit, leges, una fuit, quâ vino omnibus severè interdicebatur, misso in exilium vini inventore. Solitus erat dicere:* Vinum aliquando pessumdabit res Imperii, nostramque familiam: *& ita revera accidit, ut alibi memorabitur. Imperavit solus annis decem, eo successu rerum, & copiâ, & tranquillitate, ut merito vocari aurea possint ejusdem tempora: & si quidem fas est Sinis hoc loco credere, aurum revera pluisse dicitur per triduum eo imperante. Iter faciens aliquando, cùm fortè obvium habuisset hominem catenis vinctum; protinùs de curru suo desiliens, ubi cognovit esse reum capitis, & ad supplicium jam rapi; illachrymatus est; suisque demirantibus,* superioris, *inquit,* ætatis homines ad exempla Regum *Yao* vitam suam moresque componebant: at nunc dum ego modicæ virtutis homo Sinicam rem administro; non pauci meorum, ut video, pro suo quisque arbitratu, studiisque non optimis vitam instituunt. *Vixit* Yù *annis centum ab omni privato affectu tam alienus, ut moriens cœlo proposuerit Imperii successorem virum spectatæ virtutis* Ye *appellatum, neglecto filio* Ki; *quem tamen & dynastæ & populus hæredem esse voluerunt paterni Imperii, uti erat virtutum paternarum, & exinde electio Imperatorum in hæreditariam filiorum ac nepotum successionem transiit. Et hæc quidem, quæ hic & alibi annotamus, referuntur à Regiis illorum temporum scriptoribus & authenticis annalibus necnon à Philosophis* Confucio & Mencio *sæpiùs confirmantur. Obiit verò præfatus* Yu *cycli noni anno* 20. Quéi vi *dicto, qui respondet anno ante Christum* 2208.

LIBRI TERTII
PARS QUINTA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

NARRARE consueverant discipuli, quod *Confucius* magister suus admodùm rarò, nec nisi difficulter loquebatur de lucris & emolumentis, & de fato, seu, decretis cœlestibus; & de *Gîn*, id est, de cœlitus inditâ innocentiâ ac puritate cum præsidiò ornamentoque virtutum omnium conjunctâ.

§. 2.

Tai hiam pagi sic dicti incolæ fortè cum de *Confucio* sermo esset dicebant: O quantus vir est *Confucius!* Amplissima est ejus in omni genere peritia & doctrina; atque adeò non datur ex quo magis prædicetur ipsius laus ac fama, cum in eo summa sint omnia.

§. 3.

Confucius fortè hæc audiens, & alloquens discipulos ait: Optarè puto rusticos illos ut me impensiùs addicam arti cuipiam. Ego igitur quid arripiam potissimum? Inter sex artes nostrates liberales duæ sunt ad ingenium rusticorum magis accommodatæ, aurigandi scilicet & jaculandi. Arripiamnè igitur aurigandi artem, an arripiam artem jaculandi? Benè habet; ego rursum arripiam excolamque artem aurigandi, quæ & est facilior, & vel ideò, quia humilis, mihi chara.

p. 2. §. 1.

Confucius aiebat: Ex subtiliori cannabe contectus pileus olim erat officiosi ritûs ususque proprius: Nunc verò ætate nostrâ sericus est in usu, isque minus sumptuosus, & minus operosus. Ego, licet hic à Priscorum usu discedatur; quoniam tamen haud peccatur; sequor multitudinem, & hâc in re servio tempori.

§. 2.

SAlutare Principem, idque eminus & ex atrio inferiori, mos ac ritus erat Priſcorum. Nunc verò ſalutare Principem ſuperius in ipſa aula, reverà nimium quid eſt, & quaſi arrogans. Quocirca licet hîc adverſer multitudini; ego tamen ſequor priſcum ex inferiori atrio ſalutandi ritum.

§. 3.

COnfucius (ſi diſcipulis fas eſt credere) penitùs non habebat quatuor. Quoad res futuras non habebat proprium quoddam propenſæ mentis ſtudium ſeu intentionem. Item non habebat obfirmatæ mentis propoſitum ac determinationem, neque habebat, pertinaciam in re ſemel ſuſceptâ, modoque gerendæ rei mordicùs tuendo: Nec habebat denique ſeipſum ſuaſque commoditates præ oculis.

f. 2. p. 1. §. 1.

COnfucius fortè periclitans cum curâ & vigilantiâ verſabatur in *Quam* loco. Periculi cauſam præbuit oris ſimilitudo cum altero ejuſdem loci quondam præfecto, cui *Hiam hù* nomen, quem loci incolæ, quos olim divexaverat, injuriarum memores ad necem quærebant, diverſorio Philoſophi per quinque dies armis obſeſſo.

§. 2.

PErculſos itaque tam inopino periculo diſcipulos confirmaturus *Confucius*, inquit. Sexcenti ferè ſunt anni quod *Veu-vam* ſapiens ille Rex jam interiit: Sed an propterea præclara lex illa, & quaſi legis lux, quæ refulſit ipſius operâ, pariter extincta eſt, & non exiſtit hic inter nos etiam nunc.

§. 3.

CÆLUM itaque ſi extincturum erat, hanc legis lucem, poſt Regem illum uti natus ita etiam moriturus ego non valuiſſem conferre operam, in hac lege quadamtenùs promulgandâ. Cœlum verò ſi necdum extinctam voluit hujus legis promulgationem; profectò vitæ noſtræ, etiam volet conſultum. *Quam* igitur loci incolæ quid ipſi tandem mihi facient.

§. 4.

UNUS è Præfectis *Tai çai* (Magiſtratûs nomen eſt) percunctatus eſt à *Confucii* diſcipulo *çu cum* dicens: *Confucius* Magiſter veſter *Num* vir ſanctus eſt is? niſi enim talis eſſet, quomodo tam multa calleret.

p. 2. §. 1.

Cu-cum reſpondit: Quod ad Magiſtrum noſtrum attinet, reverà cœlum prodiga cum liberalitate perfecit ut ſanctus eſſet. Sed & idem inſuper multâ valet peritiâ ſcientiarum.

Digitized by Google

§. 2.

CONFUCIUS hæc audiens ait : *Tai çai* Præfectus ille num probe novit me ? Ego (ut de me loquar) adoleſcens cùm eſſem, conditione fui ſatis humili ; idcirco Magiſtra paupertate doctus multa nunc calleo ; ſed humilia vulgariaque (aucupari ſcilicet, piſcari, aurigari, jaculari, &c.) Sed enim an ratio viri probi ac ſapientis, ne dicam ſancti, in multis illis conſiſtit ? profectò non in multis conſiſtit illa.

§. 3.

AD confirmandum hoc *Confucii* dictum, refertur à diſcipulis, quod *Lao* condiſcipulus eorumdem, crebro narrabat quod ipſemet *Confucius* dicebat : Ego primis ætatis meæ temporibus non admotus fui gerendæ Reipublicæ ; idcirco didici perdidicique artes liberales.

§. 4.

CONFUCIUS moleſtè ferens vulgò ſe haberi rerum omnium peritiſſimum aiebat : Egone ut tantam habeam ſcientiam ? Imò vero eam non habeo. Fateor quidem quod ubi datur vulgaris humiliſque homuncio, qui percontetur ex me quidpiam, quamvis idem rudis ineptique ſit inſtar ; mox ego tractanda ſuſcipio ipſa rei, de quâ me conſulit, duo quaſi capita, atque hæc diſſerendo exhaurio.

f. 3. p. 1.

CONFUCIUS calamitatem deplorans ſuorum temporum deſperanſque emendationem dicebat : Aquila (aut ſolis avis) jam amplius non advenit. E flumine non prodit mappa (ſeu monſtrum variè depictum) quæ duo erant redituræ felicitatis prænuntia. De me meaque doctrinâ actum eſt, proh dolor !

p. 2. §. 1.

RECTE notat Colaus pertubatum hic eſſe ordinem litterarum, qui adeò talis eſſe deberet, qualem verſio hæc ſua indicat. Confucius cernens homines lugubri veſte indutos ob mortem parentum ; alios item pileo habituque Mandarinico inſignes, quamvis iidem eſſent minoris ætatis, aut etiam capti oculis ; tamen ipſe conſpicatus illos procul dubio aſſurgebat honoris gratiâ : & eoſdem fortè præteriens, procul dubio accelerabat gradum. (*Officioſo more Sinarum quaſi properè cedentium locum alteri honoris gratia*) vix ullâ ſcilicet habitâ ratione vel ætatis ſuæ, vel authoritatis ; at certè maximâ tum pietatis tum dignitatis alienæ.

§. 2.

YEN-yven altum ſuſpirans aiebat : Eſt omnino ſublime quid, idemque profundiſſimum doctrina Magiſtri noſtri. Suſpicienti illam mihi, & jam gradum ad illam facienti, ſemper magis magiſque alta apparet. Rurſus penetranti mihi ad illam illius firmitatem,

Digitized by Google

ſemper illa magis ac magis firma ac impenetrabilis deprehenditur. Contemplor illam quandoque velut poſitam ante ipſos oculos, & velut in ejus amplexum feror, quando ecce derepentè exiſtit mihi à tergo ex ipſis quaſi manibus elapſa.

§. 3.

ET tamen hanc ipſam doctrinam impertiens hominibus Magiſter noſter ſuo quodam ordine pedetentim blandeque noverat allicere homines atque inducere quo volebat : dilatabat animum meum præſidiis Philoſophiæ ſuæ, & reſtringens ad unum omnia, contrahebat me ad unam cælitus inditæ rationis moderationem ac regulam.

f. 4. p. 1.

EGO verò cum vellem ſiſtere & frui jam partis, omnino non poteram : Ubi ergo jam exhauſeram quodammodo meas animi vires, ſic prorſus erat ac ſi daretur quidpiam quod conſiſteret erectum ante oculos meos. Cæterum quamvis ardenter optarem aſſequi & amplecti illam, adhuc tamen non habebam viam ac modum quo votorum compos fierem; adeoque hærebam attonitus ad doctrinæ hujus virtutiſque celſitudinem & profunditatem.

p. 2. §. 1

Confucius ægrotabat, nec ſine periculo : Quo intellecto diſcipulus *çu lu* gratificaturus Magiſtro ſubmiſit juſſitque aliquot diſcipulos aſſiſtere ægrotanti, & eſſe veluti honorarios quoſdam adminiſtros, & funus etiam, ſi opus foret, cum ſplendore & apparatu procurare.

§. 2.

VERUM ubi morbus nonnihil remiſit ; *Confucius* re cognitâ haudquaquam probans ſtudium hujuſmodi gratificandi ; ah ! inquit, à quanto jam tempore diſcipulus iſte *Yeû* res agit nec rectè nec ſincerè ! Nuper quidem mos & ratio permittebat mihi frequentiam iſtam miniſtrorum & ſplendorem domeſticum : at nunc quando defunctus ſum magiſtratu, adeoque nullos, uti par eſt, habeo Miniſtros publicos ; ſi tamen ambitioſè me gerens videar habere Miniſtros iſtos, ego quem tandem fallam ? certè ut fallam oculos mortalium, an fallam etiam ipſummet cœlum ?

§. 3.

ET verò, mihi præ iſtâ morte obeundâ inter miniſtrorum iſtorum obſequia & manus, nonne fuiſſet multò gratius dulciuſque emori inter duorum triumve diſcipulorum manus ? Certè ego licet tunc haud potuiſſem magnifico illo proprioque præfectorum funere efferri ; an ego propterea moriens inter vos, fuiſſem mortuus in viâ publicâ, ibique jacuiſſem inhumatus ?

Tres paragraphos ſuperiores concludit Interpres his verbis : Xím gîn yû çié

yû çiế pím guêi pế chi cum, lh sú tien chi chîm, xeù lì chi chím, yế hâo pú keù jû çù çu sò y guêi ván xí fă yè, *hoc est: vir sanctus constitutus in præsenti discrimine gravis morbi, in syncerâ illâ voluntate obsequendi cælo, & rectitudine servandi quod ratio dictat, ne pilo quidem capitis temerè, sicut hîc patet, procedit.*

f. 5. p. 1.

CU cum hortaturus Magistrum suum ut talenta sua ad publicum bonum exerat. Si habeat, inquit, quispiam pulchram rarique pretii gemmam hoc tempore & statu rerum tam perturbato; eamne asservabit in arcâ & sic abscondet; an contrà exquiret cui æquo pretio divendat? *Confucius* haud ignarus quid isto simili significaretur, respondet: Vendatur sanè, per me licet, ô! vendatur sanè, at enim ego expecto æquum illius æstimatorem & licitatorem: Nec è re nostrâ est emptorem quærere.

p. 2. §. 1.

COnfucius pertæsus temporum suorum desiderabat relictâ patriâ migrare ac degere inter novem gentes Barbarorum.

§. 2.

FOrte fuit qui dissuasurus diceret: Viles abjectique sunt homines isti. Quomodo hoc fiet? quî ibi deges? *Confucius* respondit: Syncerus virtutis ac sapientiæ sectator ubi degit; quomodo vile quid abjectumque ibi detur?

§. 3.

COnfucius aiebat: Ego ex Regno *Guéi* cùm rediissem in patrium Regnum *Lu*, tum deinde musica operâ meâ pristino ordini ac puritati restituta fuit. Poëmata quoque *Yà* & *çum* singula obtinuerunt demùm suum statum, harmoniam scilicet, ac majestatem pristinam.

§. 4.

COnfucius aiebat: Foris versantem & in Republicâ tum servire, uti par est, Principi, & cæteris Magistratibus: domi verò degentem, tum servire parentibus fratribusque debitâ cum observantiâ: In luctu funebribusque officiis non audere non exerere vires omnes: Inter epulas denique non agere quidpiam per immoderatum vini usum, quod grave sit ac periculosum. Hæc quatuor tametsi prima fronte facilia, revera tamen difficilia sunt; atque adeo quomodo sint in me?

§. 5.

COnfucius fortè consistens ad ripam fluminis, & perennem illius fluxum contemplatus innuensque in viâ virtutum non esse sistendum aiebat ut eunt & fluunt hoc modo aquæ istæ, nec sistunt cursum suum diu noctuque!

Digitized by Google

f. 6. p. 1. §. 1.

CONFUCIUS aiebat: Ego adhuc quidem non vidi qui sic gauderet virtute, sicuti gaudet quis formosi oris corporisque elegantiâ & venustate.

§. 2.

CONFUCIUS aiebat: Exempli gratia: Molior ego ex aggestâ continenter humo collem: priusquam perficiatur is, uno, qui ad operis integritatem etiamnum desideratur corbe, cæptum opus intermittitur; planè ego sum is qui intermitto, mea unius, hæc culpa est. Contraria planè constantiæ ratio est: Ipsa quantumvis lentè, perficit tamen res quantumvis magnas; quia cœptum opus nescit intermittere. Exempli gratia: ego planæ telluri licet aggeram quotidie unum duntaxat corbem humo onustum: Tamen si assiduè progrediar aggerendo, mei progressus erunt, mea perfecti tandem collis erit gloria.

p. 2 §. 1.

CONFUCIUS aiebat: Dicente me, seu, docente quidpiam, qui non esset iners ac segnis, sed actutùm factis conaretur explere, quod faciendum esse ex me didicerat, enim verò fuit is discipulus meus *Hoei*.

§. 2.

CONFUCIUS loquens de eodem *Yên-yven*, præmaturè defuncto aiebat: Proh dolor! Ego quidem videbam ipsum magnis passibus progredientem: At necdum videbam illum desistentem.

§. 3.

CONFUCIUS simili quodam hortaturus suos ad constantiam aiebat: Seges quæ modò nascens viridantem protrudat herbulam, & tamen deinde nullos proferat flores, datur utique: Rursus, efflorescens jam seges, & tamen deinde nullos excludens fructus, datur similiter.

f. 7. p. 1. §. 1.

CONFUCIUS aiebat: Pueros ac juvenes par est suo quodam modo vereri: Nam cui tandem constat olim illos non meliores futuros quàm sint modò, sic ut etiam superent nos ipsos? Cæterùm qui quadragenarius vel quinquagenarius jam sit, & tamen necdum habeat nomen aut famam; ejusmodi qui sit, equidem non est dignus, quem quis vereatur: actum est.

§. 2.

CONFUCIUS ait Prolata cum fide ac veritate monentis verba, licet etiam subaspera, potestne quis non audire ac suscipere, æquo saltem animo, si minùs læto? Cæterum proficere ex illis & emendare, hoc est enimverò maximi faciendum. Rursus per ambages quasdam paulatim insinuatis consiliis & admonitionibus, an potest

Digitized by Google

quisquam non gaudere? quanquam proficere hîc, & ruminari illas identidem, hoc est enim verò primum maximeque necessarium. Quod si gaudeat quis tantùm, & interim non expendat ac ruminetur id quo gaudet; nec pascatur cibo, quo videtur usque adeò delectari: Item si quis excipiat revereriter monita syncera & recta; & interim mores suos non conformet cum eis ac nihil emendet; ego certè non invenio quo pacto me geram cum ejusmodi homine: Actum est, oleum & operam uterque perdimus.

p. 2. §. 1.

CONfucius aiebat: Nihil æquè sit cordi atque cordis synceritas ac fides. Non contrahas amicitiam cum eo, qui sit minus bonus quàm sis tu ipse. Peccasti? ergo ne dubites aut vereàris emendare quod peccatum est.

§. 2.

CONfucius aiebat: Trium legionum (id est, militum 37500.) exercitui maximè repugnanti, suus quandoque potest eripi ductor & abripi in servitutem. Quantumvis autem tenui abjectoque homuncioni non potest ullâ vi eripi liberæ mentis arbitrium.

§. 3.

CONfucius collaudans suum discipulum *Yeû*, sive *çù lù* aiebat: qui indutus jam tritam ac laceram, eamque ex viliori cannabe togam unà cum aliis sodalibus indutis pelles vulpinas, & pellicolas *hŏ* (Hó *species est animalculi, cujus pellis rari est pretii*) conspiceret; & tamen nequaquam erubesceret; fuit is sanè discipulus *Yeû*.

f. 8. p. 1. §. 1.

IDEM confirmat eandem laudem ex odâ quæ sic habet: Quisquis non est invidus, nec cupidus; ad quos tandem usus non erit apprimè idoneus?

§. 2.

ÇU-*lù* præconio Magistri sui lætus, per omnem deinde vitam recitabat hunc versiculum. Quod advertens *Confucius*, & discipulum justo plùs sibi placentem repressurus sic ait: Ista laus & virtus quâ fit ut vaces invidia & cupiditate, quomodo sufficiat ut illico sis apprimè idoneus ad omnia, sic ut nihil jam desideretur amplius?

§. 3.

CONfucius aiebat: Tempore brumali tum demùm scitur an pinis & cypressis sua deinde folia decidant. Illustre specimen illorum (inquit Colaus) quos tranquillâ Republicâ inter se mutuo perquàm similes, turbatâ deinde afflictaque dissimillimos fuisse probat, & fortes ab imbecillis, stultos à sapientibus manifestè discernit.

Digitized by Google

p. 2. §. 1.

CONfucius aiebat: Prudens non hæsitat anceps animi; Verè probus & innocens non mœret, fortis ac magnanimus non pertimescit ac trepidat.

§. 2.

CONfucius aiebat: Sunt quibuscum possis pariter auspicari studium virtutis ac sapientiæ; nec tamen possis deinde cum iisdem decurrere viam ipsam, seu exercitare propria sapientum opera. Alii sunt quibuscum etiam possis decurrere jam cœptam viam, nec tamen possis deinde cum iisdem, propterea quod careant constantiâ, diu persistere in via & cursu. Alii rursus sunt quibuscum possis constanter persistere in cœptâ via cursuque, nec tamen deinde possis cum iisdem ad exactissimum virtutis ac sapientiæ æquilibrium exigere res omnes actionesque vitæ totius.

f. 9. p. 1. §. 1.

CItatur hic versiculus depromptus ex veteri Poëmate, quo degens quispiam extrà patriam, longèque absens, & fortè conspicatus arborem, cui similem natali in solo viderat; amici, quem in patriâ reliquerat, recordatus hunc in modum cecinit: arboris pruniferæ frondes ac flores flante zephyro in partem nunc hanc nunc illam agitantur assiduè. Ah! quomodo non te cogitem, non te expetam videre! Sed heu! inania sunt vota ista! Etenim domus utriusque nostrûm est invicem remota.

§. 2.

CONfucius hinc quoque doctrinæ succum petens sic aiebat: dicit ille quidem cogitari ab se patriam & amicum; sed reverà non cogitat; nam hîc quæ tandem distantia datur? quasi dicat si quidem seria esset cogitatio, ad iter jam pridem accinxisset sese. Nos quoque longè minori jure querimur distare à nobis virtutem ac sapientiam, de quâ sic cogitamus, ut cogitemus tantùm: Alioquin si cogitatio foret seria; jam nobis innata virtus ultrò rueret in amplexus nostros.

Inusitata planè fuit, & quæ modum videatur excessisse, diligentia, quâ discipuli minutissima quæque & dicta Confucii *& facta, quin etiam situs omnes ac motus non observârunt modò, sed etiam literis ad memoriam posterorum commendarunt, & nos quoque fastidioso licet Europæo, prout jacet, obtrudimus.*

p. 2. §. 1.

CONfucius agens cum iis qui erant ejusdem secum gentis seu familiæ, habebat modum quendam agendi valde syncerè & candidè. Videbatur non valere ullâ facundiâ, aut doctrinâ præ cæteris.

§. 2.

§. 2.

IDEM tamen quotieſcumque verſabatur in Gentilitiis Regum aulis, aut regio in Palatio, clarè diſtinctèque loquebatur, at ſic rurſus ut nihil non maturè, conſideratè, attentè.

f. 10. p. 1. §. 1.

IN aulâ Palatii regii quo tempore cum præfectis variorum ordinum Regem ſuum præſtolabatur, ipſe cum inferioribus quidem & æqualis ſecum dignitatis præfectis loquens cum gravitate quâdam rectè ſolidèque ſe gerebat. Cum ſuperioribus verò præfectis loquens, ſuam illam gravitatem temperabat affabili quadam comitate.

§. 2.

REGE jam præſente aſſiſtebat cum ſingulari & quaſi anxiâ quadam reverentiâ majeſtatis Regiæ; ſic tamen, ut ſimul placidè, præſentique ſemper animo.

§. 3.

REGE accerſente ipſum, ac jubente excipere hoſpites dynaſtas, tum verò oris ipſius color mutabatur quodammodo: Item pedes euntis & greſſus impediti videbantur.

§. 4.

QUotieſcumque dynaſta quiſpiam hoſpes accedebat ſalutaturus Regem; *Confucius* ſi quidem pro officio tunc aſſiſteret, ipſe tunc ſi reverenter quidpiam ſignificaret iis qui ſecum aſſiſtebant ſive ad lævam ſive ad dexteram. (*Reverenter, id eſt, eo ferè geſtu, quo viri graves ſe mutuò conſalutant; videlicet arcuatis utcunque brachiis, & manibus, quæ complicantur, ab ipſo pectore paululum protenſis.*) In illo, inquam, brachiorum motu, tamen ipſâ veſtis tam ante quàm retrò nunquam non concinne compoſitâ apparebat.

p. 2. §. 1.

ITaque factâ jam poteſtate introducendi hoſpitis in conſpectum Principis, *Confucius* accelerato gradu hoſpitem introducens ſinuoſæ veſtis laxas utrinque manicas velut alas quaſdam æquabiliter expandebat.

Greſſûs acceleratio reverentiæ ſignum eſt, ne ſcilicet vel minimo temporis ſpatio Princeps expectet hoſpitem viſentem.

§. 2.

HOſpes ubi jam abceſſerat extra conſpectum Principis; tum *Confucius* nihil cunctatus renunciabat hoc Principi dicens: Hoſpes jam non reſpicit ampliùs, hoc eſt, abivit.

Moris namque eſt, ut abſcedens hoſpes iterum ac ſæpiùs vel ad eum ipſum quem viſit, ſi quidem ab hoc deducitur, vel certè ad aulam, ubi viſitatio peracta eſt, converſus, poſtremo ſalutationis officio perfungatur.

Digitized by Google

§. 3.

EXponitur jam qua ratione se gereret *Confucius*, quotiescunque se sistebat Regi: Quando ingrediebatur ædium regiarum portam, demisso præ reverentia non tantùm animo, sed demisso etiam & prorsus inclinato corpore haud secùs ac si non ipsum caperet porta, ingrediebatur.

§. 4.

SI CUBI consistendum illi esset, certè non consistebat unquam in media porta, per quam scilicet ipse Rex egredi & ingredi consueverat. Transiens per eandem non calcabat pede limen ipsum portæ.

§. 5.

PRogressus jam in interiora Palatii, & fortè transiens ante thronum Regium, tametsi Rex nondum adesset; tamen etiam tunc oris ipsius color mutari videbatur. Item pedes transeuntis ac gressus impediti videbantur. Quin & ipsius sermo videbatur etiam esse impeditior.

f. 11. p. 1. §. 1.

SI quando propiùs accedendum erat ad ipsum Regem considentem in solio, ambabus manibus attollens vestem per gradus conscendebat in aulam, demisso inclinatoque admodum corpore, non ausus vel oculos attollere: Tam studiosè interim represso anhelitu ut videretur quodammodo non respirare.

§. 2.

A Conspectu Regis egrediens, cum jam descenderet uno alterove gradu; protinùs explicabat pristinum oris colorem ac speciem ipse exhilarati jam instar. Deinde ab ultimo gradu aliquantò properantiùs pergebat explicato jam non tantùm curis animo, sed etiam explicatioribus hinc inde vestis suæ manicis eleganter incedens, & repetens proprium muneris sui locum cum cura & reverentia quadam inibi inter alios præfectorum consistebat.

§. 3.

CONfucius quotiescunque legabatur ab suo Principe, qui primi erat ordinis, jamque alteri sistebat sese, manu tenebat insignia sui Principis inclinato reverenter corpore haud secùs ac si non esset par sustinendo ponderi tantæ dignitatis. Si quando attollebat ea, brachia sic conformabat ac si reverenter alterum salutaret: Si demittebat paululùm, utebatur gestu quasi offerentis quidpiam alteri. Inter hæc autem præ curâ, quâ tenebatur, ac metu, mutabatur, ficut confligentium color, & os, oculique mutari solent sub initium certaminis. Gressus item accelerato quidem & simul irretito similis, prorsus ac si pondus quodpiam traheret pedibus affixum.

Digitized by Google

p. 2. §. 1.

QUotieſcumque Regis ſui nomine offerebat munera alteri vel Regulo vel dynaſtæ; habebat affabilitate ſimul ac gravitate contemperatam oris ſpeciem.

§. 2.

VErum cum privata deinde offerret munera ſuo ipſius nomine; tum pluſculum neſcio quid hilaritatis ad illam ipſam affabilitatem accedebat.

§ 3.

HOC & ſequentibus paragraphis exponitur cujuſmodi ferè veſtes *Confucius*, quo modo, & quo tempore geſtaret. Philoſophus noſter ad uſum habitumque vulgarem non adhibebat unquam coloris flammei & ſubobſcuri, coloris item rubei ſeu purpurei ornamentum collaris inſtar ac fimbriæ, ſupremæ infimæque oræ veſtium aſſutum: hoc enim colore duntaxat utebatur in funeribus; illo in ſacrificiis.

§. 4.

ITEM ex vulgari illo colore rubro, & violaceo vergente ad rubrum non conficiebat unquam vulgaris & domeſtici usûs veſtes, tam gaudebat Philoſophus nativa rerum ſimplicitate: Tum quia colores iidem apud matronas ac virgines in pretio ac uſu erant.

§. 5.

PER menſes æſtivos veſtem illam ſimplicem ac raram, quæ tunc vulgò erat in uſu, ſive eſſet contexta ſubtiliùs, ſive rudiùs) ex *Co pu* ſcilicet, quæ ſpecies videtur quædam eſſe cannabis) nunquam non interiori alteri veſti ſuperinduebat, adeoque æſtivam illam faciebat extimam: Studio nimirum modeſtiæ, honeſtatis, ac verecundiæ; ne quid alioqui de corporis nuditate tranſpareret.

f. 12. p. 1. §. 1.

ERAT illi hyberno tempore ſub nigrâ togâ ex agninis pellibus toga item nigra: Sub alba veſte ex cervinis hinnulorum pellibus toga item alba: Sub croceâ veſte ex vulpinis pellibus toga item crocea.

§. 2.

EA quâ vulgò domi ſuæ utebatur toga pellicea, promiſſa quidem erat: At contractior tamen ejuſdem dextra maniça, quo eſſet ad res contrectandas expeditior.

§. 3.

OMnino ſua illi erat nocturna ad quietem veſtis tam longa atque totum corpus, & inſuper habebat alteram medietatem ejuſdem corporis tegentem. Cæterùm veſtis hujus potiſſimus erat illi uſus jejunii tempore.

Digitized by Google

§. 4.

VUlpinæ, & animalculi *Ho* dicti pelles, utpote ſpiſſioribus inſtructæ pilis erant illi ad domeſticos uſus ac veſtes hyberno tempore.

§. 5.

EXcepto luctûs tempore nulla res erat vel ad uſum, vel ad ornatum, quam non & ipſe more virorum gravium ex cingulo v. g. ſuſpenſam geſtaret.

§. 6.

SI non utebatur ſemicinctio (utebatur autem aſſiduè tum in aulâ, tum etiam cùm ſacris operabatur) id certè quo domi ſuæ paſſim utebatur, erat toga brevior lateraliter aperta, parſimoniæ, modeſtiæque, & commoditatis etiam gratiâ.

p. 2. §. 1.

PEllis agninæ togâ & nigri coloris pileo (quod eſſent propria feſtivi fauſtique temporis) non obibat lugentium officia.

§. 2.

CAlendis cujuſque menſis, etiam tunc cum non fungeretur publico munere, omnino tamen ſolemni cum habitu veſtium cæteros inter Magiſtratus Regis ſalutandi gratiâ in aulâ comparebat.

§. 3.

QUO tempore jejunabat ſacris daturus operam, omnino erat ei nitidiſſima mundiſsimaque veſtis, index illius, quam ſtudio tam impenſo procurabat, puritatis internæ externæque. Cæterum nonniſi ex telâ goſsipinâ ipſa erat.

§. 4.

EODEM jejunii tempore nunquam non mutabat rationem victûs, vino imprimis & carnibus abſtinendo. Quin etiam quod ad ipſum commorandi locum attinet, omnino mutabat locum ſolitum. *Sancti nimirùm, ut Colaus concludit, ſic venerantur ſpiritus, ac ſi hi ipſis præſentes aſſiſterent: Idcircò abſtinentiæ, continentiæque tam ſedulo & tam ſollicitè dant operam.*

Hactenus de habitu cultuque corporis; nunc quibus maximè eduliis, quo item modo, quo ritu, quâ temperantiâ veſceretur, exponunt diſcipuli.

§. 5.

AD rationem victûs quod attinet, non reſpuebat ipſe ſimplicem orizam aquâ decoctam. A minutalibus ex carne vel piſcibus non abhorrebat, quamvis eſſent valdè minutim conciſa.

§. 6.

EDULIA propter tepentem humiditatem jam corrupta, exempli gratiâ, piſcem jam cœptum reſolvi ac putreſcere, vel carnem jam corruptam non edebat. Quin etiam ſi color ipſe eduliorum jam

rum jam fortè vitiatus erat, non veſcebatur. Si odor item vitiatus erat, non veſcebatur. Carentia debito temperamento condimentove, non edebat. Immaturum quid, ut fruges, fructuſve, non edebat.

f. 13. p. 1. §. 1.

SI quid ſectum erat non aptè rectève, non edebat. (*Cum enim Sinæ ruſticitatis eſſe putent, cibos attrectare digitis; atque adeò quidquid eſt eduliorum; quin & orizam ipſam, geminis paxillis, eiſque oblongis perquàm ſcitè dextreque in os inſerant: Idcircò nihil ferè carnis in menſam inferunt, quod non ante ſit in fruſta conciſum.*) Si quod edulium non haberet ſuum embamma, ſeu intinctum, non edebat.

Nudum ſalem, uti nos, non exponunt Sinæ in mensâ: Sed ejus loco varii generis intinctus, necnon olera, & legumina ſale condîta, & orizæ cupidius edendæ perquam accommodata.

§ 2.

CArnis etiamſi eſſet copia, non tamen faciebat, ſeu, non ſic ea veſcebatur, ut excederet quantitate ſua panis vel orizæ ſuccum. Solummodò quod attinet ad vini uſum, non habebat menſuram certam, quam ſibi ipſe præſcripſiſſet: Nunquam tamen utebatur eo immoderatiùs; adeoque non accedebat unquam ad perturbationem mentis.

§. 3.

COEMPTO in triviis compitiſque vino, coemptâ ſimiliter carne ſiccatâ, veritus ut eſſent munda, non utebatur.

p. 2. §. 1.

NON abſtinebat gingiberis eſu, ſed ad ſingula ferè adhibebat edulia; propterea quod excitet imprimis ipſos ſpiritus hominis, arceatque valetudini contraria.

§. 2.

UNiverſim denique non multi cibi erat ipſe.

§. 3.

QUO tempore parentales oblationes & epulæ exercebantur in Palatio Regio, non detinebat *Confucius* ne per unam quidem noctem carnes illas, quas peracto Ritu Rex ipſe ad Magiſtratus & clientes ſuos de more dono miſerat: Ritu autem privato domûs ſuæ, & in memoriam majorum domeſticorum oblatas à ſe ſimiliter epulas, & carnes non ſervabat ultra triduum. Quæ jam exceſſiſſent triduum, non edebantur à quoquam, quippe jam vitiari cœptæ.

§. 4.

INTER edendum non ſermocinabatur, inter cubandum non loquebatur, niſi fortè interrogatus.

Digitized by Google

§. 5.

QUAMVIS uteretur cibo admodum vulgari parabilique, ex. gr. ex oleribus parato jusculo, omnino tamen libabat ex illo ipso tum suis majoribus, tum iis quorum opera industriaque hæc obvenerant humano generi; & sic planè perpetua quædam jejunandi ratio illa erat, gemique fraudandi.

f. 14. p. 1. §. 1.

HUmus ipsa storeis instrata Priscis erat pro sedili. Storeæ itaque non rectè collocatæ non insidebat, tanta illi vel minimis infimisque in rebus, recti erat cura.

§. 2.

COnsanguinei ejus & affines & populares cùm epulabantur: utentibus jam scipione, id est, sexagenariis primùm egressis, absoluto jam convivio, ipse mox deinde egrediebatur; nunquam non venerari solitus canos.

§. 3.

POpularibus eisdem per menses hybernos supplicationem instituentibus ad arcendos spiritus morbiferos, ut aiebant, ipse vestitum solemniorem inducebat & consistebat in aditu suæ domûs & gradu orientali ubi visenti se hospiti consueverat occurrere.

Usum supplicationis hujus unâ ferè cum familiâ Cheu *ortum habuisse docent Interpretes, &* Chu çù *quidem festivo cuipiam ludo fuisse non absimilem. At* Cham tûm ço *aliquid hîc à* Confucio *tributum fuisse observantiæ suæ adversùs Imperatorem, qui & ipse autumnali tempore patiebatur ritum hunc ludumve in aulâ suâ exerceri.*

§. 4.

MIttens quempiam suorum qui officiosè percunctaretur de valetudine amici degentis in diversa regione, demisso reverenter corpore iterum iterumque salutabat absentem amicum, haud secùs ac si præsentem cerneret, & cum qui ab se mittebatur, etiamsi famulus esset, tamen honorificè deducebat, in nuntio illum, ad quem nuntius destinabatur, honorans.

§. 5.

KI cum çu Præfectus Regni *Là Confucio* dono miserat pharmacum. *Confucius* cum gratiis & cum honoris significatione admittens illud, candidè dixit: Ego non satis habeo perspectum, quid illi virtutis & efficacitatis insit: Atque adeo necdum ausim degustare

p. 2. §. 1.

EQuile *Confucii*, cum is Præfectum ageret, fortè conflagraverat: Is engò redux ab aulâ obvio sibi nuntio domesticæ calamitatis, heus, inquit: An læsit ignis hominem quempiam, nihil interim scisitatus de equis.

Digitized by Google

§. 2.

REGNI *Lù* Princeps eum honorabat eum cibario munere; certo certiùs componebat ſtoream, ſeu ſedile, non ſecùs ac ſi Princeps ipſe adeſſet: Ac primùm quidem delibabat ipſe munus tum deinde cæteris impertiebatur. Idem Princeps quando mittebat ipſi munus honorarium carnis crudæ; *Confucius* indubitanter eam coquebat primùm; deinde verò offerebat majoribus vitâ functis. Denique idem ſuus Princeps ſi dono miſerat ei vivum aliquod animal, haud dubiè alebat illud ac ſuſtentabat ſollicitè, neutiquam, auſus abſumere Regiæ beneficentiæ vivum argumentum.

§. 3.

SI quando aſſidens ad latus, epularetur unà cum ſuo Principe; ipſo Principe majoribus ſuis de more jam libaturo ſingula edu-liorum; *Confucius* præ modeſtiâ nolens uti jure ſuo hoſpitis, quo licebat ipſi quoque libare ſimiliter, hoc unum faciebat: Admodum dexterè Principem antevertens edulia ſingula prælibabat. Dixiſſes non tam convivam eſſe Principis, quàm præguſtatorem.

§. 4

SI ægrotaret *Confucius*, & Rex viſeret ægrotantem; tum ipſe ad ortum obvertebat caput: Item ſuperimponebat ſibi in lectulo decumbenti ſolemniores veſtes (quibus uti conſueverat, quotieſcumque Regem adibat ſalutandi gratiâ) Ipſis autem veſtibus ſuperinducebat majus honoratiuſque cingulum.

f. 15. p. 1. §. 1.

A Rege juſſus accerſi *Confucius*, non expectato curru ſuo domeſtico, confeſtim in viam ſe dabat pedes.

§. 2.

QUando ingrediebatur in majorem aulam gentilitiam memoriæ Principis *Chen cum* dedicatam; inibi de ſingulis propè rebus percunctabatur.

§. 3.

AMicorum aliquo forte mortuo, ſi quidem is non habuiſſet ad quem funeris procurandi gratiâ prefugeret; *Confucius* tum dicebat: in me ſit iſta cura procurandi funeris.

§. 4.

MIſſis ad ſe amicorum muneribus ac donis, etiamſi eſſent currus & equi, aliave majoris pretii; tamen exceptis duntaxat iis quæ priſco ritu oblatæ majoribus fuerant, carnibus, haud ulli reliquorum munerum exhibebat honorem.

§. 5.

QUando cubabat dormiendi cauſa; tum quoque modeſtiæ decentiæque memor, non jacebat inſtar cadaveris, reſupinus ſcilicet, ac fœdè diſtentus. Cum ſuis domi degens, & intra priva-

tos parietes, deponebat ipse quodammodo solitam gravitatem.

p. 2. §. 1.

CONspicatus quempiam indutum veste lugubri, quamvis aliòquin summè familiarem sibi, certissimò tamen mutabat oris speciem, ex intimo quodam sensu commiserantis animi. Conspicatus item quempiam coopertum solemni pileo, & qui proprius esset Magistratuum, vel quempiam orbatum luminibus, etiamsi privatim cum eis ageret; haud dubiè tamen cum reverentiâ & honore tractabat illos.

§. 2.

CUicunque lugubrem induto vestem, etiam tunc quando vehebatur curru, assurgebat ipse honoris gratia, in anteriorem partem sui currûs incumbens. Similiter assurgebat ei qui deferebat Codicem publicum, quo populi totius nomina continebantur; in eo populum veneratus universum.

§. 3.

SI quando celebraretur opiparum splendidumque convivium in gratiam *Confucii*; ipse videns mensam tot epulis instructam, reliquumque apparatum; haud dubiè mutabat oris speciem, & protinùs assurgebat, gratias acturus hospiti pro delato sibi honore.

§. 4.

AD repentina tonitrua, nec non ad ventos sævos atque terribiles, nunquam non mutabat oris speciem, sacro quodam perculsus horrore, reverentiamque suam erga supremam cœli majestatem haud obscurè declarans.

Sed hoc minime novum in Philosopho, quando & ipse & Prisci Sinarum Reges per nocturnas quoque horas è strato se proripere solebant, cœlo fulminante, vel tonante; & solemniori operti pileo ac veste, placandæ iræ cœlesti ritè operam dare; uti ex libris eorumdem constat.

§ 5.

QUando conscendebat *Confucius* currum; nunquam non erectus stans arripiebat habenas.

§. 6.

IN ipso curru existens non retrò convertebat oculos: nihil etiam præpropere seu præcipitanter dicebat: Rem nullam suo monstrabat digito.

f. 16. p. 1. §. 1.

AVIS ad primam speciem & aspectum aucupis, à quo sibi strui videt insidias, hoc ipso protinùs evolat in altum, longeque volans aufert sese, ac deinde circumspiciens accommodatum sibi tutumque locum, sistit inibi secura & conquiescit.

Digitized by Google

§. 2.

Confucius, uti memorant discipuli, ruri conspicatus aliquando gallinam sylvestrem, suspirans, aiebat: Quam ego nunc conspicor, in montis vertice gallina sylvestris, ut novit ipsa suum tempus! ut novit ipsa suum tempus! volandi scilicet, quiescendi, &c. unam in his omnibus magistram sequens naturam. Hæc dicenti Philosopho assistens discipulus *çu lu* eminus & ipse contemplabatur avem, non sine desiderio ejusdem capiendæ. Verùm ter gracillans ipsa properè sustulit sese & avolavit; re ipsâ, fugâque illâ confirmans id quodammodo, quod supra dictum fuerat.

Salubrem ex his doctrinam Colaus noster eruit, dum ab ipsis quoque brutis animantibus discere nos voluit, rerum recte agendarum tempus & occasionem negligi haud oportere ab homine, cui non natura tantum, sed ipsa quoque ratio Dux & Magistra est.

LIBRI TERTII
PARS SEXTA.

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

CONFUCIUS ait: Priores, sive Majores nostri in observantiâ concordiâque mutuâ, id est, in obeundis officiis subrustici homines erant, si quidem audiamus fastidiosæ ætatis nostræ sententiam. Posteriores verò, nos, inquam, ipsi, qui imperante familia *Cheu* luxurie copiâque tantâ rituum & cerimoniarum efflorescimus, in observantiâ concordiâque mutuâ eximii clarissimique viri sumus scilicet.

§. 2. Nihilominùs quantum spectat ad usum exercitiumque tam observantiæ illius quàm concordiæ, tum ego certè sequar priores meos.

§. 3. *Confucius* reminiscens discipulorum, quorum alii diem obierant; alii Magistratum alibi gerebant, non sine gemitu aiebat: olim qui sequebantur me in Regnis *Chin* & *çai*, omnes jam non ampliùs accedunt ad hoc gymnasium meum.

p. 2. §. 1. Hac occasione commemorantur discipuli omnino decem, laborum socii, & quâ quisque laude maxime præstiterit, exponitur, & virtutum quidem exercitatione celebres erant imprimis quatuor: *Yen yven, Mim çu kien, Gen pe nieu, Chum cum.* Dicendi

Digitized by Google

arte & facundiâ *çai ngo*, & *çu cum*. Arte induſtriaque adminiſtrandi Rempublicam *Gen yeu*, & *Ki lu*. Litterarum peritiâ elegantiaque *çu yeu*, & *çu hia*.

§. 2. *Confucius* ait: Unus ex omnibus *Hoei* non adjutabat me dubia ſcilicet proponendo. Ex meis etenim ſermonibus ſententiiſque non erat vel una, quâ non vehementer lætaretur: Supervacaneum ducebat ſcilicet quidquam interrogare.

§. 3. *Confucius* exclamans in laudem diſcipuli ſui ait: O virum raræ pietatis obedientiæque *Mim çu kien*! Alieni quippe non diſcrepant ab ejus patris matriſque, necnon fratrum natu majorum minorumque ſermonibus, quibus ejuſdem pietas & obedientia celebratur: Una eſt vox ſcilicet omnium, & admirabilis conſenſus.

Diſcipulus iſte ſuave dedit ſpecimen & charitatis & prudentiæ etiamnum puer. Matrem propè infans amiſerat, duxeratque pater uxorem alteram. Ex hâc nati ſunt ei duo filii, quos illa quidem fovet ut mater, & adversùs brumæ aſperitatem ſuffultis goſſypio veſtibus munit imprimis, privignum interim, ut noverca negligens. Eum fortè pater brumali die currum juſſerat agere: Quando malè amictus puer tantum non obriguit frigore. Pater cognita rei cauſâ indignabundus ſtatuit uxorem domo ejicere: Quod animadvertens pius filius, ſupplex & cum lachrymis; parce inquit, ô genitor! Parce matri, ut parcas filiis: Hæc enim ſi maneat; ego duntaxat unus patiar incommodi quidpiam: At ſi dimittitur, jam tres omnino filii plurimum patiemur. Fregit amoris illa vox iram patris, & ex novercâ matrem fecit.

f. 2. p. 1. §. 1. Diſcipulus *Nân yum* quotidie iterum ac tertio repetebat odam *Pe quei* dictam, quâ tum alia documenta, tum ea potiſſimùm continentur, quæ prudenter & conſideratè loqui nos docent: *Confucius* ob eam rem ſui fratris natu majoris filiam in uxorem ei tradidit.

§. 2. Regni *Lu* Præfectus *Ki cam çu* quæſivit à *Confucio*, diſcipulorum ejus ecquis eſſet ſtudioſior? *Confucius* reſpondit: Unus fuit *Yen hoei* omnium ſtudioſiſſimus. At infelix poſt perbrevem uſuram hujus vitæ immaturus obiit: Nunc autem proh dolor! actum eſt; neque ſpem video ſimilem diſcipulum nanciſcendi.

p. 2. §. 1. *Yen yven* defuncto, *Yen-lu* ejuſdem pater ſatis importuna cum ſimplicitate flagitavit ſibi *Confucii* currum, ut ex eo, ſeu, ejus pretio conficeret extimum loculum.

§. 2. *Confucius*, qui tunc Præfectus erat Regni *Lu*, parentum affectum plerumque cæcum erga prolem ſuam hic notans, reverà, inquit, ſic eſt: Qualiſcunque tandem ſit ſoboles, ſive valeat ingenio, ſive non valeat; tamen unuſquiſque pater patrocinatur ſuo filio. *Li pe yu* filius meus, & quidem unicus, ubi mortuus eſt, habuit ſarcophagum ſuum, ſed vulgarem, & ſine extimo illo loculo;

Digitized by Google

apparatu ſcilicet ad meam tunc temporis conditionem accommodato. Ego certè non pedes incedam : ut conficiatur extimus loculus ex curru meo. Quandoquidem enim ego nunc inter Præfectos ſum noviſſimus (modeſtiæ gratiâ ſic loquitur) nequaquam me convenit peditem incedere.

f. 3. p. 1. §. 1. *Yen-yven* defuncto ſuſpirans *Confucius* aiebat : Proh dolor ! Cœlum tumulavit me ! Cœlum tumulavit me !

§. 2. *Yen-yven* defuncto *Confucius* plorabat & ſupra modum lugebat. Quo animadverſo diſcipuli dixerunt : Tu, ô Magiſter, nimium indulges luctui & lachrymis.

§. 3. *Confucius* haud aliter ac ſi evigilaſſet ex ſopore, quid egi ? inquit, num ploravi & luxi immoderatius ? Planè ſic res habet : modum neſcit vehemens dolor.

§. 4. Peccatum eſt à me : Quamquam ſi non talis ac tanti viri causâ lugeam acerbiùs ; cujus tandem causâ lugebo ?

§. 5. *Yen-yven* defuncto diſcipuli deſiderabant ſumptuoſius ſepelire ipſum. *Confucius* ait : Non convenit. Ratio namque funeris accommodanda eſt ad conditionem illius, quam vivens obtinebat is, cujus funus ducitur.

§. 6. Diſcipuli nihilominus ſumptuosè eum ſepeliverunt.

§. 7. Non probavit rem *Confucius*, qui ſuſpirans, inquit, diſcipulus meus *Yen-hoei*, in vivis conſiderabat me prorſus uti patrem. At ego nunc, quamvis maximè velim, non poſſum conſiderare illum uti filium, quippe qui ſepultus præter ordinem moremque diſceſſit ab inſtitutis majorum : At certè, non ego ſum in culpâ ; ſed vos quotquot eſtis diſcipuli mei.

p. 2. §. 1. *Ki lu* quæſivit à Magiſtro ſuo, quî ſerviendum ſit ſpiritibus ? *Confucius*, tu, inquit, necdum probè noſti ſervire hominibus ; qui ante oculos tuos verſantur quotidie ; quomodo poteris ſervire ſpiritibus à noſtro mortalium ſenſu tam remotis ? Ergò liceat mihi ſaltem (inquit idem diſcipulus) Exquirere abs te de morte. Reſpondet : Necdum probe noſti vivere, quomodo noſces mori ?

§. 2. *Mim-çu* diſcipulus unà cum aliis adſtabat lateri *Confucii* eâ cum ſerenitate habituque corporis, ut non obſcurè proderet interiorem recti animi ſtatum. *çu-lu* verò animoſa intrepidaque ſpecie. *Gen yeu* & *çu-cum* conſtantiam neſcio quam & integritatem prodente ipſo habitu ſpecieque oris & corporis. Quæ omnia obſervans *Confucius* gaudebat, quod ſperaret in adita ſapientiæ aliquando ingreſſuros.

§. 3. Quamquam quod attinet ad diſcipulum *Yeu* (ſeu *çu lu*) quam vereor, inquiebat, ne illi præfervida ſua indoles ſit fraudi ! non obtinebit ſuam mortem placidam & connaturalem. Præſagos

Digitized by Google

Magiſtri metus probavit eventus : miſerabili enim in bello morte occubuit adhuc vivente *Confucio*.

f. 4. p. 1. §. 1. Regni *Lù* homines, id eſt, tres familiæ præpotentes, quæ oppreſſa ferè authoritate Principis potiebantur rerum, moliebantur novum Regni ſui ærarium, propterea quod vetus minaretur ruinam.

§. 2. Conſultus hac in re *Mim-çu-kien* ſic ait : Secundum veterem ſuam formam ſi reſtauretur, ecquid vobis videtur ? Quid obſecro, neceſſe eſt denuò extruere à fundamentis novum ærarium, & in labores ſumptuſque tam immodicos populum conjicere.

§. 3. *Confucius* hoc audito gaviſus, reverà, inquit, iſte vir non loquitur, niſi perparce. At cum loquitur, omnino ſcopum attingit, & quæ dicit, conſentanea ſunt rationi.

§. 4. *çu lu* muſica delectabatur quidem, ſed ea, quæ Martem & arma reſonaret; longe ſecùs ac ſuus Magiſter. *Confucius* itaque cum forte audiret diſcipulum hunc domi ſuæ canentem fidibus, quid audio : inquit, diſcipuli mei *Yeu* inſtrumentum quid facit in mea domo ?

§. 5. Condiſcipuli propter hoc Magiſtri dictum minus jam honorabant, & tantum non aſpernabantur ipſum *çu lu*. Quod animadvertens *Confucius*, abſit, inquit, ut hunc virum aſpernemini. Diſcipulus *Yeu* jam certe ſubiit in aulam Philoſophiæ noſtræ ; quamvis necdum introivit in interiores ejuſdem ædes ac penetralia.

Condiſcipulus Gen yeu *fortè ſignificaverat ipſi* çu-lu, *quam non probaretur Magiſtro ejus muſica : ea res ſic afflixit hominem, ut diem totum nihil admitteret edulii. Uſque adeò dolebat aliquid ſui non probari Magiſtro. quod hic audiens*, qui peccavit, *inquit*, ſed *quod peccatum eſt, vult protinùs emendare, is progreſſum fecit haud pœnitendum, quo lh nem çai, ki çin y hu.*

p. 2. § 1. *çu-cum* percontatur de duobus condiſcipulis *Su* & *Xam*, uter eſſet ſapientior ? *Confucius* reſpondit : *Su* excedit, *Xam* verò non pertingit. Ambo deerrant à medio.

§. 2. Ait iterum *çu cum* : ſi ita eſt, ergo *Su* antecellit ſapientia alterum.

§. 3. *Confucius* ait : Proprius ſapientiæ locus eſt medium, quod qui tranſilit, ſimilis eſt non attingenti.

§. 4. *Ki xi* dynaſta præpotens & Præfectus Regni *Lu* (inquiebant diſcipuli ad *Confucium*) nunc opulentior eſt quam ipſe fuerit *Cheu-cum* frater *Vu-vam* Imperatoris. Interim verò *Gen-kieu* domeſticus adminiſter ipſius, pro ipſo congerit immodica tributa, & operam confert ei locupletando.

f. 5. p. 1. §. 1. *Confucius* hæc audiens, qui res, inquit, tam alienas gerit à doctrina mea & ratione, non eſt meus diſcipulus. Vos ô diſcipuli

ô discipuli mei, pulsare nunc oportet tympana ; voces, inquam, animosque & studia jungere, & oppugnare illius improbitatem stultitiamque.

§. 2. Exponit hîc *Confucius*, quid etiamnum desideret in quatuor discipulis sibi charis imprimis ; *Chai*, inquit, syncerus est ille quidem ac sedulus, at rudis est etiamnum multarum rerum.

§. 3. *çem-çan* (is ipse qui librum *Ta-hio* in lucem edidit) tardior est & parum acutus ac perspicax.

§. 4. *Su* justo plus tribuens exteriori cultui & compositioni.

p. 2. §. 1. *Yeu* (seu *çu-lu*) asperis adhuc & inconditis subrusticisque moribus est.

§. 2. *Confucius* aiebat : Meus *Hoei* ô quam is prope aberat à verâ virtute ! Sæpè ad extremam rerum penuriam redactus fuit, & ne tum quidem à suscepto virtutis proposito recedebat.

§. 3. Secùs verò discipulus meus *Su* suo se regebat arbitrio consilioque, & non acquiescebat cœli dispensantis opes arbitrio ; sed opes imprimis studiosè cumulabat ; cumque valeret ingenio industriaque, idcircò ubi quid moliebatur, tum plerumque ferè optatum res habebat successum.

f. 6. p. 1. §. 1. *çu-cham* percontatur de bonorum hominum ratione & viâ, eorum scilicet qui citra studium, nativâ quâdam facilitate indolis ac bonitate sunt præditi. *Confucius* respondet : Tales ut censeantur & sint, non illi quidem necessario insistent vestigiis Sanctorum ac Sapientium ; Contenti sanè sint nativis illis, ut sic loquar, opibus suis ; sed etiam revera sic non ingredientur unquam in adyta penetraliaque sapientiæ, ad quæ sola nativa bonitas non pertingit.

§. 2. *Confucius* ait : Discurrat quispiam ac disputet de rebus optimis, nec copiosè modò, sed etiam solidis firmissimisque rationibus, sic ut talis habeatur ab audientibus, qualem sonat ipsa oratio ; an hic illico censendus erit vir virtutis solidæ, an fucatus & fictus ?

§. 3. Discipulus *çu-lu*, Magistrum interrogat : An posthac ubi quid audivero abs te, hoc ipso mox exequar ac perficiam ? *Confucius* respondet : Sunt tibi pater & frater natu major etiamnum superstites, illos tu audias licet. Quo pacto igitur ubi quid audiveris abs me, hoc ipso mox perficias ? Alter discipulus *Gen yeu* dictus similiter Magistrum interrogat : Num ego posthac ubi quid audivero abs te, mox perficiam ? *Confucius* ait : Omnino sic age : Audi me, & quidquid audieris protinùs & animosè fac perficias. Tertius *Cum si hoa* dictus, admiratus magistri responsum tam dissimile in re tamen simillimâ, quid hîc, obtecro, mysterii latet, inquit : *yeu* discipulus tuus interrogavit, ubi quid audivero abs te, moxne perficiam ? Et tu res-

pondisti, sunt tibi pater & frater natu major superstites, illos audi: Alter discipulus *Kieu* seu *Gen yeu*, item interrogavit, ubi quid audivero ab te, mox ne perficiam: & tu respondisti: quidquid audieris, protinùs fac perficias. Ego *Che* (parvum nomen est *Cam siboa*) hæreo incertus & perplexus responso tam dispari. Ausum itaque scisscitari abs te, quid sibi hoc velit: *Confucius* respondit: Discipulus *Kieu*, uti nosti, timidi & imbecillioris animi est: Facilè cedit ac retrocedit; idcirco incitandus & propellendus fuit ut à me audita mox perficeret. Alter verò *yeu*, animosior est justo, & cum arrogantia quadam ardet antecellere cæteros; & idcirco reprimendus fuit & rejiciendus ad parentes & fratres, ut iis morem gerens, modestior evadat.

p. 2. *Confucius* erat cum cura & metu non mediocri in ditione *quam*, idque propter periculum sanè præsens, in quod ipsum conjecerat sua species & forma corporis admodùm similis alterius cujusdam Præfecti quem quidem sic oderant indigenæ, ut ad necem quærerent; jamque adeo armis obsidebant diversorium Philosophi: Cujus interim fidus Achates *yen yven* tunc fortè retrò moratus aberat. Verùm non multò post adventu ejusdem aspectuque exhilaratus *Confucius*, revera, inquit, jam ego te censebam esse mortuum. At ille absit hoc, inquit, optime Magister; te namque superstite, discipulus tuus *Hoei* quâ ausim, vel quâ sustineam injussus mori?

f. 7. p. 1. §. 1. *Ki çu gen* vir potens ac nobilis in Regno *Lu*, *Confucium* percontatur de duobus ejusdem discipulis, necnon Ministris suis & Consiliariis *Chum yeu* & *Gen kieu*, an scilicet possint vocari præstantes & magni administri.

§. 2. *Confucius* respondet in hunc modum: Ego illam tuam existimabam fore de re prorsus eximiâ & de viris admodum illustribus percontationem. Verùm nunc, uti video, de duobus istis hominibus, de *yeu*, inquam, & *Kieu* est quæstio tua: Quæ satis declarat, ignorari abs te, in quo posita sit laus & ratio magni administri.

§. 3. Etenim quisquis dicitur magnus administer & Consiliarius Principis, is omnino secundùm id quod jus & ratio poscit, servit Principi. Quod si nequeat servire hoc pacto; tum desistit ac renuntiat suo muneri.

§. 4. Nunc ergò duo isti *yeu* & *Kieu* discipuli quondam mei poterunt fortasse dici vulgares ac de trivio ministelli.

§. 5. Ad hæc rursus *Ki çu gen* ait: sit ita, non sint, inquam, primi ordinis ministri; at certè familiæ nostræ *Ki* nonne obsequentes erunt & obtemperabunt mandatis nostris.

p. 2. §. 1. *Confucius* respondet: Sic ut naturæ jura sanctissima violent, ut interficiant, inquam, patrem suum, vel Principem; eatenùs, etiam ipsi, quamvis alioqui parum fortes ac probi, haudqua-

Digitized by Google

quam tamen obtemperabunt. Tacitè significat suspicionem suam de ipso percontatoris animo, quod contra Principem suum aliquid machinetur.

§. 2. *çu-lu* præcipuus administer præpotentis familiæ *Ki*, authoritate gratiâque suâ perfecerat ut condiscipulus *çu-cao* ageret exiguæ cujusdam ditiunculæ *Pi* dictæ Præfectum.

§. 3. *Confucius* factum damnans, mihi crede, inquit, damno tu es huic homini *çu-cao* optimæ alioquin indolis ac spei dum immaturum, ad munus publicum inconsultè promoves.

§. 4. *çu-lu* etsi satis jam intelligeret, se istâ in re fuisse præcipitem, cum tueri tamen mallet errorem suum, quam ingenuè fateri; At enim, inquit, est ipsi populus, quem regat; sunt spiritus ditionis & agrorum præsides, quibus debita exhibeantur pietatis officia. Quid, obsecro, necesse est vacare prius litterarum monimentis, ac tum demum censeri studuisse? immo verò regere populum, & obsequi spiritibus, hoc ipsum studere est.

§. 5. *Confucius* immodestâ responsione suboffensus; enimverò, inquit, hæc est ratio cur oderim & execrer hujuscemodi garrulos, & errore novo tuentes errorem suum.

f. 8. p. 1. §. 1. Fortè quatuor discipuli nimirum *çu-lu*, *çem sie*, *gen yeu*, & *cum si hoâ* ad latus Magistri considebant.

§. 2. Avebat autem scire *Confucius*, quid singuli haberent in votis. Quod ut familiarius, fidentiusque exponerent; æquales sumus, inquit, quotquot hîc sumus; quod ego namque uno alterove die grandior sim quam vos sitis; non mei, seu, ætatis hujus meæ, rationem habeatis, quin loquamini fidenter.

§. 3. Quando vos degitis, privati, tum dicitis (opinor) haud rarò: non ego cognoscor, adeoque non est qui utatur meâ operâ: quod si ergo quispiam novisset vos, si perspectas haberet egregias dotes, ac facultates vestras; jamque adeò uteretur vestrâ operâ; tum quo maximè modo vos haberetis; quid, inquam, ageretis.

p. 2. §. 1. *çu-lu* nihil cunctatus, repentè, nec sine quâdam jactantiâ respondet: Mille quadrigarum dynastia (*continebatur, hæc ambitu centum stadiorum Sinensium, id est, octo ferè leucarum nostratium; eratque propria Regulorum.*) Medio sita loco & concluſa sit quodammodo inter majora duo regna. Augeatur eadem & firmetur cum præsidiis bellicis, atque imprimis majoribus minoribusque militum legionibus. Inter hæc autem frequens adsit segetum frugumque fertilitas. Ego verò in tali re ac tempore gubernator sim istius dynastiæ; spondere profectò ausim, quod vixdum exacto triennii spatio potero efficere ut vel sic habeant subditi mei multum roboris & fidei, constantiæque, simulque sciant præ oculis habere æquitatem suæ causæ, patriæque libertatem; & me duce socioque fortiter

Digitized by Google

ubi fuerit opus, pro eâdem occumbere. *Confucius* hæc audiens subrisit.

§. 2. Tu verò discipule mi *Kieu*, sive *Gen yeu*, tu quid agitas animo. Respondet ille: Ditionem quampiam sexaginta, vel septuaginta stadiorum, vel hâc ipsâ minorem, exempli gratiâ, quinquaginta vel sexaginta stadiorum (*Hæc quatuor aut quinque leucarum ambitu continebatur, eratque propria dynastarum inferioris ordinis*) Ego si administrarem, vixdum exacto triennii spatio possem fortasse curâ meâ industriaque efficere ut affatim esset populo earum rerum, quæ sunt ad vitam sustentandam necessariæ. Cæterùm quod spectat ad ipsos ritus officiaque civilia, necnon mutuam omnium inter se suoque cum principe concordiam, moresque & disciplinam Reipublicæ bene constitutæ; ad hoc perficiendum, sicut ipse sum impar, ita præstolor eximiæ virtutis sapientiæque virum, qui perficiat.

f. 9. p. 1. §. 1. Et tu, mi discipule *Che*, sive *cum si hoa*, tu quid moliris animo. Respondet: Ego similiter non facilè dixero id posse me, quod *Gen yeu* pro modestiâ suâ prudentiaque negat se posse. Desidero interim (quod unum quoque possum) assiduè discere. In parentalium verò aularum rebus propriis, apparatuque funebri, uti etiam cum celebrantur comitia extraordinaria Regulorum tantùm, & alia maximè generalia omnium; tunc ego cæruleâ indutus veste, & cum proprio loci illius temporisque pilco, optarem & mirificè gauderem assistere spectator, quin & agere inferioris ordinis administrum.

§. 2. Tu denique, mi bone senex *Tien*, sive *çem fie*, tu quid habes in votis. Ad hanc magistri vocem pulsare instrumentum desiit, sonoque fidium paulatim remittente, ac remoto tandem ab se instrumento, & consurgens respondit: Ego quidem planè dissentio ab istis trium condiscipulorum propositionibus ac votis. *Confucius* ait: Quid officit? non ideo tu nos cela, quid sentias & optes. Et verò sicut sua cuique studia sunt ac vota, sic quisque profatur & explicat sui animi sententiam & vota. Paret senex, & ait: Quod ego hîc & nunc expeto imprimis, tam est ætati meæ naturæque consentaneum, quam alienum ab omni specie cupiditatis & ambitionis. Porrò nihil est aliud quàm exeunte vere, vernoque habitu vestitum, id est, simplici, levique; & ad senile corpus jam accommodato: Unà cum pileatis, id est, qui adolescentia jam excesserunt, quinque vel sex sodalibus eorumdem mecum studiorum: Item cum adolescentulis sex septemve deambulare in pomæriis australibus; ibique corpus abluere in fonte fluminis *y*. Deinde verò captare ventum in umbroso nemore *Vu yu* (locus erat ubi cœlo sacrificare consueverant, quotiescunque deprecabantur imminentem ex pluviæ defectu sterilitatem) Ac tandem alternis modulari suaviter, & sic lætos alacresque demum repetere.

petere. *Confucius* ista senis ingenui simplicitate delectatus, eique applaudentis instar & simul tamen suspirans, belle tu, inquit, approbo quæ dixisti, *Mi tien.*

Varias approbationis hujus causas afferunt Colaus, aliique Interpretes; 1. Ut sic ostenderet Philosophus, haudquaquam probari ab se cupidinem dominandi. 2. Ut doceret alienam esse à sapiente jactantiam omnem & vanitatem. 3. Multò minus viro sapienti appetendum esse quidpiam, quod extra ipsum sit, & ab alieno pendeat arbitrio, seu cœli seu hominum. Ad extremum, approbare hic visus est sententiam çem sie, *quamvis alioqui jocosæ similem, quia nimirum tendebat ad scopum longè præcipuum Philosophiæ suæ, qui quidem scopus erat charitas seu amor quidam communis erga omnes omnis ætatis homines; quo optabat grandævis pacem & tranquillitatem; inter æquales & amicos fidem atque concordiam; erga imbecillioris ætatis adolescentes curam & commiserationem. Hæc Interpretes.*

p. 2. §. 1. Primis itaque tribus discipulis egressis, quartus *çem-sie* remanserat: hic *çem-sie* igitur sciscitatus ait: De horum trium discipulorum sententiâ & discursu, ecquid tibi videtur, ô Magister! *Confucius* respondit: Equidem quisque profatus est animi sui sensum ac votum, & nihil præterea.

§. 2. At inquit *çem sie*, tu ô Magister cur ridebas discipulum tuum *yeu*, quando is primo loco vota sua exposuit?

f. 10. p. 1. §. 1. *Confucius* respondet: Administrandum est Regnum ex præscripto & normâ officiorum ac legum: In his verò primum obtinet locum modestia, submissioque animi. Hujus autem discipuli sermones & verba non significabant ullam modestiam: Atque hæc fuit causa cur subriserim.

§. 2. At (inquit senior) num solus iste desiderio tenebatur imperitandi? *Kieu* certè discipulo alteri nonne erat suum quoque in votis Regnum? At risum tenui, inquit, *Confucius* quia ejus oratio erat modestior; quod alioquin & ipse meditaretur regnum, cui dubium possit esse? Ecquando namque vidit quis in hoc imperio ditionem sexaginta vel septuaginta stadiorum, uti etiam quæ minor sit quinquaginta scilicet vel sexaginta stadiorum, quæ tamen non sit regnum?

§. 3. Sed enim (inquit hîc rursus senior) tertio discipulo *che* huic certè, nullumne fuerit in votis Regnum? Respondet *Confucius*: Nec ipse vacat dominandi cupiditate: Nam parentales principum majorum aulæ, ritusque funebres; item comitia illa extraordinaria, vel generalia, si non sint res propriæ Regulorum, ad quos tandem spectant res illæ? Quod autem optare se diceret agere tali loco & tempore inferioris ordinis administrum, suspecta mihi oratio est; Etenim *che* vir talis ac tantus, & ad maxima quæque natus, uti pro-

hè noſti, ſi fuerit parvus, ſi aliquando fungatur munere miniſtri tam vulgaris, uti viſus fuit expetere, ecquis audebit, aut valebit eſſe magnus aut Princeps aut Regulus in adeo auguſtis ſeu ritibus, ſeu comitiis: quis ſuſtineat illi ſe præponere, aut etiam aſſiſtere ad ipſius latus?

p. 2. *Yen-yuen* conſulit Magiſtrum de cordis innocentiâ & perfectione nulli non mortalium inditâ cælitùs; modumque exquirit illius recuperandæ. *Confucius* reſpondit: Vincere ſeipſum, atque ita redire ad primævum illud temperamentum naturæ rationalis, hoc eſt obtinuiſſe cordis innocentiam & perfectionem. Mortales univerſi vel unico die ſi vincerent ſeipſos & redirent ad temperamentum illud; tunc orbis univerſus rediret ad innocentiam nativam & perfectionem. Verumtamen ut quis operam det recuperandæ iſti perfectioni; hoc & oritur & dependet ab ipſomet homine. Quomodo autem dependeat vel oriatur ab aliis hominibus?

f. 11. p. 1. *Yen-yuen* ait: Liceat mihi denuò ſciſcitari abs te Magiſter ipſum quaſi elenchum, ſeu ſeriem victoriarum ſuiipſius. *Confucius* reſpondit: Contra rationem ne quid cernito, contra rationem ne quid audito, contra rationem ne quid effator, contra rationem ne quem animi corporiſve motum ſuſcipito. *Yen-yuen* his auditis, alacriter reſponder: Mihi quamvis haud perſpicaci, liceat tamen pro viribus opere ipſo explere hæc tua documenta.

f. 12. p. 1. §. 1. Diſcipulus *chum cum* ſimiliter Magiſtrum conſulit de cordis perfectione jam memorata. *Confucius* tria proponens media illius obtinendæ ſita in attentione ſui, obſervantiâ aliorum, & charitate, ſic reſpondet: Sic egredere tuâ domo, tam præſens tibi, tamque attentus ad omnia, atque ſi viſum eas magnum quemdam honoratumque hoſpitem. Sic impera populo, ſic ei indicito opera publica, ac ſi offerres magnum ſacrificium ritè peragendum: Reverenter, inquam, ſubditos tuos tracta. Denique tibi ipſi quod non vis fieri, vide ne conferas in alios; Hoc pacto ſive verſeris in regno publicus adminiſter, non erit qui te oderit, aut de te conqueratur: ſive verſeris domi, è domeſticis haud quiſquam erit apud quem vel odio vel invidiâ labores. *Chum cum* his auditis reſponder: mihi quamvis haud perſpicaci fas ſit tamen exequi hæc tua documenta.

p. 2. §. 1. Alius è diſcipulis, cui *Su ma nieu* nomen, eandem quam duo priores quæſtionem inſtituit de cordis perfectione.

§. 2. *Confucius*, ut hic medeatur ægritudini hominis, nimium loquacis, ſic reſpondet; qui innocens ac perfectus corde eſt, ſeu nativam cordis habet rectitudinem, hujus verba cum tardiloquâ moderatione linguæ proferuntur.

§. 3. Num igitur (inquit) is cujus verba cum difficili illa mo-

deratione ac tarditate proferuntur, hoc ipso mox dicetur corde perfectus ? *Confucius* respondet : Rectè agere arduum est ac difficile : loqui ergo rectè quis poterit sine tardiloquâ illâ linguæ moderatione ? quasi diceret : Ut rectè loquaris, rectè prius agas necesse est : ad hoc autem necessaria est cordis custodia : Sed hæc rursus est difficultatis pleniſſima : Loqui ergò rectè, non est tam facile, quàm tu videris existimare.

f. 13. p. 1. §. 1. Idem *Su ma nieu* percontatus est de viro probo. *Confucius* respondet : Vir probus nec tristatur, nec timet, quemadmodum tu facis, qui propter fratres rebelles ac transfugas, te conficis immodico metu ac mœrore.

§. 2. Nunc igitur, inquit, qui nec tristetur nec timeat, hoc ipso dicetur vir probus ? *Confucius* respondet : Interiora animi discutiens severo examine, nec inveniens tamen quidpiam vel erroris vel culpæ cujus eum pœniteat pudeatve, sic prorsus, ut nihil egerit rerum quod non vulgari possit inter homines, nullam volverit animo cogitationem, cujus nolit conscium esse cœlum (*Vu yo nien pu co yu tien chi*) ejusmodi vir, inquam, quorsum obsecro tristetur ? Quorsum timeat ?

p. 2. §. 1. Idem *Su ma nieu* cum mœreret nihilominus, & angeretur fratrum causâ, quos proxime jam perituros esse præsagiebat, miserum me ! inquit, hominum plerique habent fratres majores & minores natu, & ego unus (uti malè suspicor) jam nunc illos non habeo.

§. 2. *çu hia* condiscipulus mœrentem solaturus ait : Ego audivi quandoque magistrum meum, cum diceret,

§. 3. Mors & vita habent inviolabilem quandam à cœlo legem. Opes item & honores in arbitrio sunt & potestate cœli ; atque adeò neque hæc neque illa arbitrii sunt nostri.

§. 4. Quocirca verus Philosophus unius cœli arbitrio acquiescens unam rem agit, nimirum attendit sibi perficiendo, & nihil amittit negligitve quod in hunc finem usui esse possit. Cum aliis verò cujuscumque sint ætatis & ordinis, hominibus, observantiam benevolentiamque exerceat. Verumtamen sic ut suis temperata sint ritibus officiisque omnia. Porrò qui de se deque aliis sic mereatur ; ei quotquot existunt homines quatuor maria intra, id est, in orbe universo, omnes sunt majores natu fratres vel minores ex uno quasi sinu ejusdem matris effusi. Philosophus ergò quorsum angatur animo propterea quod nullos habeat fratres ?

f. 14. p. 1. §. 1. *çu cham* Magister consulit de perspicacitate, quisnam illâ præditus esse censendus sit. *Confucius* respondet : Instar aquæ tacitè leniterque fluentis instillatas, seu quasi per cuniculos suos insidiosè subrepentes obtrectationes de corporaliter susceptis injuriis,

accusationes, non audire, nec illico credere. Hæc censeri potest & vocari perspicacitas, nec amplius requiritur. Iterùm dico: Subdolis illis ac virus suum blandè instillantibus obtrectationibus, ad commiserationem item denique movendam artificiosè compositis de manifestè accepto quodam damno accusationibus, nonnisi admodùm lentè, considerateque aures ac fidem præbens, verè potest dici res quamvis abditas ac remotas habere tamen perspectas inusitatâ vixque scrutabili quadam perspicacia. Nec aliud hîc opus est.

Colaus ubi locum hunc copiosâ paraphrasi declaravit, concludit denique documentum istud viro Principi vel maximè debere esse cordi. Cum is enim suis unius oculis auribusque attingere debeat ditionis suæ quamvis amplissimæ res omnes, Si fortè vel aures habeat nimis faciles patulasque vel oculos parùm perspicaces; periculum fore, ne malevolorum & invicem invidentium mendaciis calumniisque, velut aquis occultis, & insidiatricibus oppleantur & hebescant sensus supremi capitis, brevique torrens ac illuvies insperata calamitatum totius Regni corpus obruat ac pessumdet.

§. 2. *çu-cum* Magistrum consulit de rectâ ratione gubernandi. *Confucius* respondet: Sit affatim annonæ tuis subditis. Sit affatim militum, rerumque necessariarum ad usus bellicos, in populo denique vigeat fides quæ respondeat fidei beneficentiæque ipsiusmet Principis.

p. 2 §. 1. Ad hæc *çu cum* probè quidem rem intellexi, inquit; sed nova mihi dubitatio suboritur. Quid si omnino non possit aliter fieri quin dimitteretur hîc unum ex hisce tribus ecquod primo loco dimitteres? *Confucius* respondit: Dimitterem milites. Armabit scilicet inermem turbam, sua cujusque fides erga Principem, mutuusque amor & concordia præstabit invictos.

§. 2. *çu-cum* denuò quærit: Quid si omnino non posset aliter fieri quin hîc quoque demeretur aliquid; ex his duobus, victu scilicet ac fide, utrum prius patereris tolli? *Confucius* respondet: Tolli paterer seu dimitterem victum. Quippe ab omni ævo omnes omnino sumus mortales. Malebat igitur *Confucius* subditos cum fide mori quàm hujus expertes, à suâ hominum conditione discedere. Certè ubi populus expers est mutuæ fidei, adeò non erigitur, aut coalescit in Rempublicam, ut contrà eum interire necesse sit.

f. 15. p. 1. §. 1. Regni *Guei* Præfectus *Kie çu chim*, *Confucii* discipulum *çu-cum* alloquens; cerimoniarum, inquit, nullus est finis. At certè sapiens nativam & ingenuam simplicitatem & sinceritatem habeat, & hæc sufficiat. Quid illa tam operosa, rituum morumque elegantia ad rem facit?

§. 2. Ad hæc *çu-cum*, ô quam, inquit, deplorandus est tuus ille sermo judiciumque de viro sapiente! Sermo quidem talis, ubi semel

ſemel temerè prolapſus eſt ab ore, etiam trahentibus quatuor equis, non tamen redibit ad linguam, ſeu jam eſt irrevocabilis.

§. 3. Certè exterior illa gravitas & compoſitio neceſſariò comitatur nativæ ſimplicitatis ſynceritatem, & hæc viciſſim comitatur illam: Alioquin quod erit diſcrimen Principis à ſubdito, ſapientis à ſtulto; uti tigridis & pantheræ pellis ſuis pilis nudata prorſus eſt ſicut canina aut ovina pellis item nudata ſuis pilis. Pili enim quamvis videantur eſſe ſuperfluum quid & contemptibile; reverà tamen pellium diſcrimen hîc faciunt.

§. 4. *Ngai-cum* duodecimus Regni *Lu* Regulus quæſivit à *Confucii* diſcipulo *Yeu-jo* dicens: Anni ſteriles ſunt & quibus fame laboratur, ad uſus autem meos, non ſuppetunt ſumptus neceſſarii: quid remedii?

§. 5. *Yeu jo* tacitè arguens Principis exactiones reſpondit: Cur non exigis decimas, ſeu unum de decem à tuis ſubditis? Nam hæc familiæ quidem nunc imperantis eſt regula.

p. 2. §. 1. Reſpondet Princeps: Duo de decem mihi adhuc non ſufficiunt; quorſum igitur iſtæ, quas inculcas, decimæ?

§. 2. Reſpondit iterum *Yeu jo*: quando ſubditis res abundat; Principi cuinam pariter non abundet? quando verò ſubditis non abundat; Principi cuinam tunc abundet?

§. 3. *çu-cham* conſulit Magiſtrum quomodo quis in dies accumulet virtutem virtute, & diſcernat perturbationes animi? *Confucius* reſpondet: Statuere fundamentum in ſynceritate ac fidelitate ipſiuſmet animi, & in verbis actionibuſque omnibus veracem eſſe, ſine fuco & ſimulatione; in rebus omnibus ſemper convertere ſe ad id quod rationi maximè eſt conſentaneum, hoc eſt accumulare virtutes.

f. 16. p. 1. §. 1. Jam verò ut oſtendat animi perturbationem, nihil ferè eſſe aliud, quàm, velle aliis ea, quæ non ſunt arbitrii ſui vel poteſtatis, vel quæ ſunt inter ſe pugnantia, ſic ait: Amando quempiam, optare eum vivere; odio habendo quempiam, optare eum mori: Imò etiam optatâ modò ipſius vitâ, mox rurſus optare eundem mori, cum jus vitæ neciſque ſit penes cœlum (idemque eſt de motibus aliis varii & inconſtantis animi) hoc ipſum eſt obnubilato perturbatoque eſſe animo.

§. 2. Regni *çi* Regulus *Kim cum* percontatus eſt modum feliciter gubernandi à *Confucio*.

§. 3. *Confucius* perbrevi ſed perappoſito reſponſo multa complectens, ſic reſpondit: Rex ſit Rex; ſubditus ſit ſubditus, pater ſit pater, filius ſit filius.

p. 2. §. 1. Applaudens Regulus, ô, inquit, quàm laudo & approbo! verè ſic res habet: Etenim ſi Rex non ſit Rex niſi ſolo nomine: Subditus ſimiliter ſi non ſit ſubditus; pater non ſit pa-

Digitized by Google

ter ; filius non sit filius ; quia nimirum non agant quæ sint sui muneris & conditionis ; jam lex omnis & ordo rerum ; quin & usus ipse rerum pereat necesse est. Quamvis itaque sit mihi ex. gr. census amplissimus & annonæ vis maxima, ego num potero tunc illa frui ? quasi dicat : Improborum licentia, summaque perturbatio rerum omnium ne me quidem, qui tamen sum Dominus frui sinet. Præsaga vox fuit : nam non diu post proditorum insidiis miserabiliter Regulus occidit.

§. 2. *Confucius* discipulum *çu-lu* collaudans apud suos, ait : qui dimidio, ut sic loquar, verbo possit decidere lites, is nonne est discipulus meus *Teu* ?

§. 3. Ad laudem hanc addentes aliam condiscipuli, narrabant, quod idem *çu-lu* ne per spatium quidem noctis unius relinquebat promissa & datam fidem, quin accuratè præstaret.

f. 17. p. 1. §. 1. Hâc etiam occasione commemorant discipuli id quod sæpenumerò *Confucius* dicebat : in audiendis litigantibus ego sum sicut alii passim homines ; sed oporteret imprimis hoc efficere ut non essent litigantes, aut lites.

§. 2. *çu cham* Consulit Magistrum de modo gubernandi. *Confucius* respondet : Ante omnia meditare quæ tui sint officii, idque, meditare constanter & sine inertiâ. Deinde tracta negotia publica & aliis consule eâdem cum veritate & fide, quâ tibi ipsi, profectuique tuo consuluisti.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait : Vir probus ac sapiens perficit verbo & opere aliorum hominum virtutes ac laudes, juvando scilicet imbecilles, timidos ac jacentes erigendo, subdendo calcaria currentibus ; nequaquam verò tuetur aut confirmat perditorum hominum licentiam & improbitatem ; stulti verò improbique viam tenent planè contrariam huic viæ. Videat ergò vir Princeps (inquit Colaus) sibi ministros adsciscat : Talesne, quos veluti patronos ac duces ultrò sectetur omnis colluvies sceleratorum, an tales, quibuscum virtus omnis & innocentia conjungi gaudeat.

§. 2. Regni *Lu* Præfectus *Ki cam çu* percontatus est modum rectè gubernandi à *Confucio*. *Confucius* ut ad officium frugemque revocet, respondet : Regere, dirigere est, seu, rectificare : Tu ergò si præeas exemplo ad id omne quod rectum est ac honestum : ecquis tuorum audebit non esse rectus ?

§. 3. Idem *Ki cam çu* cum angeretur animo propter latrones, consulebat *Confucium*. *Confucius* respondit : Si quidem tu ipse non sis cupidus, quamvis ultrò provoces, & præmiis allectes subditos tuos ad latrocinandum, non tamen latrocinabuntur. Latrocinii quippe magistra, cupiditas est : Hujus autem cupiditatis incentrix & magistra altera, cupiditas avaritiaque magistratuum : quos si incor-

Digitized by Google

ruptos viderint ſubditi; vel ſolo pudore prohibiti à furtis abſtinebunt.

f. 18. p. 1. §. 1. Idem rurſus *Ki cam çu* exquirens modum rectè gubernandi à *Confucio*, ſic ait: Ego ſi interficiam paſſim improbos & exleges, ut ita commodiùs accerſam promoveamque probos & obſervatores legum; quid videtur? *Confucius* reſpondit: Tu ſi quidem gubernas, ut par eſt; quorſum utare ſuppliciis tam crebrò: Tu expete tantummodò quæ recta ſunt & honeſta, conſterque hoc omnibus; & ſtatim populus exemplo tuo probus evadet. Gubernatoris virtus quotieſcumque rebus factiſque palàm ſe facit, ventus eſt, ſeu venti inſtar: Subditorum verò, infimæque plebis virtus, herba eſt: Herbis ſi ſuperveniat ventus; proculdubio hæ ſeſe ſubmittent, & obſecundabunt vento quocunque faciles impelli.

§. 2. Diſcipulus *çu cham*, qui magis laborabat, ut audiret, quam ut eſſet bonus ac ſapiens, inſtituit quæſtionem hujuſmodi. Literatus quiſpiam gubernator quomodo hic poterit dici vir clarus & illuſtris.

§. 3. *Confucius*, ut ulcus detegat, quærit ipſe viciſſim: Quidnam, id eſt, quod tu vocas clarum & illuſtrem eſſe?

§. 4. *çu cham* reſpondet: Aliud nihil eſt, quàm ſi quis verſetur in regno quopiam adminiſtrator omnino audire benè & ſermonibus omnium celebrari. Eundem, ſi verſetur domi ſuæ, procul dubio audire benè & celebrari.

§. 5. *Confucius* ad hæc ait: Quod ipſe dicis hoc quidem eſt audire benè & illuſtrem dici, at non eſt, clarum eſſe & illuſtrem. Diverſa namque ſunt dici & eſſe.

p. 2. §. 1. Ego itaque ſic ſentio, quòd is qui clarus & illuſtris eſt, de re nullâ minùs laborat, quam ut vulgò talis habeatur. Solidus, ſyncerus & rectus eſt: Et gaudet officio & æquitate; prudenter expendit ſermones tum ſuos tum alienos; quin etiam diligenter obſervat os ipſum oculoſque, priuſquam certi quid de quopiam ſtatuat. Poſt hæc autem aſſiduè meditatur, quo maximè modo cedat ac ſubmittat ſeſe aliis. Hujuſmodi ſanè vir ſive verſetur in Regno Principis adminiſter, procul dubio perilluſtris erit: ſive verſetur domi ſuæ pater familias, procul dubio perilluſtris erit.

§. 2. Jam verò qui benè audiunt, & populari tantùm famâ, clari ſunt; hi modeſtiâ quâdam & gravitate exteriori, ſtudiosè captant virtutem, virtutis inquam nomen ac famam; cùm interim rebus ipſis factiſque virtuti adverſentur. Iidem rurſus, tam placidè tamque fidenter perſiſtunt in virtute, umbrâ inquam illâ ſimulatæ virtutis, ut jam non ſit ulla dubitatio, quin talis revera ſit, qualem ſe men-

tur esse. Adeoque sive is versetur in Regno, haud dubiè celebratur à Principe, sive versetur domi, haud dubiè quoque celebratur ab suis. At profecto celebritatem hujusmodi execratur quisquis est probus ac sapiens.

f. 19. p. 1. §. 1. *Fan chi* discipulus dum sequitur *Confucium* deambulantem in luci *vu yu* dicti inferiori parte, sic ait: ausim ego exquirere abs te, Magister, ac discere tria imprimis necessaria cuivis homini, qui velit benè beateque vivere Primum est, accessionibus quotidianis accumulare virtutes. Alterum est emendare vitia & errores. Tertium denique, solerter discernere & penitùs habere perspectas animorum nebulas ac perturbationes, ut eas in ipso statim ortu dispellam.

§. 2. Confucius exclamans ait: O laude dignam quæstionem!

§. 3. Et illico respondens; Satagere potissimùm, inquit, circa studium ipsum virtutum accumulandarum & non magni facere seu in aliquo habere numero id quod jam nunc est accumulatum virtutis ac meriti, quodque olim speratur præmii & utilitatis: Hoc nonne est accumulare virtutes? Quasi dicat, inquit Interpres, quisquis in studio stadioque virtutis hoc assiduè reputat apud animum suum, longam esse arduamque virtutis viam; eâque impulsus cogitatione tam strenuè progreditur, ac si nihil dum viæ confecisset: quin & reipsa de partis jam opibus & viæ spatio, quod à tergo relictum est, nunquam cogitat prudens; sed illa quasi negligit; ac postremo habet loco, ne scilicet hujusmodi cogitatio suffuretur ipsi quodammodo partas opes, dum currentem ad otium & quietem pellicit: quisquis inquam, ejusmodi prudentiâ solertiâque fuerit; fierine potest, ut non proficiat in dies, & per incrementa ipsummet fallentia ingentes coacervet virtutis ac sapientiæ thesauros? Rursus, ait *Confucius*, indicere bellum sibi, oppugnare diu noctuque, suaipsius vitia & errata; nequaquam verò temerè & otiosè in mores inquirere aliorum, nec reprehendere & oppugnare aliorum vitia & errata, suorumipsius immemorem: Hoc nonne est reverà secum habitantem mederi sibi, & emendare vitia & errores? Ad extremum, perbrevis vel unius matutini temporis iracundia non mox coërcita, sæpe pessumdat suam ipsius personam, sic ut pertingat ad ipsius parentes quoque & consanguineos, totamque familiam. Atqui hæc nonne est cœci perturbatique animi affectio?

p. 2. §. 1. Idem *Fan chi* percontatus est de *Gin* virtute, seu verius de pietate. *Confucius* respondit: Diligere homines sic ut amplo quodam charitatis sinu omnes complectaris & foveas. Similiter percontatus est de prudentia. *Confucius* respondet: Nosse homines.

§. 2. Bonus *Fan chi* nondum percipit Magistri responsum. Etenim si amandi sunt omnes, cur opus est eos nosse, ut probi ab improbis

improbis, amore digni ab indignis discernantur.

§. 3. Dubitanti discipulo *Confucius* sic ait : Quisquis evehit admovetque gerendæ Reipublicæ rectos ac probos, negligit autem omnes perversos & improbos, is poterit efficere ut improbi quoque evadant recti ac probi.

§. 4. *Fan chi* necdum probè percepta Magistri sui ratiocinatione tam laconicâ, recessit : Nec multò pòst visens condiscipulum suum *çu hia*; scire te volo, inquit, quod nuper ego adfui coram Magistro nostro & consului ipsum de prudentiâ. Magister autem respondit : Evehe probos, neglige omnes improbos, sic poteris efficere ut improbi evadant probi : Quid hoc, obsecro significat?

f. 20. p. 1. §. 1. *çu hia*, re protinùs intellectâ, exclamans ait : O uberem & locupletem sententiam Magistri nostri ! Hoc tibi ego duorum Imperatorum exemplo declarabo.

§. 2. *Xun* olim cùm obtineret Imperium, maturâ usus deliberatione tandem selegit sibi unum ex omnibus & evexit ad munus supremi adjutoris sui, sapientem scilicet *cao yao* : quâ re vulgatâ per Imperium, improbus quisque seu expers virtutis *tam* procul fuit semotus, ut evanuisse crederes improbitatem. Similiter *Tam* Imperator, postquam obtinuit Imperium, selegit ex omnibus & promovit ad supremam dignitatem, sapientem *y yn*, & ecce improbus quisque vel ad frugem rediit, vel tam procul abscessit, ac si vivere desiisset.

Cao yao *oriundus fuisse creditur ex stirpe* Chuen hio *tertii Imperatoris Monarchiæ Sinicæ. Hujus deinde posteri donati dynastiâ* Leâo *eandem per decem ferè sæcula administrarunt donec à Regulo* çu *fuit extincta. Extant illustria tanti viri documenta de modo rectè gubernandi, in libro 2.* Xu kim *qui inscribitur* Cao yao meu, *id est*, Cao yao *consultationes. Scriptæ sunt per modum dialogi ipsum inter & Imperatorem, opus vel propter unam antiquitatem (quippe bis mille & amplius annorum ante Christum) prælis dignum Europæis. Inter cætera quod attinet ad rectam populi administrationem docet quo pacto is, qui in terris imperat, fingere & accommodare se debeat ad subditorum suorum desideria & vota, & talis esse, qualem subditorum merita vel demerita esse postulant, proposito sibi supremi Cæli exemplo & normâ; tametsi hoc enim, seu potiùs hujus Imperator nihil non audiat atque intelligat (uti litteraliter explicat* Cham *Colaus) utpote à quo omnis mens, & ratio, & consilium nobis indita sunt; singulis item, quod æquum est, pro suis cujusque meritis rependat; hos ipsos tamen Providentiæ suæ effectus sic exerit, ut à communibus mortalium votis atque promeritis regimen suum ordiatur quodammodo, seseque ita attemperet ut vox & mens populi sit vox & mens ipsius cæli seu cæli Domini. Quo fit, ut quod communi naturæ ad bonum instinctu universus populus audit, videt, ac percipit; quod item amat &*

Digitized by Google

odit: cælum itidem hoc ipsum audiat, videat, percipiat, amet, & oderit: Sive ut (alio loco dicitur) cælum videat ex populi oculis, audiat ex populi auribus, adeoque à populo ipso præviè moveatur, & quodammodò determinetur, ut debita cujusque meritis præmia, vel supplicia decernat. Et hinc etiam non semel hoc libro Xu kim *dicitur* Xam ti pu cham *hoc est cæli supremus Imperator non determinat, sed si improbos viderit castigat, si probos beat, unde, uti alibi, quod cælum immittat calamitates aut felicitates, pendet à virtute. Et quidem quas cælum infert calamitates potest quis adhuc effugere, at quas per sua scelera sibi quis fabricat non potest aquè facilè evadere, nisi videlicet sese emendet. Quod si populus non obsequatur virtuti nec subjiciat se scelerum correctioni, cælum utique per sinistra portenta eum reverà monet movetque ut ad rectitudinem suam virtutemque revocetur.*

Alter sapientum Y yn *genus ducebat ab illustri Colao* Kie mo, *qui octingentis circiter ante hunc nepotem suum annis à consiliis fuerat primo Monarchiæ Imperatori* Hoam ti *nuncupato*: Y yn *ergò cùm turbatissima nactus esset tempora, latitabat prudens, & Agriculturæ operam dabat; quando eum Regulus* Tam *quinies invitatum frustra, tandem non sine amicâ vi assistere sibi coëgit & esse à consiliis. Nec multo post misit ad impium* Kie *primæ familiæ Imperatorem ultimum, non sine spe hominis ad sanam mentem revocandi: apud quem tamen cùm nihil is profecisset; re desperatâ, ad* Tam *Regulum est reversus, qui deinde evectus ad Imperium, primam à suâ dignitatem contulit sapienti, plurimùm usus ejusdem opera & consilio ad familiæ suæ* Xam *dictæ fundationem. Author idem fuit aurifodinas aperiendi, sublevando scilicet populo, quem sterilitas & fames per annos omnino septem quibus ipsis fortè & in Ægypto & (uti sacræ testantur paginæ) orbe universo tunc laboratum est, vehementer afflixerat. Imperatore* Tam *mortuo, cùm fortè* Tai kia *adolescens, qui avo suo nepos successerat, à curis negotiisque publicis abhorrens, desidiæ sese & oblectamentis juvenilibus cæpisset dedere; Colaus* Y yn *tantum mali oppressurus in semine, adolescentem in horto sepulchri patrii, ceu custodiâ domesticâ detentam, triennio toto (quod erat tempus paterno luctui destinatum) severâ ad modùm disciplina sic instituit, excoluitque pro eâ, quâ valebat, vicariâ potestate, ut inde prodiens, jam alius esset ab se, vinceretque ætatem suam prudentia & maturitate; & avitæ laudis æmulus imperium deinde per annos triginta sapienter admodùm gubernârit.*

Obiit Colaus Y yn *centenario major, anno 8.* Vo tim *Imperatoris, qui tertius fuit istius familiæ. Parentavit hic ei ritu Regio; & merito sanè, ut qui per annos tres administrarat olim Imperium tanto majori cum fide, quod vicaria cum potestate. Sepultus est media ferè leucâ à sepulchro conditoris in Provincia* Ho nan. *Successit ei filius* Y pu, *qui &* hu tim, *& quatuor succedentium deinceps Principum Colaus fuit.*

Digitized by Google

Extant cedro digna viri præcepta ac monita in eodem libro Xu kim *& primum quidem inſcribitur* Y hiun, *id eſt, documenta ipſius* Y yn *quibus ſcilicet adoleſcentem necdum depravatum, ceu antidotis quibuſdam vel armis præmunit. Secundum conſtat ſeveriori quâdam oratione, quâ eundem, cum mutari jam cæpiſſet, paternâ cum authoritate caſtigat. Tertium ſcribitur jam reſipiſcenti; quo etiam tempore, finito jam luctu triennali, menſis duodecimi die primo idem Colaus ei purpuram detulit ac diadema; lætumque è cuſtodiâ ſepulchrali ad aulam & avitum ſolium reduxit. Quarto denique capite hortatur ad tuendum parta, & cæptum virtutis iter animosè proſequendum, Denique eſt & alterum caput, quod* Ye te *inſcribitur, acris ad unam potiſſimum virtutem, velut unicum regiminis fundamentum cohortatio. Fit interim crebra mentio in his omnibus providentiæ cæleſtis, cui par ſit morem gerere; & ſupremi cælorum Imperatoris qui etiam nomine ipſius cæli frequenter venit, more Sinis uſitatiſſimo. Quoniam vero hæc adeo antiqua ſunt monumenta; gauderent, opinor, Europæi videre illa prælis ſuis excuſa; atque hoc imprimis inde diſcere, naturæ legem ne extremis quidem terrarum finibus, cum veri Numinis notitia, defuiſſe. Viderent etiam non ſine admiratione, quæ artes, & quæ præcepta regendi Imperii in una religione & virtute fundatâ, jam tum, annis, inquam, ante Chriſtum 1750. in Sinâ viguerint*

Juvat hic ex multis delibare unum alterumve monitum ad frugem redeunti jam Principi à fideli ſuo Y yn *adminiſtro datum, prout Interpres noſter ethnicus cum aliis illud exponit.*

Regia perſona, inquit, ſupra quidem habet auguſtum cælum à quo reſpicitur, infra habet populum à quo item reſpicitur, ante & retro, à dextris & ſiniſtris aſſiſtunt ſpiritus. Res ſanè maximè pertimeſcenda. Cælum tametſi Regem uti filium habeat tamen an ſemper favebit, an aliquando adverſabitur adimetque Imperium, nondum quidem determinavit, adeoque hîc non ducitur affectu aut propenſione determinata. At vero ſi quidem Princeps noverit reverenter ſe gerere & obſequi cælo, ſi ſibi attendere, ſi in omni motu, actione, ſermone, cogitatione ita ſemper ſe gerat, ac ſi cælum Regem intneatur ipſique præſens aſſiſtat, adeoque ne unicam quidem cogitationem pravam admittere audeat, tum certè hujuſmodi mens reverens & cogitatio penetrat ipſum cælum, moxque cælum amanter juvat, protegit, dilatatque à ſe delegatum Imperium. Populus item tametſi mentem & oculos in Regem ſuum ſemper habeat intentos, ſpeſque omnes ſuas in eo collocatas, non tamen populi indoli uſquequaque fidendum cum modo in bonam modo in ſiniſtram partem flecti queat, adeoque ejuſdem ſubjectio debita, non ſit quid ſtabile & immutabile: Verum ſi Princeps pietate foveat & protegat populum, ſi filiorum inſtar amet nec patiatur vel unum vilem homuncionem & mulierculam qui non gaudeat regiâ beneficentiâ; tum ſanè tam amplæ pietatis cor diffundetur in populum qui adeò venerabitur, redamabit, ſeſeque ultro ſubmittere gaudebit tam pio &

Digitized by Google

benigno Principi. Quæ cum ita ſint, ſi quidem Rex in dignitate à cælo datâ conſtitutus vel unam cogitationem non rectam admittat, jam cælum Regem faſtidiet & averſabitur; ſi vel unica res amiſerit debitum ordinem, jam populus hoc ipſo alienabitur: à cælo igitur collata dignitas quam periculoſa eſt ac formidabilis! quamvis cum timore & tremore & cura aſſidua indies virtutem accumules, non eſt tamen quod tibi promittas felicis exitûs ſecuritatem.

Sola itaque virtus ſita in veneratione, pietate, veracitate & fide firmat regna & regimen: hanc ſi negligas, jam cæli indignationem, populi diſſenſionem, ſpirituum averſionem hoc ipſo provocaueris.

Denique alio capite præmuniens Principem contra præſumptionem ſuſpirans ait: *Quod 9. Imperii Provinciis domineris, reverà non eſt niſi à ſupremi cæli mandato. Sed auguſto cælo, quod affectu non ducatur, difficulter credi poteſt aut confidi. Hujus ordinatio an ſtabilis an diuturna, an varianda an brevior ſit futura, omnino incertum. Poteſt totius Imperii revolutio contingere, poſſunt initia eſſe florentiſſima, at deinde exitus miſerandi: duntaxat igitur cælum attendit ad Principis virtutem cujuſmodi ſit. Reuera ſi is domitis pravis affectibus conſtanter uni inſiſtat virtuti ſic ut nullo motu pravo ab ea ne ad momentum deflectat, hoc ipſo ſtabilis & favens conſtabit cæli erga ſe favor & voluntas: ſi virtus deficiat privatis affectibus & illicitis deſideriis animum ab ea diſtrahentibus, aut ſi ſibi vim quidem inferat ſed ad breve tempus vix perſeverans, tum cæli voluntas conſequenter eum à ſe repellet. Et quamvis cæli decretum ſeu voluntas incerta ſit & nobis cognita, tamen hæc cæli cum homine reciproca relatio omnino non errat aut fallitur. : quare ſi vis, ô Princeps, conſervatum diu Imperium, uni conſtanter vaca virtuti & ſufficit.* Confirmat hæc deinde exemplis poſtremi Imperatoris *Kie* quem ob impietatem cœlum à ſe repudiaverat, & aſſumpti in Imperium avi *Chimtam*: de quo ſic ait: *Ne exiſtimes, ô Princeps! ex privato quodam affectu à cælo delatum Imperium, aut populi opem aut patrocinium ad eam rem Rege poſtulatum una: ſcilicet avi tui virtus fuit & pietas quæ commovit ſupremi (cæli) Imperatoris cor & voluntatem, totiuſque populi ſola ejus virtute attracti propenſiſſima ſtudia.*

p. 2. §. 1. *çu cum* Magiſtrum conſulit de amicitiâ, *Confucius* reſpondit: Magnâ cum fide & benevolentiâ commoneto peccantem & comiter affabiliterque dirigito in viam, à quâ is aberravit: Quod ſi nihil efficere hîc potes; tum quidem tu deſiſte prudens ne alioquin importunitate tuâ ipſe tibi ſis dedecori.

§. 2. *çem çu Confucii* diſcipulus, aiebat: Sapientes per litterarum artiumque liberalium ſtudia & exercitationes, ſitas potiſſimum in exemplis ac inſtitutis, monimentiſque Priſcorum ſapientum, ſibi conciliant & aſſociant amicos; per ipſos verò amicos mutuò ſeſe adjuvant ad omnem virtutem & perfectionem animi. Idcircò ſcilicet ſa-

Digitized by Google

cet ſapiens ſic his & illis dat operam, ut non tam ſectetur illas, quam per illas ſectetur virtutem.

LIBRI TERTII

PARS SEPTIMA

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

ÇU LU diſcipulus exquirit à Magiſtro ſuo modum gubernandi. *Confucius* reſpondit: Exemplis optimis virtutum fac præeas & præluceas ſubditis tuis; deinde per te ipſe fac cures rem populi, ultroque venias in partem laborum publici.

§. 2. Diſcipulus Magiſtrum rogavit ut plura ſuggereret. *Confucius* mederi volens morbo diſcipuli, ſic reſpondit: Non habeo quod addam; ſerventur iſta duo, ſed conſtanter, abſit pigritia, tædium, laſſitudo.

§. 3. Alius è diſcipulis *Chum cum* nomine, cùm eſſet ſub *Ki xi* majori præfecto, minoris & ipſe ditionis Præfectus; exquiſivit item modum gubernandi. *Confucius* reſpondit: Primùm fac habeas minores præfectos, quorum operâ miniſterioque res perficias. Diſſimula prudens & condona minora peccata. Evehe ad honores publicos, & admove gerendæ Reipublicæ viros ſpectatæ virtutis ac ſapientiæ: Sic enim tibi tuiſque præclarè conſules.

p. 2. §. 1. At enim, inquit, idem *Chum cum*, quomodo perſpectas habebo ſapientum hujuſcemodi dotes, ut eos deinde evehem. Reſpondit *Confucius*: Primùm fac evehas ipſe quos perſpectos habueris, & unicum duntaxat, ſi tantùm unicum noveris. Ipſe verò quos non habueris perſpectos, num alii quoque ignorabunt illos, adeoque præteribunt ac negligent?

§. 2. *Lim cum* Regulo Regni *Lù* mortuo ſuffectus erat *Che* Princeps, avo nepos; patre interim profugo contra fas & æquum neglecto: Quin & armis deinde, cùm reditum pararet, prohibito. Inter hæc *Confucius* è Regno *çu* fortè rediit ad Regnum *Guei*, ubi per id tempus Magiſtratum gerebat diſcipulus *çu lu*; qui Magiſtrum alloquens ſic ait: Regni *Guei* Princeps jamdudum tenetur deſiderio tui, & cupidè expectat excepturus Magiſtrum ut fungâre Magiſtratu. Hoc ergo ſi contigerit, aveo ſcire, ecquidnam tu Magiſter facturus ſis primo loco?

Digitized by Google

§. 3. *Confucius* respondit : Neutiquam violari debet lex & ordo, quo natura filium patri subjecit & adstrinxit. Jam Princeps tuus *Che*, quandoquidem neglecto patre patrioque jure, eum qui suus avus est, patrem vocet, quo scilicet speciosiori nomine possideat necdum sibi debitam ditionem : Ego ante omnia tam fœdæ perturbationi recti ordinis, læsæque pietati mederi conarer; adeoque omnino reformarem nomen ipsius.

f. 2. p. 1. §. 1. *çu lu* verba Magistri non satis maturè expendens, quasi illa hîc & nunc minùs ad rem facerent, parùm considerate, estne, inquit, hoc ita, ut ais ? Tu Magister, ut mihi quidem videris, abes hic longè à vero. Quorsum ista, quæso, tam supervacanea nominis reformatio, quando sunt alia longè majoris momenti quæ hoc statu rerum ac temporum potiùs videntur tractanda ?

§. 2. *Confucius* tam præcipiti responso suboffensus, vah ! inquit, quàm rudis & agrestis es, mi *yeu* ! vir sapiens in iis quæ necdum probè percepit, certè hæsitantis instar est ac subdubitantis ; nec temerè quod in mentem venit, effutit illicò.

§. 3. Audi nunc igitur quid paucis verbis significare voluerim : Si nomen ipsum Principis non sit rectum, nec ejusmodi, quod ei jure competat ; adeoque si in ipsâ quasi fronte hominis resplendeat mendacium ; tum profectò sermones ac mandata haudquaquam secundis auribus animisque excipientur. Quod si sermo Principis non excipiatur secundis auribus & animis ; tum procul dubio publicæ res & negotia nequaquam perficientur.

§. 4. Quando autem res hærent & non perficiuntur ; tum vinculum illud societatis humanæ, officiorum scilicet ordo, mutuaque omnium concordia, haud vigebunt. Ordine illo & concordiâ non vigentibus ; tum pœnæ ac supplicia non attingent scopum à legibus constitutum ; Suppliciis hoc modo à legum scopo aberrantibus, tum populus infelix, incertus quid prosequatur aut fugiat, planè non habet, ubi tuto collocet pedes manusque. Porrò tot ac tantorum malorum caput & radix, est neglecta filii pietas, fallo illo & jure & nomine personata.

§. 5. Idcirco vir Princeps quod attinet ad nomen ipsius & compellationem procul dubio debet esse ejusmodi quod possit sine rubore ejusdem vel offendiculo subditorum proferri ; sic ut vocetur filius, si filius est ; nepos si nepos. Jam ubi sic proferetur nomen, feliciter procul dubio & sine repugnantiâ subditorum poterunt res & negotia totius Regni procedere. Quocirca vir Princeps in suis verbis nihil habeat vel admittat, quod inane sit vel temerarium ; & hoc quidem sufficiat, ut intelligas ipse, quanti momenti sit ea, quam initio exigebam, nominis commutatio.

p. 2. § 1. Discipulus *Fan chi*, pertæsus, opinor, corruptos mores

Digitized by Google

ætatis ſuæ, rogavit doceri Agriculturam. *Confucius* reſpondit: Ego non ſum inſtar veterani agricolæ peritus artis ruſticæ: peritos conſulito. Rurſus itaque rogavit doceri rem hortenſem. *Confucius* reſpondit: Ego non ſum inſtar ſenioris hortulani; tu adi, & conſule quorum id munus eſt.

§. 2. *Fan chi* ſpe ſuâ fruſtratus egrediebatur; egredientem *Confucius* ſic arguens, ut ſimul tamen hortaretur ad ſuſceptum virtutis ſapientiæque ſtudium ſtrenuè proſequendum; ô te, inquit, plebeium & humilis animi virum! mi *Fan ſiu*!

§. 3. Qui ſuperiorem in Republicâ locum obtinent, ſi quidem gaudeant exteriori ſimul & interiori compoſitione; tum quidem ſubditorum nullus erit, qui audeat non eos colere ac vereri. Rurſus iidem ſuperiores ſi gaudeant æquitate & juſtitiâ; tum ſubditorum nullus erit, qui audeat eiſdem non omnibus in rebus morem gerere. Denique ſuperiores ſi gaudeant fide, verbis factiſque præſtitâ, tum ſubditorum nullus erit, qui audeat non exerere viciſſim ſynceram promptamque voluntatem. Hæc autem ſi ita ſe habuerint; tum quatuor regionum, id eſt, orbis univerſi, populi, faſciis involutos geſtabunt humeris infantulos ſuos, & ultrò properantes turmatim adventabunt; adeoque nec agris cultores deerunt, nec cultoribus alimenta. Quorſum igitur applices animum agriculturæ, qui tuum, aliorumque animum potes excolere; & ſic vel maximè conſulere ipſi etiam agriculturæ?

Ne quis fortè exiſtimaret à Philoſopho Sinico contemni agriculturam, quam nemo Philoſophorum etiam Sinenſium non magni fecit; conatur hîc Colaus Interpres noſter Confucii *reſponſum ſic exponere, ut etiam conciliare non dubitet cum exhortatione illâ, quâ olim* Cheu cum *Princeps agriculturam Imperatori* Chim vam, *cujus erat patruus ac tutor, ſtudioſè commendaret, uti refertur in* Xu kim *libro 8. ſub titulo* Vu ye, *hoc eſt*, non vacandum otio: *Imprimis autem docet, quanti Reges facere debeant, & quam ſollicitè tueri ac fovere agriculturam tanquam baſim Imperii, & tanquam elementum quoddam populi, quo is haud ſecùs ac piſcis aquâ ſuâ conſervetur. Affert in hunc finem exempla priſcorum Regum* Xun, yu, *nempe* Vu vam, *patris, fratriſque ſui; qui cum Philoſophiæ ſtudio, ſtudium agriculturæ quondam conjunxerant. Quid? quod etiam ab Imperiali dignitate non alienum id eſſe Reges cenſuerunt, qui manus Regias ſtivæ admoventes partem agri quotannis per ſe ipſi arabant, ex quo deinde liba & vinum in ſacrificia, cœlorum Imperatori offerenda petebantur, uti* Mencius *teſtatur citatus libros officiorum. Quamquam alia quoque tam rari exempli fuit cauſa, ut ſcilicet uſu ipſo diſcerent Principes duros colonorum ſuorum miſerari labores: Quorum memoriam ut identidem refricaret Imperatorum unus; aratrum quoque juſſerat in Palatio ſuſpendi. Illam quoque præter has affert cauſam exercitandæ ab Regibus agri-*

culturæ memoratus Cheu cum, *ut modeſtiæ imprimis ac ſubmiſſionis nobiliſſimum fructum ex illâ peterent : nec deliciis ſeſe otiove dederent, ac luxui, quæ Reipublicæ ſolent eſſe perniciosa.*

f. 3. p. 1. *Confucius* ait : Operoſo labore ac ſtudio perdidicerit quiſpiam Odarum ter centum capita : Collatum fuerit eidem Reipublicæ gubernandæ munus, nec is tamen res muneris ſui perſpectas habeat, ſic ut ſi legatus eat ad quatuor partes Imperii, non poſſit marte ſuo & ex tempore apta dare reſponſa ad quæſita Regulorum, ad quos mittitur ; huic homini quamvis multa multo ſtudio comparata, eccui tandem uſui erunt ? Inutilis lucubratio eſt, quam rebus nequeas factiſque proferre.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait : Ipſa perſona gubernantis alios ſi recta ſit, & ad omnem virtutem compoſita, etiamſi nullis utatur monitis vel adhortationibus, ultrò tamen ad omnem virtutem ac laudem convertent ſe ſubditi, exemplo ſcilicet gubernatoris pertracti : è contrario, ipſa perſona ſi non ſit recta, licet aſſiduis ſtimulis & adhortationibus utatur ; tamen non ſequentur ſubditi. Allicient enim verba ; ſed potentiùs avertent facta.

§. 2. *Cheu cum* & *Cam xo* filiis *Ven-vam* Regis, ſuæ ſingulis obtigerant dynaſtiæ : Huic Regni *Guei*, illi *Lu* : quas cum præclaris legibus & exemplis ſtabiliviſſent ; ſucceſſorum deinde, temporumque vitio plurimùm ſanè deſciverant à primis illis inſtitutis. Quod deplorans *Confucius*, duorum, inquit, Regnorum *Lu* & *Guei* adminiſtratio *Germana* eſt, ſibique invicem perquàm ſimilis, olim ſcilicet & inſtitutis optimis & altâ pace : At nunc vitiis ac perturbationibus *Germana* item eſt.

§. 3. *Confucius* dicebat de Regni *Guei* Præfecto *Cum çu kin* dicto, qui ſortè ſuâ, vivebat contentus : benè placidèque privatus degebat domi. Ubi primùm quid habebat, protinùs ſecum ipſe tacitus aiebat : Sat rei cumulatum eſt. Deinde verò cùm perparum illi eſſet, nihilominùs dicebat : Satis rerum mihi præſtò eſt. At ubi copia rerum denuo illi adfuit ; protinùs dicebat : Sat rerum eſt mihi etiam ad ſplendorem.

f. 4. p. 1. §. 1. *Confucius* curru petebat Regnum *Guei* : *Gen yeu* ejuſdem diſcipulus agebat aurigam.

§. 2. Loci incolæ cùm fortè confluerent turmatim *Confucii* ſpectandi gratiâ ; exclamans *Confucius*, proh ! inquit, quanta hîc populi frequentia eſt !

§. 3. Ad eam vocem *Gen-yeu*, Magiſter, inquit, quandoquidem tanta ſit frequentia hominum, ecquid præterea ei adderes ? Reſpondit : adderem copiam rerum ſeu opulentiam moderatam.

§. 4. Ait rurſum diſcipulus : Ubi jam rerum copia adeſſet, quid adderes præterea ? Reſpondet : Rectam inſtitutionem.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5. *Confucius* aiebat: Si quis eſſet à dynaſtis ac Regulis, qui uteretur me, operâ meâ, & conſilio, annua periodo menſium nec amplius jam perfeciſſem aliquid, jamque pretium aliquod appareret operæ meæ, gravioribus ſaltem vitiis ſublatis. Tribus verò poſt annis, uti ſperare auſim, jam foret res perfecta.

p. 2. §. 1. *Confucius* ætatis priſcæ citans proverbium ait: Inſtructus probitate Princeps & adminiſtrans Regnum per ſe ſuique ſimiles filios ac nepotes ſpatio centum annorum equidem poterit convertere & ad frugem reducere quamvis improbos & immanes; quin & abolere pœnas ipſas mortiſque ſupplicia; amore ſcilicet, & non terrore, continente in officio ſubditos. O quam vera ſunt hæc majorum noſtrorum verba!

§. 2. *Confucius* ait: Quod ſi vero detur qui regat inſtructus rarâ virtute ſapientiâque Princeps; tum planè fiet ut, ubi effluxerit triginta annorum ſpatium, jam deinde nativa virtus nulli non indita feliciter efflореſcat.

f. 5. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Si quis rectè inſtituat ſuam ipſius perſonam, in ſuſcipiendo Magiſtratu ecquid habebit negotii vel difficultatis? Contrà, ſi non poſſit rectè inſtituere ſuam ipſius perſonam; quo pacto tandem reget inſtituetque alios?

§. 2. *Gen-çu* conſiliarius Præfecti *Ki-xi* hominis turbulenti, fortè veniebat ab aula ejuſdem Præfecti. *Confucius* ait: Quî tam ſerò? Reſpondet: Fuerunt negotia Regni publica. *Confucius*, veriùs, inquit, opinor, privata ipſius Præfecti negotia te tam diu detinuerunt. Si quidem enim tractata fuiſſet publica res, licet hoc loco & tempore non ego adhibear ad gerendam Rempublicam; pro recepto tamen more, quo Magiſtratu jam defuncti identidem conſuluntur, ego procul dubio ea de re pariter conſultus aliquid inaudiviſſem. Tacitè ſuggillatur Præfectus, & qui huic à conſiliis erat, diſcipulus, quod aliquid clam contra Regem molirentur.

§. 3. Regni *Lu* Regulus undecimus *Tim-cum* dictus percontatur unicum verbum, ſeu axioma breviſſimum, quo poſſit erigi, ſeu efflореſcere Regnum aliquod. Daturne hoc? inquit. *Confucius* reſpondit: Verbo nequit hujuſmodi res ſanè magna & operoſa ita facilè determinari: conabor tamen brevibus complecti multa.

p. 2. §. 1. Vulgi proverbio dicitur: Agere Regem difficile eſt, agere Miniſtrum Regis non eſt facile.

§. 2. Atqui ſi Rex probè intelligat quod agere Regem reverà difficile ſit; eam procul dubio afferet curam & vigilantiam, quâ & cœli & ſuorum gratiam & amorem mereatur & conſervet. Nonne hîc igitur utcumque determinatur in unico veluti verbo, id quo erigatur & efflореſcat Regnum?

§. 3. Idem Regulus rurſum ait: Unicum verbum quo peſſumde-

Digitized by Google

tur Regnum, seu, quo explicetur id quod Regnis solet esse exitio, daturne etiam illud ? *Confucius* respondet: Verbo item, nequit, ejusmodi res, quæ summa malorum est, ita facilè determinari. Vulgi proverbio dicitur: Ego non gaudeo, nec opto agere Regem: quod si agam, tum certè vehementer opto obtemperari meis illis verbis edictisque Regiis, atque neminem omnium mihi adversari.

§. 4. Subsumit *Confucius*: Si ergo hæc imperantis verba bona sint? & ad æquitatem, publicamque utilitatem accommodata, & quibus adeò nemo sit omnium qui adversetur; nonne reverà præclarum hoc erit, raræque felicitatis? Contrà verò, si verba imperantis non bona sint, nec cum æquitate & utilitate subditorum conjuncta, & tamen rursus nemo sit omnium qui adversetur, qui arguat malè imperantem Principem; nonne jam determinatum habebis unico propè verbo id quod evertat Regnum, seu, quo contineatur exitium regni. Etenim sicut malis non adversari, pernicies Regnorum est; sic non adversari bonis, eorumdem est quies & firmamentum.

f. 6. p. 1. §. 1. In Regno *çu* oppidi *Xe* Præfectus exquisivit modum rectè gubernandi.

§. 2. *Confucius* respondit: Sic rege ut qui propè sunt, gaudeant; qui longiùs absunt, ultrò adveniant.

§. 3. *çu hia* discipulus, cum esset dictóni *Kiu fu* in Regno *Lu* sitæ Præfectus, consuluit Magistrum de modo rectè gubernandi. *Confucius* ait: duæ cautiones tibi necessariæ sunt: prima, ne velis esse præproperus ac præceps, acriter & importunè urgendo, ut, quod mandatum est, illico perficiatur. Altera, ut nolis attendere ad exiguæ parvique momenti lucra, seu emolumenta. Volens enim accelerare omnia, & semper & ubique properare; tum certè non habebis perspectas res, ad quarum notitiam nonnisi lentè perveniri solet. Jam si attenderis ad exilia quædam lucra & commoda; tunc fiet ut maximæ quæque res & negotia, haud perficiantur.

p. 2. §. 1. Modò memoratus oppidi *Xe* Præfectus alloquens *Confucium* aiebat: Inter meos populares inveniuntur homines, qui admodùm simpliciter & rectè procedunt. Ex. gr. cujuspiam pater alteri fortè suffuratus fuerit suam ovem, & ecce filius sine ullâ cunctatione & sine ullis ambagibus coram judice profert testimonium contra patrem.

§. 2. *Confucius* ait: Meorum quidem popularium simplices ac recti, haud paulò diversi sunt ab istis. Pater enim, si quid fortè graviùs peccatum est à filio, vel ideò quia filius est, rem occulit: Filius item, si quid fortè peccatum est à Patre; multo etiam magis, quia Pater est, rem occulit, celatque alios, judicem imprimis, & ut mihi quidem videtur, simplicitas quædam & rectitudo existit etiam in hoc ipso patris filiique occultandi studio.

Digitized by Google

Hanc Philosophi sententiam confirmat Sie *Interpres exemplo sapientis* Xun, *qui deinde fuit quintus Imperator Sinarum: cum enim pater suus* çu seu *fortè commisisset homicidium; pius filius clam sublatum in humeros, & ad maris usque littus deportatum, severi judicii, capitisque periculo eripuit.*

§. 3. *Fan-chi* quæsivit ex Magistro modum acquirendæ veræ virtutis. *Confucius* respondit: : Studium illius nullo non loco & tempore est necessarium: Si degis privatus, decorum & gravitatem constanter fac serves. Si admovenda manus est cuipiam operi negotiove publico; sedulò, maturè, sedate te geras. Agenti cum hominibus fides atque veritas cordi sit. Quamvis autem perrexeris ad gentes barbaras, & incultas; non licet tamen vel unico temporis momento hæc abjicere; quæ dixi, studia virtutis.

f. 7. p. 1. §. 1. *çu cum* quæsivit dicens: quo pacto quispiam poterit evadere, meritoque dici vir eximius ac primarius? *Confucius* respondit: qui in rebus actionibusque personæ suæ propriis verecundus est, sic ut primam quoque speciem turpitudinis & iniquitatis vereatur ac horreat. Item qui à Principe suo legatus ad quatuor Imperii partes negligentiâ vel imprudentiâ suâ non dedecorat Principis sui legationem, seu negotia cum Regulis pertractanda; poterit is dici vir eximius ac primarius.

§. 2. Discipulus ait: Liceat mihi denuò percontari, ab hujusmodi hominum supra vulgus eminentium ordine, quinam secundi sint? *Confucius* respondet: Secundi sunt ii, qui à propinquis & consanguineis suis jure & merito censentur & prædicantur obedientes. Item, qui à suis popularibus censentur & prædicantur observantes natu majorum.

§. 3. Ait discipulus: Liceat mihi denuò percontari. Ab his ipsis ecqui rursùs secundi sunt. Respondet *Confucius*: qui in sermonibus suis obfirmatum adferunt animum ad veritatem; tametsi parùm acutè discernant inter verum & falsum. Item, qui in rebus suis & actionibus omnibus obfirmatum adferunt animum ad perficiendum opus susceptum. Hujuscemodi duriusculi & pervicacis nescio cujus constantiæ homines, quàm modicæ facultatis & ingenii sunt! Attamen nonne etiam possunt censeri secundi ab illis: maximè cum nemini plerumque sint damno; & dum sibi unis vacant, aliquid etiam quod suam laudem mereatur, habeant.

§. 4. *çu cum* rursus interrogat: qui hoc tempore admoti sunt gerendæ Reipublicæ, cujusmodi sunt plerique judicio tuo Magister? *Confucius* respondet: Eheu! exiguæ facultatis & capacitatis, & planè ad instar vasculorum *Teu* & *Siao* homines sunt: quomodò mereantur esse in aliquo numero vel pretio?

p. 2. §. 1. *Confucius* ait? Ego si non inveniam, qui mediam vir-

tutis viam teneant, ut propagem illam, communicemque cum plurimis operâ ipsorum: tum quidem necesse erit cum duplici hominum genere communicare, scilicet cum iis qui celsas quidem cogitationes habent, sed nihil perficiunt. Item, cum iis, quibus celsæ cogitationes desunt quidem, adest tamen robur & constantia in eo quod semel susceperunt: Illi namque nativâ suâ animositate illâ impulsi feliciter poterunt progredi, & sumere exempla ac normam ab altiùs provectis; hi vero saltem habent à quibus sibi sedulo cavent, & quæ non facilè ac temerè admittunt, & sic tam hi quàm illi facile poterunt ad medium reduci.

f. 8. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Apud meridionales homines datur tritum sermone proverbium quo dicitur: Homo qui non habet constantiam, non potest exercitare artem vel divinatoriam vel medicam. Laudo proboque.

§. 2. Confirmat autem hoc proverbium authoritate Principis *Cheu-cum* in commentariis suis in librum mutationum, ad figuram 32. cui titulus *Hem*, id est, constantia, ubi sic ait: Quisquis non perpetuat & constanter excolit suam virtutem; aliquando sibi accerset probrum & dedecus. In quem rursus locum scribens *Confucius* sic ait: quisquis non constanter exercet suam virtutem, non habet quidquam ad quod vel utilis vel idoneus sit.

§. 3. Ingemiscens hîc *Confucius*: Proh dolor! inquit, non exquirunt neque expendunt cœci mortales hanc veritatem. Actum est!

§. 4. *Confucius* ait: Vir probus ac sapiens, quantum fas & ratio finit, concordat cum omnibus, sic tamen ut non sit unum quid & idem cum promiscuâ hominum turbâ: contra improbus & insipiens delectu nullo unum quid idemque se facit cum omnibus; & tamen cum nemine concordat, quatenus fas & ratio præscribit.

§. 5. *çu cum* quærit dicens: Si populares omnes gaudeant quopiam, quid tibi videbitur? *Confucius* respondet: Necdum id sufficit, ut certi quid de virtute ipsius sapientiâque statuatur. At si populares omnes oderunt quempiam, quid de illo tibi videbitur? *Confucius* ait: Hoc quoque necdum sufficit. Longè melius est tutiusque si popularium probissimi quique gaudeant illo, & si eorumdem improbissimi quique oderint illum. De hoc ausim ego tutò affirmare virum esse probum & sapientem.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Viro sapienti facile est quidem servire, & jussa quælibet imperantis exequi: At difficile est sanè eidem præbere oblectamentum. Etenim si offeras oblectamentum ipsi non consentaneum honestati & rationi, non admittit oblectamentum. Agendo vero de ipso ut est imperans aliis, semper utique metitur vires & facultates eorum, quibus quid imperat. Stulto contrà difficile est servire; at perquam facile præbere oblectamenta: quippe si demulces

si demulces illum & oblectas; quamvis id turpiter & illicitè; delectatur tamen. Agendo verò de ipso ut herus est, seu, Præfectus populi, importunè & inclementer exigit ab suis res omnibus numeris absolutas.

§. 2. *Confucius* ait: Sapiens altâ pace fruitur; & tamen non effertur ullo fastu vel superbia. Stultus autem sibi ipse placet ac plaudit; & tamen expers est idem veræ pacis, quia expers veri boni, veræque virtutis.

f. 9. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Robore constantis animi, forti patientiâ, candidâ simplicitate; denique tarditate quâdam ad loquendum, his quatuor ceu gradibus propè acceditur ad integritatem innocentiamque animi cœlitùs inditam naturæ nostræ.

§. 2. *çu lu* sciscitatur dicens: Quo pacto quispiam poterit dici inter suos Magister? *Confucius* respondit: Sit ardor quidam amoris ac studii in consectanda virtute. Adhibeatur exactitudo quædam & efficacitas in commonendis aliis officii sui. Ad hæc oris serenitas, affabilitasque sermonis accedat, hic poterit dici Magister. Porrò adversùs amicos & familiares adhibeatur ardens studium mutuæ virtutis, necnon acris & accurata mutui officii exactio. Verùm adversus fratres natu majores & minores, blandior quædam suaviorque adhibeatur ratio.

§. 3 *Confucius* ait: Vir probus & integer si doceat populum; quæ officii sui sunt, sive erga parentes, sive erga Principem; idque si doceat per septem annos, hinc etiam poterunt cives ac subditi rei militari periti evadere.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Adhibere autem necdum probè instructum virtutibus populum ad rem militarem, id profecto jure dicitur abjicere suos, & gravi periculo patriam exponere.

§. 2. Discipulus *Yven hien* quæsivit ecquid erubescendum sit. *Confucius* respondit: In Regno dum vigent leges gerere munus publicum, nec operâ vel consilio conferre quidquam ad utilitatem publicam, & interim frui censu regio, res est pudore digna. Rursus in Regno dum jacent leges pari otio socordiâque diffluere, dum maximè tamen consulendum esset periclitanti patriæ, & nihilominus frui censu regio; vehementer erubescendum est.

§. 3. Instituit idem discipulus quæstionem hujusmodi: Si quis, inquit, immunis esset à vitiis quatuor maximè vulgaribus, atque adeo si quis per nimium appetitum gloriæ, præcellentiæque; item per sui complacentiam jactantiamque; per iracundiam denique, & cupiditatem habendi, nihil omnino faceret; posset is, opinor, censeri præditus primâ illâ quæ homini indita fuit virtute & innocentiâ.

§. 4. *Confucius* respondit: Non agere quidpiam cum iis, quas

enumeraſti, perturbationibus animi, poteſt id quidem cenſeri perquam rarum ac difficile: Verumtamen de primævo illo rationis imperio innocentiâve an præditus ſit nec ne, equidem ego non ſcio.

f. 10. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Vir gravis ac ſapiens qui de hoc potiſſimum laborat, hoc aſſiduè meditatur ut commodè ſuaviterque domi ſuæ degat, indignus eſt qui cenſeatur vir ſapiens.

§. 2. *Confucius* ait: Si in regno quopiam viget lex authoritaſque boni Principis; fidenter fortiterque loquere; fidenter fortiterque age. In regno ſi jacent leges authoritaſque Principis; tunc nihilominus fidenter quidem fortiterque agendum eſt; attamen ſermones ſolito plus facilitatis ac ſubmiſſionis habeant; ne alioquin ægri jam corporis morbum exaſperes veriùs, quam ei medearis.

p. 2 §. 1. *Confutius* ait: Qui habet virtutem, procul dubio habet etiam in promptu ſermones ac documenta, quibus eam aliis commendet. Cæterum qui habent ſermones in promptu, non tamen certâ neceſſariâque conſequentiâ habent virtutem. Rurſum quiſquis excellit integritate innocentiâque vitæ, procul dubio robore quodam animi & fortitudine eſt præditus. Fortis tamen haud neceſſario certove præditus eſt eâ, quam dixi, integritate.

§. 2. Diſcipulus *Nan cum quo* (alias *Nan yum*) quæſivit ex *Confucio* dicens: Olim Regni *Yeu kium* dynaſta *Heu y* dictus, idemque Colaus ſub *Chum cam* quarto Imperatore familiæ *Hia* (*annis circiter 1700. ante* Confucium) robuſtiſſimus erat, ſimulque peritiſſimus jaculandi. Alter idem ejuſdem coætaneus *Ngao* dictus, filius *Han cho* nullo negotio circumducebat huc atque illuc navigia in arenti ſolo, tam portentoſis erat viribus corporis. Cæterum & hic & ille non adepti ſunt ſuam mortem, ambo ſcilicet interfecti. Verùm duo alii *Yu* ſcilicet, & *cie* nullo corporis robore vel opulentiâ conſpicui, cùm ſuis ipſi manibus agros colerent, & vitam humilem, pauperemque viverent; tamen obtinuerunt Sinarum Imperium, *Yu* quidem Imperatori *Xun* ſuccedens, adeoque familiæ *Hia* primæ ipſe conditor: *çie* vero, quatenùs ex ſtirpe hujus (licet mille ac trecentis circiter pòſt annis) prognatus fuit magnus ille *Vu vam*, tertiæ familiæ *Cheu* fundator. Sed unde hoc tandem? *Confucius* tunc quidem non reſpondit: Diſcipulo verò *Nan cum quo* mox egreſſo, exclamans *Confucius* dixit: O quàm præſtans hic vir eſt! O quanti facit, & ſuverè æſtimat pretio virtutem hic vir *Nan cum quo!*

f. 11, p. 1. §. 1. *Gin* nativa cordis virtus eſt, nec aliud ferè, quàm perpetua quædam animi conformatio cum lege cæleſti. Quoniam vero cor ipſum valdè inconſtans eſt ac mobile; hinc fit, ut nobis etiam non advertentibus virtus illa, ſi non penitùs amittatur, certè quidem ceu nebulis quibuſdam identidem intercipiatur. Quocirca rectè *Confucius* ait: Vir & probus & ſapiens, & tamen quandoque

Digitized by Google

expers puriſſimæ illius tenerrimæque virtutis planè datur. Verbo : levis error, peccatum leve, cadit in ſapientem. Cæterum necdum extitit, nec verò poteſt exiſtere ſimul improbus & ſimul virtute illâ *Gin* inſtructus : eſſet enim conformis cum cœlo, & non eſſet.

§. 2. *Confucius* ait : Quiſquis amat, poteſtne non exercere duris eum quem amat ? Rurſus, quiſquis fidelis eſt, veruſque Miniſter ſui Principis poſtne non monere eum officii ſui ?

§. 3. Regnum *Chim* ſanè modicum, & inter præpotentia duo Regna *çin* & *çu* medio ſitum loco, virtus ac prudentia Principis ſui *Hien cum* dicti, cum fide, concordiâ, ſolertiâque Miniſtrorum feliciter conjuncta, non invictum modò præſtabat adversùs ambitionem, potentiamque vicinorum ; ſed etiam pace opulentiâque florens ac beatum. Concordis ergo ſolertiæ, fideique ſervientis Principi ſpecimen aliquod hîc daturus *Confucius*, & ex digito robur & elegantiam totius corporis æſtimaturus, ſic ait : quotieſcumque Principis nomine nuntiandum quid erat finitimis Regulis ; primum quidem *Pi xin* Præfectus probè cognitam Principis mentem primâ manu ſtyloque rudiori exponere ordiebatur ; mox deinde *xi xo* ſcriptionem examinabat, & appoſitis rationibus & exemplis Priſcorum confirmabat. Tertius *Hin gin* (officii nomen eſt) *çu yu* dictus præciſis iis, quæ ſuperflua videbantur & additis quæ deſiderari judicabat cultiori ſtylo & ordine diſponebat omnia & exornabat. Quartus denique è territorio *Tum-li* oriundus, cui nomen *çu chan* propriam quoque gratiam & venuſtatem addebat operi, tollens ſi quid irrepſerat jam antiquati. Porrò quod à quatuor viris illuſtribus, & tam concordi opere perficiebatur, an exitum ſortiri poterat non optatum ?

p. 2. §. 1. Exponit *Confucius* hoc paragrapho & duobus ſequentibus, quid cenſeat de quibuſdam viris & Miniſtris variorum principum. Quodam igitur ſciſcitante de *çu chan* quid ſentiret. *Confucius* reſpondet : Beneficus eſt, & talis habetur ab omnibus, quamvis idem ſeverus ſit & cenſor & judex.

§. 2. Interrogatus de *çu ſi* quid ſentiret, aſpernantis in morem ſic reſpondet : Vir iſte, iſte ? Favebat ſcilicet dynaſtæ Regni *çu* legitimo illi quidem, ſed qui contra jus Regis titulum ſibi vendicaret.

§. 3. Interrogatus de *Quon chum* Præfecto Regni *çi*, qui *Huan cum* Regulorum tunc facile Principi, à conſiliis olim fuerat ; reſpondit : Hic vir hic erat *Huan cum*. Certè cum privaſſet unum præfectorum (cui nomen *Pe xi*) reum certi criminis, eâ quâ ipſum quondam donaverat *Pien* ditione trecentarum familiarum ; cumque hanc ad *Quon chum* tranſtuliſſet, *Pe xi* deinde redactus ad egeſtatem, adeoque veſcens orizâ viliori, tamen ad extremum uſque ætatis ſuæ non protu-

Digitized by Google

lit unquam iniquioris vel indignantis animi verbum. Reputabat enim assiduè, & quid ab se peccatum fuisset; & quæ quantaque essent alterius qui sibi in eâ ditione succesſerat, merita.

f. 12. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Versari in paupertate, & tamen non odisse illam, perquam difficile est. Esse divitem & tamen esse sine fastu vel superbiâ, facile est.

§. 2. *Confucius* ait: Regni *Lu* quondam Præfectus *Mem cum cho*, is ut agat quidem, *Chao* & *Guei* duarum familiarum in Regno *çin*, quamvis admodùm illustres & copiosæ sint, supremum œconomum; utique habet affatim facultatis & industriæ: At non potest agere ne minimæ quidem dynastiæ *Tem* vel *Sie* Præfectum.

p. 2. §. 1. *çu lu* percontatur quænam maximè res numeris omnibus absolutum reddat hominem? *Confucius* respondet: Si quidem Præfecti Regni *Lu*, *cam vu chum* dicti scientiam & prudentiam; Item modo memorati *Mem cum cho* moderationem animi cupiditatis & avaritiæ expertem: Insuper Præfecti ditionis *Pien*, *chuam çu* dicti robur tam animi quàm corporis: Denique condiscipuli tui *Gen kieu* industriam peritiamque artium liberalium, has, inquam, dotes ac laudes si exornaverit quis, & temperaverit quodammodo officiis ritibusque civilibus, & musicâ mutuæ concordiæ morumque optimorum blanda magistrâ, equidem poterit hujusmodi censeri vir numeris omnibus absolutus.

§. 2. At hæc omnia unus quî complectatur? Concipere animo perfectionem tantam possumus; invenire qui illâ præditus sit, ægrè possumus, attamen, ætatis hujus nostræ perfectos viros quid magnopere necesse est esse tales? Certè si quis videns lucrum, protinùs meditetur justitiam, item videns discrimen Reipublicæ vel Principis, alacriter exponat offeratque vitam. In veteribus autem pactis & promissis non obliviscatur, nec inficietur suos universæ vitæ sermones & fidem semel datam nunquam fallat. Hujusmodi qui sit, etiam poterit suo modo censeri vir perfectus.

f. 13. p. 1. §. 1. *Confucius* percontans de Regni *Guei* Præfecto *cum xo ven çu* ab indigenâ quopiam, cui nomen *cum mim kia* sic ait: an est credibile, quod vulgo dicitur, dominum tuum non loqui, non ridere, non admittere quidpiam?

p. 2. §. 1. *Cum min kia* respondit: qui hæc narrant, excedunt limites veritatis. Dominus meus, si adest tempus loquendi, si locus & ratio id postulat; tum deinde loquitur: atque ita homines non fastidiunt ejus sermones. Si lætandum est, ubi justa datur risus & hilaritatis causa; tum deinde ridet: homines itaque non fastidiunt ipsius risum. Denique si jus & æquum patitur; tum deinde, quæ offeruntur admittit: hoc pacto homines nec fastidiunt in ipso acceptationem munerum Moderatio autem ejusmodi, quia non vulgaris

est

Digitized by Google

eſt ætate noſtrâ; idcirco Dominus meus vulgo nec loqui dicitur, nec ridere, nec quidquam admittere. Audiens hæc *Confucius*, admirabundus, ac ſubdubitantis inſtar, ait: Erit ita ut narras. Miranda res quidem & raræ laudis: ſed quomodo, tamen ita prorſus eſt?

§. 2. *çam vu chum* Regni *Lù* præfectus, graviter deliquerat in Principem, à quo pœnam metuens, profugerat in finitimam dynaſtiam *Chu* dictam: ſed hinc non multò pòſt reverſus in Patriam, & ſitam in eâ ditionem juris quondam ſui, incolas rogitat ut priſtinam ejus poſſeſſionem uni ſaltem poſterorum ſuorum à Principe exorarent. Sed *Confucius* ambages iſtas haudquaquam probans, ſic ait: *çam vu chum* ſuper priſtinâ ditione ſuâ *Fan* procurat ac petit pro poſteris ſuis apud Regni *Lu* Principem: Sed ego timeo, ne ſint armatæ preces iſtæ, & quamvis ipſe dicat, nihil ego per dolum aut vim volo à Rege: ego tamen non credo: Crederem verò ſi rectà ad Principem & non ad ſuos quondam ſubditos ſe contuliſſet.

f. 14. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Regni *çin* Regulus *Ven cum* in iis quas ſuſcipiebat, expeditionibus fictus erat ſubdoleque induſtrius, & non rectus & ſyncerus. E contrariò Regni *çi* Regulus *Huon cum* ſyncerus, & qui præſtabat cum fide quidquid promiſerat, & minimè fictus erat; ex hoc ſcilicet capite longè illi anteponendus.

§. 2. Mortuo *Siam cum* Regni *çi* Regulo gravis inter indigenas exorta ſeditio eſt, aliis majorem natu depoſcentibus ad Regnum, minorem aliis, idque non ſine vi & armis. Fugit interim major natu *Huon cum* unà cum *Pao xo ya* cliente ſuo & conſiliario in Regnum *Kiu*, ibidem milites comparaturus. Minor verò, (cui nomen *cum çu kieu*) in Regnum *Lù* ſeſe contulit cum duobus item clientibus *Chao ho* & *Quon chum*. Victo tandem minore natu, major ingreſſus Regnum *Lu*, terrefactos indigenas ad cædem compulit profugi Principis; ambos autem fugæ ſocios detrudi juſſit in carcerem. Non ſuſtinuit horum alter *chao ho* ſuperſtes eſſe Domino; ſed morte ſpontaneâ vinculorum opprobrium antevertit. *Quon chum* fortunæ cedens admiſit vincula: ſed his deinde ſolutus juſſu victoris, etiam ſupremus ejuſdem Conſiliarius & adminiſter, adnitente *Pao xo ya* creatus eſt. Vicit rei ſucceſſus omnium ſpes ac vota: cum enim finitimi Barbarorum invaſiſſent Regnum *çi*, brevi novus adminiſter conſilio, prudentiâque ſuâ perfecit non modò ut Regnum *çi* victis ac fugatis Barbaris priſtinam quietem ac libertatem recuperaret; ſed Imperatoriæ quoque domui *chen*, quæ tunc temporis jacebat inglo-ria; multi Regulorum denuò parerent, & clientelare obſequium perſolverent. Diſcipuli itaque *çu-lu*, ac *çu cum*, magiſtri ſui exquirentes ſententiam, *çu lu* quidem ſic ait: *Huon cum* Regulus occîdit *cum çu kieu* fratrem ſuum. *Chao ho* pariter occubuit cum Domino fugæ neciſque fidus comes. *Quon chum* ſanè diverſus ab hoc non

occubuit; sed rebeliis instar ac transfugæ secutus est victorem. Itaque diceturne hic non fuisse pius?

p. 2. § 1. *Confucius*, inquit, *Huon cum*, uti scitis, congregavit, studiisque & armis sociavit varios dynastas ac Regulos, quorum scilicet operâ Barbaros sic expulit, ut Imperatoriæ quoque domûs honori pariter & incolumitati consuluerit. Nec adhibuit tamen suæ ditionis arma vel currus bellicos ad tantam rem perficiendam: unius potissimùm *Quon chum* vis ista fuit ac virtus prudentiâ suâ industriâque perficientis omnia. Quod si ita est, eccujus pietas conferri poterit cum hujus pietate? Ecquis æquè ut iste *Quon chum* rectus ac pius esse censebitur?

§. 2. Instat *çim cum* alter discipulorum, & ait: Nonne tamen iste *Quon chum* reverà fuit non pius? Regulo namque *Huon cum* interficiente Dominum ipsius *cum çu kieu* non sustinuit ipse pariter mori, uti decebat tamen facere fidum clientem. Quin etiam ad partes fratricidæ transiit, ipsumque adjuvit.

§. 3. *Confucius* respondit: *Quon chum* Consilio & operâ juvit Regem *Huon cum*, (per annos 40.) sic ut is dominaretur ipsismet Regulis non ut Imperator, sed velut primas ac præses reliquorum. Qui adeò ex quo tempore renovavit ac erexit quod jacebat Imperium; populus usque ad hunc diem suscipit ac conservat ipsius tam præclaram navantis operam beneficium. Si non extitisset *Quon chum*; ego vobiscum jam servirem barbaris, rituque barbarorum hanc solutam haberem Cæsariem, & non more nostro collectam, ritu item barbarico ad lævum latus, & non ad dextrum, vestem fibula adstringerem.

f. 15. p. 1. Quorsum igitur instar abjecti cujusdam hominis, viliśve mulierculæ præstiturus nescio quam fidelitatem sanè perexiguam, semetipse laqueo peremisset in fossâ quâpiam seu flumine, sic ut à nemine fuisset deinde cognitus?

p. 2. §. 1. Celebris cujusdam præfecti in Regno *Guei*, cui nomen erat *cum xo ven çu* subditus ac Minister domesticus, *Siven* dictus, & ob egregias dotes ad eandem, quâ Dominus suus potiebatur, dignitatem, adnitente ipso Domino, evectus; jam unà cum ipso *ven çu* Domino suo pariter ascendebat in aulam Regiam negotia tractaturus.

§. 2. *Confucius* id audiens, ac meritam viri laudem ex nomine ejusdem petens; reverà, inquit, vel ex hoc uno capite dignus est illustri nomine, quod ei Rex quondam honoris gratiâ tribuit, dignus est, inquam, qui censeatur ac prædicetur vir prorsus obsecundans rectæ rationi, & ornatissimus virtutum laude. Suspicit enim Philosophus raram viri virtutem, apud quem tantum valuerit utilitas publica, ut sui quodammodo oblitus, non dubitârit hominem

Digitized by Google

usque adeo humilem ad eundem cum suo gradum promovere.

§. 3. *Confucius* degens in *Lu* Regno patrio, cum diceret Regni *Guei* Principem *Lim cum* sine more modoque boni Principis vivere: *Cam çu* Regni *Lu* Præfectus ait: Hoc si ita est, quomodo non perit Regnum *Guei*?

§. 4. *Confucius* respondit: *Chum xo yu* munus gerit excipiendorum legatorum & hospitum. *Cho to* præpositus est gentilitiis majorum aulis. *Van sun kia* Præfectus est castrorum, & hi tres scilicet magnâ cum prudentiâ solertiaque res sibi commissas feliciter administrant. Hæc si ita sint, si nitatur Regnum viris talibus tantisque, quomodo illud pereat, quantumvis ipse Princeps officii vivat immemor?

f. 16. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Quotiescumque hominis cujuspiam sermones imbuuntur verecundiâ quâdam seu modestiâ, & moderatione; sed cum temeritate jactantiâque proferuntur; tunc certè rebus factisque explere illos perquam difficile est. Nactus ergo loquentem grandia, quid is agat, observa; memor, inopiam factorum cum verborum copiâ non raro conjungi.

§. 2. Moliebatur clandestinam rebellionem *chin chim çu* Præfectus Regni *çi*; de quâ jam suspectum oderat Regulus suus, & ab homine fido, cui *Han chi* nomen, diligenter observari jusserat: Verùm perduellis rem subodoratus occidit primùm quidem exploratorem suum, deinde etiam Regulum ipsum *Kie cum*.

§. 3. *Confucius*, qui paulò antè gravem Magistratum gesserat, tam nefariæ cædis atrocitate commotus, priùs de more lavit corpus, & ita mox ad aulam perrexit certiorem facturus *Ngai cum* Regulum; in cujus ubi conspectum pervenit, Præfectus inquit *Chin hem* (*alterum parricidæ nomen est*) interfecit suum Regem: Rogo te ut misso milite perduellem comprehensum punias; & quando finitimum est tuo Regno, primus sis, qui de facinore, quod cœlum ipsum haudquaquam tolerat, expetas ultionem.

§. 4. Regulus ut erat jam senex, ac propè inutilis ad res gerendas, ad hæc modicæ authoritatis, tribus scilicet familiis authoritate nimiùm non regiâ dominantibus, *Confucio* respondit: Vade, & nuncia rem istam meis tribus clientibus *Mem sun*, *Xo sun*, & *Ki sun*.

§. 5. *Confucius* priusquam discederet, ô Rex, inquit, ego tametsi nunc Magistratum non geram; quoniam tamen gessi aliquando, & nunc ego à præfectis tuis sum proximus; equidem non ausus fui non certiorem te facere de re tanti momenti. Rex iterùm vade, inquit, & nuntia rem tribus meis clientibus.

p. 2. §. 1. *Confucius* Regulo morem gerens, pergit ad tres illos clientes, rem exponit; at illi haud convenit nec possumus, inquiunt, injuriam istam persequi. Quo audito *Confucius*, quasi officio suo sat

ſuperque jam perfunctus iiſdem, quibus ſupra, verbis: Proceres, inquit, quoniam ego à præfectis proximus ſum dignitate; non auſus fui non certiores vos facere de re tanti momenti. Referuntur hæc à diſcipulis, ut conſtaret poſteris de calamitoſo ſtatu regnorum iſtorum; finitimi quidem, in quo tam dira cædes patrata, patrii verò quod ultionem parricidii non ſuſcipiebat.

§. 2. *çu lu* quærit à Magiſtro, quâ ratione ſerviendum ſit Principi. *Confucius* reſpondet: Ne fallas; ac tum fidenter adverſare vel erranti vel peccanti Principi.

f. 17. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Vir probus ac ſapiens aſſiduè ſurſum provehitur ac penetrat: ſtultus ac improbus aſſiduè deorſum labitur ac penetrat: Et hic quidem (ait Interpres) prorſus ad inſtar fodientis & aperientis ſibi puteum, quò tandem in profundo cupiditatum ſuarum cœno, pecudi ſimilior quàm homini, demergatur.

§. 2. *Confucius* ait: Priſci ſtudebant literis optimiſque diſciplinis primùm ac potiſſimum propter ſe, fructum virtutis ac ſapientiæ inde petentes. Homines verò ætatis noſtræ ſtudent literis propter alios, à quibus ſcilicet vel inanem plauſum expectant, vel honoris ac rei familiaris amplificationem.

§. 3. *Kiu Pe yo* Præfectus Regni *Guei* miſit ſalutandi gratiâ hominem ad *Confucium* hoſpitem quondam ſuum.

§. 4. *Confucius* honoraturus Dominum in ipſo famulo admiſit ipſum ad conſeſſum, ac deinde ſciſcitabundus ait: Dominus tuus ecquid potiſſimum agit? Reſpondit: Dominus meus deſiderat imprimis emendare & imminuere ſua peccata; ſed necdum poteſt compos votorum fieri. Eo qui miſſus fuerat paulò pòſt egreſſo, *Confucius* exclamans ait: O egregium Miniſtrum! ô egregium Miniſtrum! qui videlicet tam paucis verbis tam uberes amplaſque laudes heri ſui complexus eſt!

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Quando non verſaris in hoc vel illo munere; ne tractandam ſuſcipias illius adminiſtrationem.

§. 2. *çem çu* utens aſſiduè ſententia, quam deprompſerat ex *Te Kim* dicebat: Vir ſapiens dum publico munere perfungitur, etiam in iis quæ, cogitat non evagatur extra ſuum illud munus.

§. 3. *Confucius* ait: Sapiens erubeſcit ſua ipſius verba, ſi quando vincant ſeu excedant ſua ipſius facta.

f. 18. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Laus veri ſapientis & via ſeu norma triplex eſt. At ego proh dolor! Nullam adhuc teneo. Innocentiâ vitæ præditus rationi ac cœlo conſtanter obtemperat; adeoque non turbatur, quamcumque tandem ſubeat fortunæ viciſſitudinem. Prudentiâ inſtructus ſyncerum à pravo, falſum à vero ſolerter diſcernit; adeoque non hæſitat, nec anceps diſtrahitur. Denique fortis ac ſine

metu

Digitized by Google

metu, & singulari quodam præditus robore excelsi invictique animi, non pertimescit aut pavet.

§. 2. *çu cum* discipulus hæc audiens, sic quidem, inquit, tu, ô Magister, pro singulari tuâ modestiâ de te ipso & sentis & loqueris.

§. 3. *çu cum* totus erat in comparandis inter se hominum moribus. *Confucius* eum redarguens, tunc, inquit, ô mi discipule *Su*, an es vir sapiens? Mihi equidem non est sat otii ne ad res quidem curasque meas; quantò minus, ut inquiram curiosus in mores & vitam aliorum.

§. 4. *Confucius* ait: Ne angaris animo vel te discrucies quòd homines non te noverint: Angere potiùs ac discruciare de istâ impotentiâ & imbecillitate tuâ; qua fit scilicet ut necdum perspecta habere, & multo minus perficere valeas quæ sunt officii tui.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Si quis non antevertit sollicita suspicione & cura procul adhuc remotam deceptionem ac fraudem, nec sit ex eorum numero qui omnia, quamvis sint tutissima, timent assiduè; Si quis item non diu ante statuit apud animum suum, non datum iri fidem sibi dicturo quidpiam vel facturo: Si quis, inquam, homo sit hujusmodi, ut nunquam curis istis ac suspicionibus, quæ hominum societati, commerciisque mutuis tam inimicæ sunt, implicetur; idem tamen si polleat eximia quadam solertia, perspicaciaque vel hominum vel rerum; atque adeò statim odoretur ac præsentiat quidquid fortè latet fraudis ac fallaciæ; is sane vir est perspicax ac prudens.

§. 2. Unus è numero sapientum, sed qui uni sibi vacabat, *Visem mu* nomine, alloquens *Confucium* sic ait: *Kieu* (lege *meu*) quid agis dum sic anxiè vagaris ac sine intermissione percurris, uti video, terras omnes Imperii: Modo versaris in Regno *çi*, modò in Regno *Lù*: Venditas ubique doctrinam tuam; sed nusquam invenis qui emant; nonne est hoc circumforanei prorsus instar esse loquacem & garrulum, & inanem captare plausum imperitæ multitudinis; fortasse & dignitatem quampiam emendicare?

§. 3. *Confucius* ut fastum hominis aliquantulum retundat, in hunc modum respondet: Non ausim ego nugas & verba vendere, & agere loquacem. Cæterum odi etiam ac damno pertinaeem unique rei & sententiæ affixum, & qui ad primos impetus aut minas publicæ calamitatis illicò latibulum quæritet, & ne cogitare quidem sustineat de restaurandis legibus, moribusque depravatis hominum corrigendis.

§. 4. *Confucius* aiebat: In raro & præstanti equo non tam laudatur ipsius robur, quàm laudatur ipsius virtus, id est, docilitas, mansuetudo, facilitas.

f. 19. p. 1. §. 1. Fortè quispiam dixit: Beneficiis compensare odia & injurias, de hoc quid videtur tibi?

§. 2. *Confucius* respondit : Qui sic agat ; ecquâ tandem compensabit benefacta ? Dispar enim debet esse merces ac ratio ejus, qui bene meretur, & illius qui malè.

§. 3. Mea igitur hæc est sententia : eo, quod rectum justumque est, compensato injurias nec odia ; benefactis compensato benefacta. Quæ verba sic exponit Interpres. Injuriam quis intulisse mihi visus est ; non illam ego recordabor, nec considerabo, ut mihi est illata ; sed æquâ rationis trutinâ expendam singula ejusdem momenta, ut queam statuere ; quid hîc odio, quid amore, quid fugâ, quid prosecutione dignum sit. Expensis omnibus si comperiam, eum qui me læsit, aliis tamen ex capitibus & simpliciter amore dignum esse ; ego certè ob privatam offensionem nullas invidus offundam tenebras ipsius laudi ac virtuti : At si multa sint, quæ odiosum reddant, ac meritò exterminandum ; parebo tunc rationi, quæ improbitatem aliaque vitia odio prosequi & exterminare nos docet. Atque hoc est eo, quod rectum justumque est, odia rependere.

Habes hîc, Christiane Lector, Ethnici Philosophi de te tam arduâ sententiam : sed & Interpretis similiter Ethnici dignum Philosopho exclamationem ; quæ ut non attingat Evangelicam sanctitatem ; quanto tamen mitior hîc sermo est, quanto humanior Pharisaico illo crudoque axiomate, odio habebis inimicum tuum : Quamquam nec ab Evangelicâ Luce, si fas est ita loqui, procul abfuisse videtur Confucius, *cum uti refertur in lib. Offic. 9. fol. 38.* Y te pao yven, çe quon xin chi gin yo, *hoc est*, Beneficiis compensare odia, hoc enimverò est perampli pectoris virtus ac pietas.

§. 4. *Confucius* ut provocet discipulum çu cum ad percontandum quidpiam, suspirans ait : Nemo est omnium qui me nôrit.

§. 5. Audiens çu cum, Magister, inquit, quomodo fit hoc ut nemo sit qui nôrit te ? *Confucius* respondit : Primùm quidem non ego indignor cœlo, non etiam culpo mortales : orsus ab inferioribus non sine labore & constantiâ res disco, & sic paulatim gradum faciens ad sublimiora evado ac penetro. Interim quod perspectum habet me, ipsum est cœlum.

Ego (exponit Colaus) *quamvis humilis sim ac tenuis, nec coram illam Cœli munificentiam, quæ vulgò tanti fit, expertus ; haudquaquam tamen indignor cœlo, vel obmurmuro : Sed nec homines in crimen voco, quod operâ meâ non utantur : Unum hoc ago, ut exuolam me ipse, & orsus iter meum à radice montis, ad culmen ejusdem pedetentim contendo : Regiam tero viam ; fugio nova & inusitata. Latere ergo me & ignorari, non est quod mireris. Non erubesco interim oculos attollere, & fidenter intueri cœlum, quamdiu ab eo quod dixi studio conservandæ mentis meæ non absisto. Est enim credibile, quod supremum cœlum in medio arcanæ illius abditæque caliginis me contempletur, & perspectum habeat. Quod si*

ita est; quid obsecro tum refert, videri me ab hominibus, cognosci, & celebrari?

Hactenus paraphrasis Colai, qui proprio illam epiphonemate concludens; sic omnino res habet, inquit, Sancti postquam labore suo & constantia id assecuti sunt, ut supremam cœli de se dispositionem habeant perfectam; conjungunt tandem ac sociant ipso cum cœlo, quem in se clam continent, virtutum splendorem. At res ista quàm est perfecta cœlo, tam est obscura plerisque mortalium

p. 2. Vir Regni *Lu, cum pe leao* obtrectabat discipulo *çu lu* apud *Ki sun*, cujus tunc erat Mandarinus & assecla. *çu so Ki pe* ejusdem Regni Præfectus offensus illâ petulantiâ & temeritate obtrectatoris, rem significavit *Confucio* dicens: Dominus meus *Ki sun* planè sinistri quid suspicatur ac malè vult discipulo tuo propter *Cum pe leao*, à quo in suspicionem & crimen vocatus est. Si quidem per te licet, ego pro authoritate meâ & potestate etiam possum castigare & è medio tollere & abjicere in forum publicum tam improbum obtrectatorem.

f. 20. p. 1. §. 1. *Confucius*, ut Præfectum avertat à proposito necis inferendæ, sic ait: Rectam administrationem Regni cujuspiam feliciter procedere, decreti cœlestis est. Rectam administrationem Regni cujuspiam negligi ac perire, est item decreti cœlestis. *Cum pe leao* igitur ecquid ipsi tandem cum hoc cœli decreto? An valeat fortassis cum perdere quem cœlum protegat? aut tueri atque protegere cui infestum sit cœlum?

Interpres noster, postquam exposuit hoc responsum Philosophi, eo ferè modo, quasi inevitabili fatorum lege temerentur humana omnia: Tandem tamen declaraturus mentem Philosophi, suamque ipsius sententiam, planè negat esse sapientis, quando liber esse possit, ac sequi in omnibus rationem ac naturam ducem; ultrò se constringere vinculis fatalibus tam dure necessitatis. Confucium *interim prudenter accommodantem sese tempori ingenioque hominum; sic locutum esse, tum ut solaretur ac placaret offensum discipulum; tum ut alteri cogitatam ultionem tanquam supervacaneam dissuaderet; tum denique ut castigaret hac ratione obtrectatorem ipsum.*

§. 2. *Confucius* ait: Sapientes quandoque fugiunt sæculum, sic ut penitus respuant honores omnes & curas publicas.

§. 3. Ab his proximi fugiunt quandoque regionem ubi degunt, quod perturbatam esse videant; & migrant in aliam, quæ rectè administratur.

§. 4. Ab his rursum secundi fugiunt conspectum sui Principis, quando vident illum inconditis esse moribus.

§. 5. Denique & ab his secundi fugiunt sermonem, seu colloquium hujusmodi Principis.

§. 6. *Confucius* suspirans aiebat: Qui sic profugerunt à curis pu-

Digitized by Google

blicis periculisve ad privatum otium & quietem, septem numero fuerunt homines (*non extant eorum nomina,*)

§. 7. Olim *Yu lu*, dum Magistrum sequitur ex aliis in alia migrantem regna, fortè pernoctavit in loco quodam *Xe muen* dicto. Custos portæ, qui & ipse erat ex occultis sapientibus unus, scisciatur ab eo, quem tu sequeris? *Yu lu* respondet: Sequor *Confucium.* Tum alter ait: An est vir ille, qui intelligens quidpiam non convenire, tamen agit idipsum quod non convenit; dum frustra scilicet opitulari vult laboranti Imperio?

p. 2. §. 1. *Confucius* quo mœrorem animi calamitate publica tam afflicti leniret, fortè pulsabat instrumentum musicum lapideum, sed suis fidibus constans, quo tempore versabatur in Regno *Guei.* Fuit unus itaque ex illo latitantium sapientum numero, qui bajulans stramineos corbes transiret ante *Confucii* januam. Cumque ex ipso genere musicos, quæ tota lamentabilis erat, sensum Philosophi deplorantis calamitatem publicam solerter cognovisset; admirabundus, ac stomachanti similis; fierine hoc potest? inquit, reverà habet ille quidem, ut video, sensum calamitatis publicæ, quem & nos habemus, quem etiam satis prodit pulsato sic instrumento.

§. 2. Exinde, cùm aliquantisper substitisset, rursus audiens canentem, dixit: O vilem hominem & pertinacem! Nemo prorsus est qui ipsum nôrit, aut certe nosse velit, ejusque uti operâ. Desistat igitur à studio tam importuno! tamque inutili. Jam, plusquàm satis est, tentatum & concursatum. Meminisse te oportebat Proverbium Regni nostri: Si profundum est flumen; quod transire vis pedibus; tum nostro Priscorum more amictus transito: Si vadosum est, modicæque profunditatis; tum vestes succingito. Quasi diceret: Cur explorato jam statu nostrorum temporum, *Confucius* eidem non accommodat sese, prudensque abstinet tam inutili cura & concursatione?

f. 21. p. 1. §. 1. *Confucius* audito sermone tristis ac severi Philosophi suspirans ait: O virum nimis tenacem propositi: Nihil equidem difficultatis habet agere quod agit iste, & labori sese periculoque subducere: At meus certè non sustinet animus sic agere.

Accinens huic dicto Philosophi pr priâ quoque sententiâ Interpres noster, Sanctorum, inquit, animus cœlo terræque similis est. (Cœlum & terra, quantumvis obsessa sint nebulis, sentiantque procellas ventorum ac tempestatum; nunquam tamen desistunt ab officio suo procreandarum & fovendarum rerum per influxus suos. Similiter & sapiens, quantumvis aspera sint, calamitosaque tempora; semper tamen hoc agit, ut benè mereatur de humano genere: Infrà quidem semper miseretur consortes sibi mortales; suprà verò constanter veretur inviolabilem cœli nutum ac voluntatem.

§. 2.

§. 2. Discipulus *çu cham* percontans ait: In *xu kim* annalibus Priscorum Regum narratur. Quod Imperator *Cao çum* (alias *Vu tim*) delitescens in *Leam ngan* (nomen est sepulchralis horti lucive Regii, in quo pater ejus *Siao ye* tumulatus fuerat) per tres annos, pio luctui sic dederit sese, ut non sit locutus. Quid hoc significat? nam id quidem intellectu difficile est.

§. 3. *Confucius* ait: Quorsum obsecro, vis fiat in uno *cao çum*? Prisci Reges ad unum ferè omnes erant hujuscemodi. Officiorum libros consule, ubi docetur quod Principe Regni vel Imperii demortuo, successor ejus idemque filius per annos omnino tres luctui se dabat: Universi interim Præfecti atque Magistratus fungebantur suo quisque officio; quia mandata excipiebant ab supremo administro, qui vices gerebat lugentis Principis; idque per triennium.

Cao çum *seu* Vu tim *familiæ Imperialis secundæ* Xam *dictæ fuit Imperator vigesimus, qui Imperare cœpit anno antè Christum 1324. de hoc Principe religiosissimo refertur in libro 5.* Xukim *fol. 28. quod, cum in horto sepulchrali* Siao ye *patris sui delitescens de renovando Imperio, secum ipse sollicitè meditaretur, oblata ei fuerit à* Xam ti *supremo cœli Imperatore (seu Deo) per somnium species ignoti viri, quem, prout ipse* Cao çum *coram Senatu su) depingebat verbis, coloribus expressum & undique conquisitum, ac demum inter cæmentarios inventum in loco* Fu yen (*nunc oppido* Pim lo *dicto in prou*: Xansi) *è luto suo ad supremam consiliarii dignitatem evexit.*

Hic Fu yve *vulgo nominabatur; cujus extant in libro* Xu kim *tribus contenta capitibus præclara monita, quibus Imperator* Vu tim (*alias* Cao çum) *adeo pr fecit, ut per annos 59. pietate & religione feliciter ac pacificè administrarit Imperium.*

Hic verò planè jucundum est videre, quomodo Interpres primi nominis Chu hi *dictus posteriorum temporum atheopolaticorum antesignanus secum ipse luctetur; nec tamen miser eluctari valeat: hinc enim Prisci textûs authoritate (quæ apud Sinas sacra est) prohibetur negare rei gestæ veritatem; inde verò quamcunque in partem se vertat à supremi cujusdam Numinis præsentiâ & majestate expedire se nequit. Sit igitur in majoribus suis commentariis ait:*

Quando Imperator *Cao çum* somniavit de *Fu yve*, distinctè & manifestè fuit aliquis *Fu yve* qui existeret illic: *Cao çum* reverà non eum cognoscebat cujus species in somnis offerebatur: Neque enim hominem hujusmodi unquam ipse viderat. *Cao çum* somniavit de *Fu yve* quod existeret illic: Hoc igitur cùm ita sit, verè fuit aliquis Cœli Imperator, qui coram *Cao çum* diceret, ego assigno tibi fidelem adjutorem: Nunc autem homines per vocem *Ti* non aliud quam Dominum & gubernatorem intelligi dicunt; eumdemque dicunt expertem corporis & figuræ: Sed puto quod ita res non habuerit

(nimirum non capiebat hic Scriptor quo pacto expers corporis, assumptâ tamen figurâ conspicuus homini redderetur) quod attinet *(prosequitur Interpres)* ad eum qui hac ætate nostrâ vocatur *Yo-hoam-ta-ti*, id-est, *Yo-hoam* magnus *(cæli)* Imperator, puto equidem nec de hoc id dici posse *(utique dici nequit: Quomodo enim homo ille* Yo-hoam *apparuerit, quem aliquot post* Cao çum *sæculis natum & deinde nonnisi exactis aliis aliquot sæculis per insanam superstitionem Imperatoris*, Hoei çum *dicti, è 19. familiâ* Sum *numero, supremi Numinis titulo donatum?*) Rursus *(prosequitur Interpres)* quam non inane & fortuitum fuerit illud somnium, successus ipse docuit: Rex enim *Cao çum* cum somniavit à cæli Imperatore assignari sibi fidelem adjutorem, ei procul dubio in somnis adfuit cœli Imperator qui illum indicaret; nec ullo modo dici potest rem ita non habuisse: nec item hic dici potest fuisse cælestem illam rationem, quam *Li* dicimus. *(Et hactenus quidem Interpres* Chu hi *quo se vertat ignorans; cæterùm ignorantiâ illâ & perplexitate suâ Veritati Providentiæque Numinis vel invitus favens.* Li *hoc atheopoliticorum figmentum quodpiam post 40. sæcula inventum à novatoribus interpretibus. Intelligunt autem per* Li *virtutem quamdam seu influxum naturalem mente & voluntate destitutum, sed principium rerum omnium, ad quod omnia conantur referre, totius retro antiquitatis monumenta & sensum in suam detorquentes sententiam.*

§. 4. *Confucius* ait: Qui præpositus est aliis, si quidem gaudet officiorum contemperatione debita, discrimen æquum semper faciens inter humiles, & honoratos inter summos & imos: tum populo facilè imperabit.

p. 2. §. 1. *çu lu* sciscitatur de viro sapiente, & qui longè supra vulgus emineat; *Confucius* respondit: Excolat sese, ut hoc pacto rectus evadat per assiduam suiipsius vigilantiam & attentionem. Quærit *çu-lu*, ubi sic egerit, num sufficiet? Respondit: Excolat ergo sese, atque ita excolat, ut expleat vota aliorum, sicut optat expleri sua ipsius. Instat discipulus: Ubi se res sic habuerit, nihilne requiretur præterea? Respondet: Excolat sese, & partas virtutis industriæque opes tam largè diffundat, ut procuret pacem, expleatque vota universi populi. Sed enim ardua res hæc est, & in hoc excolendi sui ipsius studio, sic ut explerent vota universi populi, *yao* & *xun* viri Principes tales ac tanti, tamen ipsi quoque vehementer laborabant & quasi perpetuâ quâdam tenebantur ægritudine animi & curâ, ne fortè vel unus esset ex omnibus, cujus amorem ac benevolentiam non obtinerent: Usque adeò suos haud secùs ac seipsos diligebant.

f. 22. p. 1. §. 1. *Yven-jam* sectator quidem Philosophi *Lao Kiun*; sed vir inconditis corruptisque moribus, quodam die decussatis cruribus sedens *(quem situm Sinæ indecorum esse censent)* expectabat

Confucium jam olim ſibi notum. *Confucius* tam agreſtes hominis mores, aliaque totius vitæ vitia animo damnans, ſic ait: Olim quidem tu adoleſcens cùm eſſes, non fuiſti ſubmiſſo animo & obſervans natu majorum: Grandior factus nihil habuiſti virtutis ac laudis, quod prædicaretur: Senior verò jam ſiquidem non moriaris ocyùs, hoc enim verò erit eſſe damno quamplurimis pravo exemplo & moribus. Hoc dicto, ſcipione leviter percuſſit ipſius crura, ſic quoque debitæ gravitatis ac decori moniturus agreſtem hominem.

§. 2. Ex ditione *Kive tam* dictâ pueri aliquot indigenæ *Confucio* in diſciplinam recens traditi deferebant Magiſtri mandata ad hoſpites, & horum viciſſim reſponſa ad Magiſtrum. Aliquis fortè ſciſcitatus ait: Proficiuntne illi pueri?

§. 3. *Confucius* reſpondit: Oporteret quidem illos non in medio ſedere, ſed à latere; & dum ſequuntur majorem natu, pone ſequi: nunc autem ego video ipſos temerè conſidere in loco honorato. Video illos cum Magiſtro ſuo ſine ullo intervallo pariter incedere; adeoque non obſervare, quæ ſunt propria ætatis ſuæ. Quocircà judico quod non ſunt ſtudioſi profectûs ſui. Cæterùm ego ſumam mihi hanc Provinciam: Deſidero quamprimùm ſublatâ ruditate illâ, bonis moribus ac diſciplinis excolere illos ac perficere; Verumtamen ſic, ut à facillimis infimiſque ordiar; & eos ipſâ cum ætate ad majora pedetentim manuducam.

LIBRI TERTII

PARS OCTAVA

Fol. 1. pag. 1. paragr. 1.

REGNI *Guei* Princeps *Limcum* dictus belli magis quam virtutis cupidus percontatus eſt de inſtruendâ acie ad prælium, à *Confucio*. *Confucius* reſpondit: *çu* & *teu* vaſorum ſacrorum res ego quidem aſſiduè audivi: Caſtrenſes res necdum didici. Quare illuſceſcente die ſtatim profectus eſt, quod videret operam perdi.

§. 2. Exiſtente *Confucio* in Regno *Chin* defecit victus: Sectatores ipſius languebant, nec poterant iter proſequi fame ſcilicet debilitati.

§. 3. Diſcipulus *çu lu* moleſtiam animi prodens ait: Inter viros probos ac ſapientes etiamne dantur egentiſſimi? *Confucius* ait: Vir

Digitized by Google

probus ac sapiens durat in egestate gravi: Stultus & improbus in egestate gravi constitutus hoc ipso dissolvitur animo.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Discipule mi *Su*, (aliàs *çu cum*) tunc sic de me censes, operosè me multa didicisse ac mandasse memoriæ, atque ideo tam promptè meminisse?

§. 2. Respondet discipulus: Utique. Sic mihi persuasi semper. Num aliter fortè res habet?

§. 3. Erras, inquit *Confucius*: aliter se res habet. Ego dumtaxat per unum res penetro.

f. 2. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Mi discipule *Yeu*, (aliàs *çu lu*) qui perspectam habeant virtutem, pauci sunt.

§. 2. *Confucius* ait: Nihil agens & tamen imperans nonne is fuit *Xun*? Hic quid agebat? totus spirans virtutem rectà austrum spectabat (*Quo situ Imperatores ac Magistratus hîc jus dicunt*) & aliud nil agebat: Omnia scilicet cursu suo, quem optimum tenebant, ire sinens.

§. 3. Discipulus *çu cham* quærit à Magistro suo modum gerendi res cum utilitate & profectu aliorum.

§. 4. *Confucius* respondet: Loquere simpliciter, candidè, cum fide: Age constanter, graviter, maturè: etiam in Australium vel Borealium Barbarorum Regno constitutus proficies. Contrà verò si loquaris haud simpliciter, candidè, & cum fide: Si agas haud solidè, graviter, ac maturè; quamvis in cœtu familiarum 2500, vel in cœtu familiarum 25. verseris ecquid tandem proficies?

p. 2 §. 1. Si consistis rectus: protinus contemplare ista velut ordine posita coram te. Si existis in curru; protinus contemplare ista velut innixa jugo currûs: hoc modo demùm, ubicumque fueris, res geres.

§. 2. Discipulus *çu cham* adnotavit hæc præcepta in cingulo, id est, in anteriori sinu cinguli sui descripsit, ut ostenderet, quanti faceret Magistri sui documenta.

§. 3. *Confucius* ait: O quàm rectus est *Su yu*) *Præfectus is erat Regni* Guei) Regno pacato instar sagittæ est. Regno turbato instar sagittæ est. Verbis scilicet factisque constans, rectus, integer.

f. 3. p. 1. §. 1. O virum præstantem *Kiu pe yo* ejusdem Regni Præfectum! Regno pacato protinus administrat Rempublicam; Regno turbato, protinùs novit subducere sese & latitare.

§. 2. *Confucius* ait: Dignus est quispiam qui cum instituas sermonem, & tamen si cum eo non instituis sermonem; perdis hominem: indignus est quispiam qui cum instituas sermonem, & tamen si cum ipso instituis; perdis verba. Prudens nec perdit hominem, nec perdit verba.

§. 3. *Confucius* ait: Vir excelsi magnique animi, idemque vir virtutis

tutis ſolidæ, non flagitat vivere ſic ut damno ſit virtuti ſuæ: imò datur qui prodigat vitam ut conſummet virtutem.

p. 2. §. 1. *çu cum* diſcipulus percontatur quâ arte quis evadat probus? *Confucius* reſpondit: Artifex volens perficere ſuum opus, haud dubiè priùs acuit ſua inſtrumenta. Commorans in aliquo regno fac ſervias ejuſdem præfectorum ſapientioribus: amicitiam contrahe cum ejuſdem Regni literatorum probioribus.

§. 2. Diſcipulus *Yen yven* conſulit Magiſtrum de adminiſtrando bene Regno.

§. 3. *Confucius* haud ignarus, quanta, quamque eximia diſcipuli facultas eſſet, ſic ait: Age res & exige juxta familiæ *Hiá* temporum rationem.

Hac imperante familiâ novilunium illud, quod ab ingreſſu ſolis in gradum 15. Aquarii proximè aberat, anni cujuſque conſtituebat exordium quæ ratio temporis quoniam ad Agriculturam, alioſque uſus vitæ humanæ hîc valde erat accommodata; Confucio *magnoperè probabatur: & verò perſeverat eadem hodieque tametſi ſub familiis aliquot Imperatoriis ſubinde fuerit immutata.*

f. 4. p. 1. §. 1. Conſcende familiæ *Yn* currum. Fac imiteris, inquam, ſecundæ hujus familiæ mores antiquos, id eſt, ſimplices, rectos, æquabiles, & conſtantes; quos adeò prodebat cultus ille vulgaris & ſimplex; & firmitas rhedarum & curruum, quibus Reges, abſque pompæ apparatu tunc utebantur.

§. 2. Dum ſacris das operam, induere familiæ *Cheu* nunc imperantis tiarâ.

§. 3. Muſica verò ſit ea quæ *Xao* dicitur cum choris tripudiantium.

§. 4. Miſſas facito Regni *Chim* cantiones. Procul amanda loquaces: Regni *Chim* cantiones, turpes, loquaces, periculoſi.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Non eminus ac longè res & negotia præmeditans, procul dubio habebit propinquum ſibi mœrorem. *Exponunt Sinæ hanc Philoſophi ſententiam alio proverbio*: Liu pu çai çien li chi vai, çe hoan çai ki ſie chi hia *præmeditatio niſi ſit ultra mille ſtadia, tum calamitas eſt ſub ipsâ mensâ & ſtrato.*

§. 2. *Confucius* ait: Proh dolor! actum eſt: ego nondum vidi qui gauderet virtute ſicut quis gaudet elegantî formâ corporis.

§. 3. *Confucius* ait: Regni *Lu* Præfectus *çam ven chum* nonne ipſe furtim & fraudulenter Magiſtratum gerit, ac tuetur ſuam dignitatem. Hic enim cum perſpectam habeat *Lieu hia hoei* viri nobiliſſimi ſapientiam & virtutem, & quanto is emolumento poſſit eſſe Reipublicæ; Regi tamen eum non commendat aut proponit ut promoveatur.

f. 5 p. 1. §. 1. *Confucius* ait: In ſeipſum graviter, at leviter anim-

advertere in alios, utique procul amovet odia.

§. 2 *Confucius*: Qui non dicit; hoc quomodo? illud quomodo? Ego nescio hujusmodi homine quid faciam. Actum est.

§. 3. *Confucius* ait: Plures simul commorantes per totum diem, si in colloquiis inter se non attingant virtutem; sed gaudeant proferre in medium privatam prudentiam, ô quantum laborabunt!

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Vir verè præstans ex conventientiâ cujusque rei statuit rei fundamentum: Debito cum ritu modoque exercet illam: cum animi modestia demissioneque palàm facit illam: cum fide perficit illam. O virum hujusmodi verè præstantem!

§. 2. *Confucius* ait: Philosophum affligit impotentia sua, non affligit ab hominibus se nesciri.

§. 3. *Confucius* ait: Philosophum affligit occidere sibi vitam, & nomen suum nondum celebrari, aut nihil dignum famâ peregisse.

§. 4. *Confucius* ait: Sapiens causam peccati datæque offensionis, exquirit ab se: stultus exquirit ab aliis.

f. 6. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Philosophus est quidem severè retinens gravitatis, at non asper & intractabilis: Socialis est, at non qui temerè abripiatur impetu multitudinis.

§. 2. *Confucius* ait: Sapiens nec ob sermonem evehit hominem; nec ob hominem (qualiscumque is sit) aspernatur ac negligit sermonem.

§. 3. *Çu cum* sciscitando ait: Num fortè extat unum aliquod vocabulum, secundum quod velut normam quampiam possit quis per omnem vitam operari? *Confucius* respondit: Nonne istud vocabulum est, *Xu*? Scilicet, tibi quod non vis, ne facias erga alios?

p. 2. § 1. *Confucius ait*, Ego agens cum hominibus, cuinam obtrecto? quemnam deprædico? Si datur quod deprædicandum sit; idipsum habet quod prius discutiatur.

§. 2. Moderni, seu hujus ætatis homines, etiamnum gradiuntur rectâ, quâ tres familiæ incedebant, viâ.

§. 3. *Confucius* ait: Ego adhuc attigi Historiographorum succinctum stylum. Tunc habens equum, alteri dabat commodatò, ut conscenderet: At nunc ista obsoleverunt.

f. 7. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Fucati sermones perturbant virtutem; modica impatientia utique perturbat maxima consilia.

§. 2. *Confucius* ait: Multitudo odit quempiam? omnino examinetur. Multitudo gaudet quopiam? omnino examinetur.

§. 3. *Confucius* ait: Homo potest illustrem reddere & magnificare normam rationis: Non autem citrà conatum arbitriumque hominis norma rationis per se valet magnificare hominem.

Digitized by Google

§. 4. *Confucius* ait : Peccare nec emendare ; hoc ipſum dicitur peccare.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait : Ego plerumque totos dies non manducem : totas noctes non decumbam, ut vacem meditationi : & tamen nullum propè referam fructum : Non eſt quid melius quàm operam dare monumentis literarum, in uſum ſcilicet exercitiumque, quæ didiceris, traducere.

§. 2. *Confucius* ait : Philoſophus laborat de virtute ; non laborat de cibo ; & verò ipſam Agriculturam, fames ſubinde ſequitur & inſperata ſterilitas : at in virtutis ſtudio, cenſus & fructus nunquam deficiunt. Quare Philoſophus angitur de virtute ; non angitur de paupertate.

§. 3. *Confucius* ait : Prudentiâ aſſecutus quidpiam, niſi virtute interiori valeas idem conſervare, licet fortè adeptus ſis, procul dubio amittes.

§. 4. Prudentiâ quidpiam aſſecutus, & virtute interiori valens conſervare ; niſi quoque adhibeas morum gravitatem & authoritatem ad rectè gubernandum ; tum ſubditi non te verebuntur.

f. 8. p. 1. §. 1. Prudentiâ quidpiam aſſecutus, & virtute interiore valens conſervare, exteriorem item morum gravitatem & authoritatem adhibens ad rectè gubernandum ; niſi moveris ſubditos convenienti ac debito modo ; nondum perfecta res eſt.

§. 2. *Confucius* ait : Vir eximius non poteſt parvis ex rebus, quamvis eas præclarè geſſerit, illicò ſciri ſeu ſtatui etiam potens eſſe ſeu idoneus ad res magnas ſuſcipiendas & tractandas. Contrà verò à vulgari homine & modicis naturæ dotibus inſtructo, non debent exigi res magnæ, nedum ſuſcipi ; & quid poſſit ipſe in modicis vulgaribuſque rebus, cognoſci debet, alioqui.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait : Populo in virtute plus eſt quàm in aquâ & igne. Aquam & ignem ego vidi qui calcaret & periret : nondum vidi qui inſiſteret virtuti & periret.

§. 2. *Confucius* ait : Suſcipiens excolendum virtutibus animum, non cedat Magiſtro, primaſve in virtutis ſtudio deferri patiatur.

§. 3. *Confucius* ait : Vir perfectus rectus & conſtans eſt, at non pervicax.

§. 4. *Confucius* ait : Serviens uti ſervire par eſt, Regi, ante omnia & præ omnibus cordi habet quæ ſui muneris officiique ſunt ; ac poſtponit his cenſum ſuum, ſuaque ſtipendia.

f. 9. p. 1. §. 1. *Confucius* ait : Sit inſtitutio ſine diſcrimine.

§. 2. *Confucius* ait : Viâ diſcrepantes, haudquaquam inter ſe convenient ad conſultandum quidpiam.

§. 3. *Confucius* ait : Verba percipiantur (*ſeu verborum nuda veritas abſque fuco & ætatis noſtræ luxurioſa elegantiâ*) & hoc ſufficiat.

Digitized by Google

§. 4. Magiſter muſices, *Mien* nomine, *Confucii* viſendi gratiâ venerat. Accedenti itaque ad gradum quempiam, hoſpiti (quippe qui cœcus erat) *Confucius* admonens illicò dicebat; hîc gradus eſt: Eidem verò jam progreſſo in aulam excipiendis hoſpitibus deſtinatam, & accedenti ad ſtoream. *Confucius* iterum dicebat: Hîc ſtorea eſt. Mox inde Magiſtro illo muſices, cæteriſque hoſpitibus pariter conſidentibus, *Confucius* eundem commonefaciebat dicens: Titus exiſtit ſive conſidet ab hac parte: Sempronius exiſtit ab illa parte; ut aptius ſcilicet fungeretur debito cuique ſalutationis & honoris officio.

§. 5. Magiſtro *Mien* jam egreſſo, diſcipulorum unus cui *çu cham* nomen erat, quæſivit ex *Confucio* dicens: Cum Magiſtro muſices ſic loquendi & agendi an etiam datur regula ex principiis nimirum Philoſophiæ ſuæ?

§. 6. *Confucius* reſpondit: Eſt hæc ſanè juvandi cœcos Magiſtros regula, olim ſcilicet inſtituta.

p. 2. §. 1. In Regno *Lu* tres erant præpotentes ac nobiles familiæ, quæ tantum non rebellantes contra ſuum Regem, quatuor Regni ditiones inter ſe partitæ fuerant. Earum unam *Mem ſun* invaſerat, alteram *Xo ſun*; tertiam verò quartamvè Regni Præfectus *Ki* potentior utriſque ſibi vindicarat. Quibus haud contentus, (ut eſt inſatiabilis dominandi libido) aliam quoque dynaſtiam in ejuſdem Regni meditullio ſitam, & clientelari jure eidem obnoxiam meditabatur invadere. Hic itaque *Ki xi* ſeu *Ki ſun* erat in procinctu ut bello peteret dynaſtiam *chuen yu*.

§. 2. *Gen yeu* & *Ki lu* adſtantes coram *Confucio* dicunt: *Ki xi* Domino noſtro proximè futura eſt res cum *chuen yu* Dynaſtâ: Ambo erant diſcipuli *Confucii*, & tunc fortè Magiſtratum gerebunt; nec probabant hujuſmodi invaſionem.

§. 3. *Confucius* ait: *Kieu*, nonne eſt tuum quoque hoc crimen?

f. 10. p. 1. §. 1. Belli porrò arguens injuſtitiam, ex tribus maximè capitibus eam probat. Hanc (inquit) dynaſtiam *chuen yu*, olim priſci Imperatores familiæ *Cheu* fecerunt montis *mum cum* in eadem ſiti ditione dominam, ubi dynaſtæ curam habent ſacrificiorum, quæ ſpiritui montis præſidi rite fiunt. Deinde ſita eſt in medio terminorum Regni. Eſt denique regiæ domui familiæque ſubjecta & clientelaris, quo pacto igitur, & quo jure illam ſibi vindicet improbus, & invadat?

§. 2. Diſcipulus *Gen yeu* hâc oratione Magiſtri ſui jam doctior, ſic ait: *Ki xi* Dominus noſter vehementer expetit illam ditionem: Nos quidem ambo ejuſdem Miniſtri ac ſubditi pariter haud deſideramus aut approbamus.

§. 3. *Confucius* ut doceat oportere eos, quod animo damnent, verbis quoque

quoque factisque arguere & damnare; & si quidem monendo arguendoque non proficiant, muneri suo renunciare, sic ait: mi discipule *Kieu*, antiqui illius & celebris Historiographi *Cheu gin* extat sententia per quam apposita ad rem nostram: Si cuipiam, inquit, suppetunt vires ac facultates ad gerendam Rempublicam, adeat sanè munus publicum: non autem valens præstare quæ sunt officii sui, sistat, & gradu, si quem fortè obtinet, sese abdicet. Is etenim præcipitio proximus periclitatur, & tamen non manu tenetur, seu non monetur, quia moneri scilicet impatiens est: Prolabitur, & tamen jam labens non manu fulcitur: quia nimirum non est qui audeat manum admovere, constatque præcipitem abire velle. Hujusmodi ergo cœco, vel amenti verius, cui tandem sit usui iste adjutor vel ductor?

p. 2. §. 1. Atque adeo tu quod dicebas modò, invitis vobis & improbantibus parari bellum, sic ut crimen omne in præfectum derivaretur; hoc ipsum alterum est crimen tuum; & eo quidem turpius, quò turpiori cum errore conjunctum. Quæro enim abs te, tigris quæpiam, aut bubalus sylvestris evasit extra septa, repagulaque sua; testudo item raræ artis, aliave pretioso è lapide supellex si damnum passa periit, quamvis in arcæ medio reposita: Fuga hæc, & damnum hoc cujus tandem erit crimen? Numquid ejus cujus fidei & curæ commissa tam septa, quàm supellex fuerat?

§. 2. Discipulus *Gen yeu* intelligens hoc argumento agi se reum, suam pariter ac Domini sui causam specioso necessitatis ac justitiæ nomine tuendam suscipiens, sic ait: Nunc ditio hæc *chuen yu* fortis ac munita est, & fieri potest ut munitior evadat in dies: Nunc illa vicinis suis non est infesta, sed ecquis spondeat nullo unquam tempore futuram? Porrò eadem vicina est finitimaque *Pi* avitæ ditioni & patrimonio *Ki xi* Domini mei. Quocirca si nunc eam, quando potest, tempusque & fortuna favet, non occupat ac facit juris sui; olim procul dubio erit illa filiorum ejus ac nepotum acerbus dolor ac sera pœnitendi materia.

§. 3. *Confucius* patefacto hunc in modum ulcere tam discipuli quàm præfecti; verus, inquit, ô *Kieu*, Philosophus odit & execratur ejusmodi hominem tergiversantem ac nolentem candidè profiteri cupiditatem suam, aliosque morbos animi occultantem sollicitè, & interim violenter prætexentem verba, seu verborum ambages, quibus veritatem eludit.

§. 4. Audi nunc igitur, quid ego sentiam. Ego sic audivi semper eos qui habent Regnum vel dynastiam; vel, qui habent amplam splendidamque familiam, si quidem probi sint ac sapientes, non solere angi animo & discruciari paucitate subditorum, quibus imperitant; sed discruciari & angi quod non obtingat suum cuique

prout jus & ratio postulat; audivi item non angi illos, quòd penuriâ rerum laboret sua ditio sed angi & affligi quòd non fruatur optatâ pace & concordiâ. Et meritò sanè, quippe si tollantur expensæ inutiles, si luxus immodici prohibeantur, & cuique tribuatur quod æquitas postulat; quamvis alii aliis opulentiores futuri sint, non erunt tamen inopiâ vel mendicitate laborantes: Ubi item viget concordia, ibi nulla est paucitas, ibi vastitas nulla: Quamdiu verò fruentur concordiâ, fruentur & pace, quæ ex illa nascitur: At vigente pace & tranquillitate, nullus erit ruinæ locus, vel gravioris cujusque calamitatis periculum.

f. 11. p. 1. §. 1. Tria hæc, justitia, concordia, tranquillitas, si eo modo, quo dixi, se habeant, ac vigeant: Tametsi fortè remotiores populi jugo tam suavi non se subjiciant; tum quidem hoc erit agendum, ut perficiantur magis ac magis, & perpoliantur quodammodo virtutes Regiæ, ut sic adveniant tandem exteri non dolo victi, non armis, sed famâ virtutum. Ubi verò sic advenerint, & in jus ditionemque tuam transierint; tum commodis eorum quietique amanter consulas.

§. 2. Nunc autem, ô discipuli mei *Yeu*, & *Kieu*, adjutores estis vos quidem, & consiliarii *Ki xi* Domini vestri. Sed quo tandem operæ pretio, quo fructu? Alienigenæ non modò non parent vobis: sed quoniam apud vos desideratur vera virtus, neque possunt imperare sibi ut ad vos migrent. Regnum *Lu* miserabiliter divisum concidit, distractumque in partes, & factiones, tantum non periit funditùs, atque adeo non potest ipsum jam diutiùs conservari.

p. 2. §. 1. Et quasi hæc non sufficiant ad calamitatem, interitumque publicum; nunc etiam molitur Præfectus ille nova movere arma; & quidem sic, ut in ipsis Regni visceribus atrox bellum exardescat. Sed ego sanè vereor ne familiæ *Ki* nepotum dolor, seu ruina, non existat seu inferatur à finitimâ ditione *Chuen yu*; Sed existat ex ipsorummet domesticorum parietum visceribus, suoque ipsa tandem consumatur incendio.

§. 2. *Confucius* ait: Imperio pacatò & cum authoritate administrato protinus oratio officiorum musicæ & bellicæ expeditionis ab Imperatore procedunt: Imperio perturbato, jam ratio officiorum musicæque & bellicæ expeditionis à Regulis procedunt, à Regulis si procedunt, tum quidem decem ætatum spatio, pauciſſimi ex his erunt qui non amittent Regnum suum. A Præfectis si procedunt, quinque ætatum spatio pauciſſimi erunt qui non amittent. Domestici clientes si usurpârint regni dominatum, trium ætatum spatio pauciſſimi erunt qui non amittent malè parta.

f. 12. p. 1. §. 1. In Imperio si vigeat lex, tum absoluta administratio non erit penès Præfectos: quippe quæ nec penès ipsos Regulos sit futura.

Digitized by Google

§. 2. In Imperio si vigeat lex, tum populus non immittet se in consilia publica: Quippe subditi omnes lubenter ac certatim cum eâ conformabunt sese administrandi normâ, quam intelligent ad normam cœli, rectæque rationis esse exactam.

§. 3. *Confucius* ait: Vectigalia abscesserunt à Regiâ domo per quinque generationes: Administratio pervenit ad præfectos per quatuor generationes: Ideò isti tres Regis *Von cum* posteri attenuati sunt. Confirmare videtur hic *Confucius* ea quæ dixerat, exemplo domestico *Lu* Regni patrii, in quo Reges ordine duodecim imperitârunt. Etenim post obitum sexti Regis *Ven cum* occiso ejusdem filiolo & hærede legitimo, evectus est ad Regnum frater occisi *Siven* dictus. Ex illo tempore Regni istius administratio cœpit concidere, & vectigalia transierunt à domo Regiâ ad privatas Præfectorum familias; qui freti nobilitate suâ, quòd ex stirpe *Von cum* secundi Regis oriundi essent; Regium jus paulatim sibi vindicârunt.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Utiles sunt tres amici: Pernicioſi tres item amici. Amicus rectus; amicus fidelis; amicus multa audiens, utiles sunt. Amicus exterius solùm compositus & gravis: Amicus blandus ac mollis; amicus loquax & garrulus, pernicioſi sunt.

§. 2. *Confucius* ait: Utilia sunt tria gaudia: Pernicioſa, tria gaudia. Gaudere debito usu officiorum musicæque: gaudere proloqui aliorum rectè dicta & facta: gaudere multorum sapientum amicitiâ, utilia sunt. Gaudere superbiæ vanitate: gaudere otio vitæque licentiâ: Gaudere epularibus jocis ac voluptatibus, pernicioſa sunt gaudia.

f. 13. p. 1. §. 1. *Confucius* ait: Assistentium Principi dantur tria peccata. Verba scisciantis principis si nondum pertigerint, seu referantur ad te solum, & tamen loqueris, dicitur præcipitantia: si verba pertigerint, & tamen non loqueris dicitur morosa & inutilis taciturnitas, si prævidè nondum observaveris faciem, & tamen loqueris, dicitur cœcitas.

§. 2. *Confucius* ait: Sectator virtutis habet tria sibi cavenda. Adolescentiæ tempore, sanguine & spiritibus necdum consistentibus, quod cavendum, est res venerea. Provectus ad suam maturam ætatem, sanguine spiritibusque jam corroboratis, quod caveat, sunt rixæ. Provectus ad suam senectutem, sanguine spiritibusque jam languentibus, quod caveat, est cupiditas habendi.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Sapiens ac probus habet tres timores: Timet Cœli mandatum, timet magnos viros: Timet Sanctorum verba.

§. 2. Improbus ac stultus non agnoscit Cœli mandatum, adeoque nec veretur. Aspernatur magnos viros: Explodit Sanctorum verba.

Digitized by Google

Colaus sententiâ verè Christianâ longam explanationem concludens docet, timores modò memoratos ad unum maximè timorem reduci omnes; eum scilicet, quo revereamur cœlum, & non amplius : Kim tien lh *Confirmat hoc autem exemplis Priscorum, qui omni cum reverentiâ & tremore, curâ item vigilantiâque prorsus singulari gerebant sese adversùs cœlum, & quidquid eis à cœlo conferebatur.*

§. 3. *Confucius* ait : Qui nascuntur & hoc ipso scientes sunt, haud secus ac si cum ipsâ vitali aurâ & spiritu scientias rerum hausissent, supremi ordinis sunt censendi sapientes. Qui discunt autem, & operam dant Magistro, & hoc pacto evadunt scientes, à primis illis secundi sunt. At qui hebetiores sunt, & tamen discunt improbo labore & constanti, hi rursus ab eis, quos proximè memoravi, secundi sunt. Jam verò qui hebetes sunt, & tamen non discunt, in vulgo hi censentur infimi & inutiles; quamvis alioqui sint homines integri & innocentes.

f. 14. p. 1. §. 1. *Confucius* ait : Virtutis ac sapientiæ studiosus adhibet novem considerationes. Dum conspicatur quidpiam, seu lustrat oculis; meditatur perspicaciam; id est clarè, probèque percipiendum sibi esse, quod oculis objicitur. Audiens quidpiam, meditatur acutam vim audiendi, probeque percipiendi voces, & vocum significationes. Ad speciem habitumque oris quod attinet, meditatur serenam quandam placiditatem, quâ non alius color est, qui animos sibi potentius suaviusque conciliet. Quod attinet ad statum & conformationem totius corporis, meditatur gravitatem cum reverentia conjunctam. Ubi loquendum est, meditatur fidem ac veracitatem; quâ lingua scilicet cordi respondeat. Dum agit quidpiam ac molitur, meditatur sedulitatem. In rebus dubris ac perplexis, secum meditatur ipse, quem consulat potissimùm, & quâ ratione sibi lumen petat in illa caligine. Concitari sentiens animum iracundiâ, & studio contentionis ac vindictæ, maturè secum ipse reputat, incommoda, damnaque nasci solita. Videns offerri copiam rei familiaris augendæ, protinùs ob oculos sibi ponit jus & æquum.

§. 2. *Confucius* ait : Contemplare alterius quod bonum est, tanquam eò nondum perveneris : Contemplare alterius, quod malum est, tanquam si contingeres bullientem aquam. Ego vidi ejusmodi hominem : Ego audivi ejusmodi proverbium.

p. 2. §. 1. Privatus adhuc degens, tum præparat suas rectè gubernandi rationes & industrias : Post verò publico fungens officio fidelis administri, tum scilicet exercitat suas, quas præmeditatus fuerat, rationes & industrias. Ego audivi hoc proverbium : at necdum vidi ejusmodi hominem.

§. 2. Regni çi Regulus *Kim cum* habuit equorum mille quadrigas, & tamen à mortis, quâ violenter sublatus est, die, populus non invenit

venit in eo virtutem, quam in eo celebraret. *Pe ý* & *Xo ci* inediâ consumpti fuerunt ad montis *Xeu yam* radicem; populus usque modò illos celebrat.

§ 3. Quod igitur alii sint in oblivione, uti Regulus *Kim cum*; aliorum verò memoriam, uti duorum, quos dixi, fratrum, posteritas omnis conservet, nonne hoc ipsum est quod dicebam?

§. 4. *Chin cam* discipulus *Confucii* quod putaret plura & secretiora cum filio communicaret pater, quàm cum reliquis discipulorum; adit explorandæ rei gratiâ filium ejusdem unicum, idque sciscitaturus ab ipso *Pe yu* (nomen est filii) sic ait: Condiscipule etiamne fortassis habes arcanum quodpiam & extraordinarium documentum, clam nobis scilicet, uni tibi suggestum à patre?

f. 15. p. 1. §. 1. *Pe yu* respondit: Adhuc quidem non audivi ex patre meo arcani quidpiam: nec enim mihi propriam impertit vel operam vel doctrinam. Semel dumtaxat, cum domi solus consisteret, me nescio quò pergente properantius ac fortè transeunte per aulam, ubi pater consistebat, percontatus est ipse, studesne, fili, libris Odarum. Respondi ego candidè; necdum me studere. Tum pater, si nunc, ô fili, non das operam libris Odarum pervolvendis; non habebis quidpiam facultatis aut copiæ quo instituas sermonem viro gravi & Philosopho dignum. Quod audiens ego protinus abii, & operam dedi libris Odarum ediscendis.

§. 2. Alio die pater meus rursum solus cùm consisteret, & ego fortè properarem ac transirem per aulam, percontatus est; fili studesne libris officiorum, rituumque civilium? Respondi: Needum me studere. Hic itaque rursus pater: Nisi des operam libris istis; non habebis quo vir evadas, & inter cives tuos emineas. Quod ego audiens, nihil cunctatus, abii, & operam dedi libris Officiorum.

§. 3. Audivi hæc duo à patre; nec quidquam præterea diversi ab iis, quæ palàm vos docet.

§. 4. Discipulus *Chin cam* his auditis abiit, ac lætus, sibique ipse gratulatus ait: Quæsivi de re una, & assecutus sum tres. Audivi quippe de libris Odarum: audivi de libris Officiorum & rituum, præterea didici exemplo *Confucii* nostri, viros verè præstantes removere ab se, seu ab sensu, fructuque privatæ dilectionis ipsum quoque filium: non ei plus impertiendo vel operæ, vel doctrinæ, quàm cæteris discipulorum.

Miratur Interpres V, & *secum ipse disquirit causas, cur hic paragraphus, aliique non absimiles parvi sanè momenti proferantur in medium: ideone fortassis, quod extent in codicibus authenticis, maximeque vetustis? An quod revera* Confucius, *dum Priscorum ritus & officia suis exponebat, minutissima quæque soleret persequi; sicut in hoc quidem para-*

grapho dici poteſt perſecutus eſſe, ubi ſic ait: Ejus qui amplioris cujuſdam ditionis eſt Princeps, ex. gr. Reguli, Satrapæ, dynaſtæ uxorem, Princeps maritus ſuus compellans vocat conſortem, conjugem, ſeu adjutorium. Hæc autem Principis conjux ſeipſam coram marito ſuo nominans, debitæ ſubmiſſionis, modeſtiæque memor dicit: Ego rudis puella. Jam verò ditionis hujus homines ac ſubditi compellantes eam, vocant Reginam conjugem, ſive Principis adjutorium; quia nimirum Palatii domeſtici, familiæque Regiæ gubernatrix eſt. Sicut ipſe Princeps, totius gubernator eſt ditionis. Rurſus hæc ipſa Princeps fœmina ſeſe nominans coram exteris ditionibus, id eſt, legatis earum, vel etiam Principibus, dicit: Ego modicæ virtutis parvula Princeps. Exterarum verò ditionum homines ac legati nominantes eam ſic etiam, ut ipſimet ſubditi, vocant Reginam conjugem, ſive, Principis adjutorium.

Fuit ab omni retro memoriâ, eſtque hâc etiam ætate propè incredibilis apud Sinas & varietas, & copia nominum, quæ pro ipſâ varietate vel loci, vel temporis, vel conditionis; item pro arbitrio Principis tunc imperantis, alia tribuuntur atque alia, unis & eiſdem non hominibus modò, ſed etiam familiis, ditionibus, urbibus, muneribus publicis, dictiſque ipſis hominum & factis. Nec minor etiam modeſtia eſt, gravitas, & reverentia, quæ copiâ illâ & varietate continetur: quodque magis eſt mirandum, nullus ordo vel ſexus eſt hominum, ætas propè nulla, necinter ſylvas ac montes tam rudis & agreſtis quidpiam, qui non ipſo propè cum lacte nutricis, uſum aliquem varietatis hujus copiæque perceperit.

Quod etſi videri poſſit haud neceſſarium pluribus exemplis declarari, quando nobis hi libri, quos habemus in manibus, non pauca ſuppeditant: juverit tamen vel oblectandi Lectoris gratiâ brevibus exponere, quid nos ipſos, qui ex Europâ in Chinam venimus, diſcere coëgerit, & exercitare cogat uſu propè quotidiano Sinenſis illa comitas, elegantiaque civilis.

Quotieſcumque ergo contingit ſociorum aliquem cum ipſo gentis Imperatore loqui, non aliter ferè quàm Yven chin *vel ſimpliciter* Chin, *id eſt, advenam è remotis terris ſubditum ſeſe nominat. Ipſe verò Princeps nos alloquens vel pronomine tu; vel nomine vulgari noſtro. Imperatorem nos, uti Sinæ omnes,* Vari ſui *compellamus, quibus vocibus acceptiſſimum, longè ætatis votum, annorum ſcilicet myrias continetur. Jam ſi cum Regulis, aut Colais Imperii, qui ſummus eſt Magiſtratus, ſermonem habemus, pari ferè modeſtiâ, nobis quidem* Liu gin, *peregrinorum nomen tribuimus; Regulis verò titulum* Vam ye, *Principis ac Domini; necnon* çien ſui, *quo ipſis mille annos vitæ precamur: Colais autem* Lao ye, *Dominorum honorificum damus nomen; & viciſſim ab his quidem* Sien ſem, *id eſt, ſeniorum; ſive Magiſtrorum nomine plerumque honoramur: Regulis interim eâdem, quâ ipſemet Imperator ratione nos compellantibus.*

Digitized by Google

Quoniam verò cæteri Magistratuum, à quibus administrantur Imperii partes omnes, alii censentur literarii, militares alii; hos quidem non alio ferè nomine quàm Lao ye, *Dominorum nuncupamus: Illis autem vel hoc ipsum, vel certè* Lao sien sem, *id est,* Seniorum Magistrorum *grave imprimis & honorificum tribuimus. De nobis verò ipsis loquentes, non alio ferè quàm* Hio sem, *id est, Discipulorum, & si quando major usus ac familiaritas interceßerit;* Siao ti, *fratrum natu minorum nomine utimur: Ipsis vicissim pari cum significatione & modestiæ & honoris Magistrorum nobis, discipulorum sibi, fratrumve nomen dantibus. Nec absimilis comitatis ratio observatur cum quovis homine, qui vulgo sit honoratus; tametsi publico munere non fungatur. Quamquam non desunt etiam, qui nos aliquanto familiarius nomine* Siam cum, *quod Baccalaureorum est proprium, & hodie quidem perquam vulgare. Neophyti denique, si quidem literati sunt,* Lao su, *seniores Magistros nos vocant: si de vulgo, Dominos.*

Ubi verò ad pœnitentiæ tribunal acceditur, Xin fu, *spirituales Patres & hoc quidem loco omnes omnino, (multi etiam quovis loco & tempore)* çui gin, *id est, peccatores se nominant: Plerumque tamen Neophyti literati* Muen sem, *discipulorum; famuli vero, aliique infimæ plebis, humillimo* Siao tie, *homuncionum vocabulo coram nobis utuntur; sic ut præter Imperatorem ac Regulos nemo ferè sit omnium, qui pro nominibus* Ngo, ni, *id est, ego, tu, uti sustineat. Porrò eadem est ipsorum inter se, quæ nobiscum comitatis, officiorumque ratio: Nisi quod hominibus exteris plus honoris & primum locum largiri soleant.*

Universim autem, quotiescumque de rebus ad se pertinentibus sermonem faciunt, non modo perquam modestè loquuntur; sed vocabulum ferè adnectunt humilitatis ac modestiæ significatissimum, sic Pi que, *humile Regnum suum patrium:* çien çu *vile nomen:* Siao lh, *parvum filium; ipsum quoque morbum, si de valetudine quæsitum fuerit* çien yam, *vilem abjectumque nuncupant. Hospitis vero patriam honorificam,* çun que *vel* quei que: *nomen sublime,* cao sim: *sobolem ingeniosam,* Lim lam: *morbum denique ipsum, quantumvis teter fœtidusque fuerit, modo* quei yam *pretiosum, modo* çun yam, *honorandum vocant. Quoties patrem suum aut matrem quis coram aliis nominat* Kia fu, Kia mu, *id est, familiæ patrem, & matrem nominat. Hospitis vero pater* Lim çun *vester honor, mater vero* Lim tam *vestra aula (domestica scilicet): propria verò domus aut familia* Han kia *frigida seu pauper domus, alterius* quei kia *honorata nuncupatur, & sic de cæteris, quæ tam in familiari sermone, quam in epistolari stylo, qui à quovis alio multum differt, ubique passim observantur.*

Digitized by Google

LIBRI TERTII

PARS NONA

Fol. 1. p. 1. paragr. 1.

YAM ho (Præfecti *Ki*, ſubditus ac miniſter) deſiderabat prior viſitari à *Confucio* : Sed *Confucius*, quod intelligeret hominem eſſe turbulentum, & è familia illius, qui jus & authoritatem Principis legitimi per vim ſibi vindicabat, eum non viſit. Interim *Yam ho* munus epulare miſit ad *Confucium*, porcellum ſcilicet, more gentis tunc uſitato. Obſtrictus hoc munuſculo *Confucius*, cum non poſſet ſalva lege humanitatis non adire hominem, gratias acturus; de induſtriâ captavit tempus quo ipſe non eſſet domi, eoque tunc perrexit ſalutaturus : Quando ecce occurrunt ſibi mutuò in ipſa via.

§. 2. *Yam ho* protinus alloquens *Confucium* ait : Veni, obſecro; nam ego tecum ſermonem habeo, quem conferam. Mox ait: Si quis recondat in ſinu ſuo, ſervetque ſollicitè ſuam quampiam gemmam pretioſam, & interim perturbatum ſit afflictumque patrium ipſius Regnum; nec velit tamen eam venundare, quo medeatur publicæ calamitati. Hujuſmodi qui ſit, an poterit dici pius? Reſpondet *Confucius* : non poterit, ejuſmodi qui ſit, dici pius. Inſtat alter : ſi quis gaudeat ac vehementer optet agere ſemper aliquid ac moliri quòd proſit Reipublicæ, & interim oblatam ſæpius negligat ac perdat occaſionem. Hujuſmodi qui ſit, an poterit dici prudens? Reſpondet *Confucius* : Non poterit dici prudens. Hîc alter concludens, dies, inquit, & menſes torrentis inſtar præterfluunt; & tamen de annis tuis nihil mihi nec flagitanti tribuis? Quin expergiſceris, & tui ſtudioſo, tibique ipſi, & patriæ tuæ conſulens, Magiſtratu fungeris? Ad hæc, ut expediret ſe ab importuno hortatore *Confucius* ait; Bene habet; ego ſuſcepturus ſum Magiſtratum.

p. 2. *Confucius* ait : Homines natura & rationis lumine inter ſe mutuò proximè conjuncti, ſtudiis ſæpè moribuſque inter ſe longiſſimè diſtant.

f. 2. p. 1. §. 1. *Confucius* ait : Soli illi qui ipſa cum ſapientia & probitate nati ſunt : Sicut & illi qui ipſa cum ruditate & improbitate nati ſunt, per mutuum commercium haud facilè mutantur.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. *Confucius* die quodam perveniens in oppidulum *Vu chim*, quod *çu yeu* discipulus ejusdem gubernabat; fortè audivit oppidanorum perquam, operosè fidibus canentium symphoniam prorsus ad normam & gravitatem illam Priscorum institutam.

§. 3. *Confucius*, quasi miraretur institui musicam tam gravem, tamque operosam in tam ignobili oppido; leniter tunc subridens, utensque vulgari proverbio, ait: Jugulaturus gallinam, quorsum utaris bovis cultro? Quasi dicat: non capiunt angustiæ loci hujus tantum musices apparatum & majestatem.

p. 2 §. 1. Loci Præfectus, idemque musicæ exercitationis author *çu yeu*, cum existimaret illam seriò improbari à Magistro, Respondit in hunc modum. Olim ego audivi sæpe numero ex te Magistro meo, cùm diceres: Præfectus aliorum, si quidem studiosus sit virtutis ac sapientiæ; utique amat suos, erudit, tuetur, ac fovet. Plebs vicissim exemplo studioque Præfecti sui provocata, pro suo quoque modulo & ipsa studiosa si sit virtutis ac sapientiæ; utique facillimum erit ei imperare & in officio continere omnes.

§. 2. *Confucius* advocatis discipulis suis ait: O vos duo tresve quotquot estis, discipuli mei! hujus condiscipuli vestri *yeu* oratio vera est, & rationi consentanea. Quod ego paulò ante sic locutus sum joci certè & animi gratiâ scilicet, ac tentaturus ipsum feci: neque enim sum ignarus, vigorem illum legum, ad oppida quoque pertinere.

§. 3. Alter ejusdem familiæ *Ki* Regium jus affectantis assecla & Minister *Cum xan fœ jao* dictus, cùm in *Pi* oppido Regni *Lu* rebellio exorta esset, accivit *Confucium* è Regno *çi*, misso ad eundem munusculo. *Confucius* desiderabat eò pergere, quòd speraret adventu suo opitulari se posse periclitanti patriæ.

§. 4. E contrario discipulus *çu lu* non gaudens *Confucium* eò pergere; Magister, inquit, non est quòd pergas, quæ, obsecro, necessitas est hominis istius *Cum xan* familiam adeundi?

f. 3. P. 1. §. 1. *Confucius* quod sciret memoratum *Cum xan* movere arma contra *Ki xi*, suum ipsius Dominum, non autem contra legitimum Regulum Regni *Lu*, respondit: quod hic ultro vocet me, & tanta cum significatione honoris, quomodo sine causâ faciat? Si detur in quo utatur me, quorsum occasionem hanc de afflictâ patriâ merendi bene elabi sinam? Quid si ego ex hoc Regno *Lu* efficiam atque erigam Orientalem, id est, novam, familiam *Cheu* ad normam scilicet Occidentalis?

§. 2. *çu cham* discipulus percontatus est de verâ germanâque virtute *Gin* dictâ ex *Confucio*. *Confucius* respondit: Quisquis novit ac valet perficere ac servare quinque in ordine ad Imperium, is procul dubio præditus est virtute, de quâ quæritur. Hâc rursum discipulus

rogavit, quænam essent illa quinque. Sunt, inquit, *Confucius*, vigilans observatio sui ipsius; amplitudo clementiaque animi; fides atque veracitas; assiduitas ac diligentia; amor ac beneficentia: Quippe si geras te graviter ac maturè semper & ubique, jam non erit qui te negligat aut contemnat; contra verebuntur omnes & colent. Si magni, liberalis, clementisque animi fueris; jam obtinebis omnes, omnium, inquam, studia, amores, voluntates. In verbis factisve fidem si præstiteris, jam homines omnes tibi nitentur securi, tuæque fidei se pariter ac sua committent. Si velox, impiger, & alacriter sedulus fueris in tractandis negotiis, jam habebis res perfectas; & ad exitum perduces optatum. Denique si fueris beneficus & amans tuorum, jam certè sufficiet hæc, ut imperes tuis felicissimè.

p. 2. §. 1. Regnum *çin* sex è primoribus administrabant non sine magnâ rerum perturbatione: Duo quippe illorum *Fan chum*, & *Kien çu* non modò consiliis animisque dissidebant; sed etiam copiis & armis; sub hoc autem magistratum gerens *Pie hie* accivit *Confucium*; *Confutius* desiderabat ire.

§. 2. Discipulus *çu lu* dissuasurus Magistro suo profectionem, sic alebat: quondam *Teu*, id est, ego, audivi ex te Magistro meo, cum diceres: In suâ ipsius personâ agentem improbè vir probus non adit. Veretur enim, ne ex consuetudine ipsius, damnum pariter ac probrum accersat sibi: Nunc vero qui te invitat *Pie hie* unà cum ditione *Chum meu* dictâ molitur rebellionem: quorsum obsecro, tu ô Magister pergas ad hominem ejusmodi?

§. 3. *Confucius* respondit: Sic est, fuit hic mihi quondam sermo tecum. Sed nonne dixi quoque aliquando rem durissimam, eam quidem raro teri nec tamen frangi, atteri & consumi? non item dixi persæpe de re in se candidissimâ, atro colore tingi quidem; intrinsecè tamen non nigrescere, nec amittere unquam nativum candorem.

f. 4. p. 1. §. 1. Ego qui cessare queam inutilis ac iners? Ego quomodo sim magna quædam & amari saporis cucurbita? Qui, inquam, possim, vel sustineam animo cucurbitæ illius instar manere suspensus & immotus, & qui non manducer, pascam neminem, prosim nulli? cæterùm non adivit hominem Philosophus, quod postea intelligeret hominem esse ejusmodi, cui mederi non posset.

§. 2. Ad latus Magistri sui fortè consederat discipulus *çu lu*, studiosior ille quidem laudis bellicæ, quam literariæ. *Confucius* ait: Discipule mi, *Teu*: Num tu audivisti aliquando sex virtutum magis illustrium, nomina? Sex item vitiantia seu obscurantia ipsas virtutes? Discipulus assurgens respondit: nondum audivi.

§. 3. Tu ergo paulisper hic consiste, inquit *Confucius*, quoad ego exponam tibi.

Digitized by Google

§. 4. Qui gaudet ampliſſimo charitatis ſinu complecti omnes, & de nullo non mereri bene, nec gaudet interim diſcere, quis eſſe debeat charitatis iſtius uſus ac modus: hominis hujuſcemodi vitium, in quod ſcilicet ipſa virtus degenerabit, erit ruditas, cæcitaſque, dum ſcilicet cæco impetu benevolentiæ, ceu vento incitatus, ſine judicio vel modo beneficia delaturus ſit. Qui gaudet prudentiâ, ſeu veri perſpicientia, nec gaudet interim diſcere, & indagare atque conſulere; hominis hujuſcemodi vitium erit perpetua quædam ambiguitas & incertitudo fluctuantis animi. Qui gaudet fide, ſeu dictorum conventorumque conſtantiâ & veritate; nec gaudet interim diſcere, tempus & modum ſcilicet: hominis hujuſcemodi vitium erit crebra & gravis offenſio, cum damno vel ſuo vel aliorum. Qui gaudet rectitudine & candore, dolos autem & ambages, & quidquid fictum eſt ac ſimulatum, odit; nec gaudet interim diſcere, quis hîc quoque modus ſervari debeat; hominis hujuſcemodi vitium erunt anguſtiæ coarctati animi & tricæ perquam difficiles, in quas eum nimis candidum & diſſimulare neſcium, cum ſimplicitas ſua, tum fraus aliena conjiciet. Qui gaudet generosè ac fortiter quidlibet agere & pati; nec gaudet interim diſcere, quis virtutis hujus ſit uſus ac modus: hominis hujuſcemodi vitium erit inſolentia, Reipublicæ perturbatio ac rebellio. Qui gaudet adamantino quodam robore animi atque conſtantiâ; nec gaudet interim diſcere, ubi, quando, quomodo, quantâ cum moderatione ſit adhibenda: hominis hujuſcemodi vitium erit ſtultitia & amentia.

p. 2. §. 1. *Confucius* adhortans diſcipulos ſuos ad ſtudium Priſcorum Poematum, ô, inquit, filioli, quare non ſtudetis iſtis Odarum libris?

§. 2. Etenim ſi humi repimus, ſi jacemus inutiles atque inglorii, per odarum documenta, poſſumus erigi quodammodo, & aſſurgere ad verum decus.

§. 3. In odis, velut in ſpeculo, poſſumus contemplari, quid nos maximè deceat; quid rurſum dedeceat: hæc autem contemplando permoveri ſalubriter.

§. 4. Odarum præſidio poſſumus ſociales evadere, & affabiles, & jucundi. Ut enim muſica ſonos aptè temperat, ſic & Poeſis iſta motus & appetitus noſtros.

§. 5. Poſſumus odiſſe ſine iracundiâ vel alterum quemcumque naturæ nostræ ſentire, & tamen citra vitium ſequi.

§. 6. Eadem nos docent, quo pacto domi ſerviamus patri, abſentes verò & procul à domo ſerviamus & Principi.

§. 7. Ad extremum, beneficio illarum, plenam voluptatis, & uberem imprimis notitiam acquirimus de propriis avium, quadrupedum, herbarum, arborumque nominibus, ac naturis.

§. 8. *Confucius* alloquens *Pe yu* filium ſuum ait: Num tu te exercitas in primis odarum capitibus *Cheu nan* & *Chao nan* dictis, quiſquis haud exercitat ſeſe in capitibus *cheu nan* & *chao nam* (inquit) hic ſimilis eſt hominis directâ ad parietem facie conſiſtentis, id eſt, inutilis ad omnia, utpote qui nec uno paſſu queat progredi, nec quidquam rerum contemplari.

Continetur iſtis odis epithalamium Reguli Ven vam, *ſponſæque ejuſdem* Tai gin *virginis à prudentiâ & virtute celebratiſſimæ, quæ mater deinde fuit* Vu vam *conditoris tertiæ familiæ* Cheu, *qui imperare cœpit anno ante Chriſtum* 1122. *Porrò celebrantur laudes utriuſque conjugis, quod primùm quidem de ſuo ipſorum animo virtutibus excolendo ſapienter laboraverint; tum de familiâ rectè inſtituendâ; ac denique de Regni totius ad Septentrionem ſiti adminiſtratione: cujus præclaram normam ad auſtralia quoque regna deinde traduxerint.*

f. 5. p. 1. §. 1. *Confucius*, priſcorum textuum buccinatores hypocritas non ſine quodam ſarcaſmo ferens, quorſum, inquit, illæ tot citationes & mera verba *liber Officiorum ac rituum ait*: *Liber Officiorum ac rituum ait*? Num fortaſſe vaſa iſta pretioſa variaque inſignia dignitatum, & veſtes ſericæ vobis aiunt quidpiam? Rurſum *Muſicorum liber ait*; *Muſicorum liber ait*; ecquis tandem liber? Num æra cassapana, num tympana quid officii veſtri ſit, vobis aiunt? Pulcherrima interim doctrimenta, quorum maximè causâ majores noſtri ritus & muſicam inſtituerunt, vitâ certè, moribuſque non ex primitis.

§. 1. *Confucius* ait: Quiloris externa ſpecie graves, conſtantes, ſeveri ſunt; & tamen intus, in animo, inquam, ſuo mobiles & flaccidi, ii rectè comparantur cum abjectis & improbis quibuſdam hominibus, qui cùm revera nocturni fures ſint; de die tamen gravis honeſtique viri perſonam gerunt: Sic & iſti ſunt prorſus ad inſtar quorumdam vel perforantium, vel tranſilientium parietem nocturnis horis latronum.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Ejuſdem farinæ ſunt cum his, quos dicebam modo, latrunculis nocturnis, ii qui vulgo habentur ab hominibus ruri degentibus probi, ingenui, comes officioſi: & ſpecie quidem tenus ſunt tales, re autem verâ fallaces, malitioſi, callidi, veteratores, vafri, veri denique virtutum latrones, ſeu peſtis atque pernicies.

§. 2. *Confucius* ait: Benè beatèque vivendi rationes ac præcepta de viâ fortè audita, protinùs de viâ proloqui, & auribus vix dum percepta, per os illicò profundere, nequaquam hoc agere, ut ea tibi ipſe primùm applices, quam impertias aliis, virtutis quædam projectio eſt, contemptus, ac repudiatio.

§. 3. *Confucius* ait: Sic qui conditione & moribus viles & abjecti homines

homines quomodo possunt hi servire Principi ac Reipublicæ, quamvis etiam afferant raras facultates ingenii & industriæ.

§. 4. Omninò non possunt: quippe homines hujuscemodi & priusquàm obtineant quod expetunt, anguntur intimis sensibus, donec per fas & nefas id obtineant. Ubi vero jam obtinuerunt; rursus tamen anguntur & discruciantur ne amittant.

§. 5. Atqui ubi timetur amitti, quod sic acquisitum est opum & dignitatum, jam nihil est quò non pertingatur. Nihil, inquam, est tam abjectum, tam turpe, tam iniquum, quod non agant & patiantur.

f. 6. p. 1. §. 1. *Confucius* ingravescentem vitiis morbisque animi ætatem suam deplorans, sic ait: Prisci quidem habuerunt tres maximè morbos, quibus tunc quoque laborabatur; at sic, ut neque graviter, nec à multis: At nunc dici fortasse queat, quòd hi ne existunt quidem; usque adeò scilicet vis mali crevit, ut in naturam videatur transisse.

§. 2. Priscorum morbus erat appetitus quidam immodicus honoris & gloriæ, & ex hoc nata dissolutio quædam, seu neglectus rerum saltem humiliorum, minorisque momenti; & non ampliùs. At hoc tempore appetitus iste, ita vehemens quædam dissolutio est animi, ut fas & jus omne temerè proculcent. Priscorum morbus alter severitas, gravis illa quidem & inexorabilis; non ea tamen, quæ solo timore contenta, amorem prope omnem excluderet. Verum ætatis nostræ severitas, rixosa est; nihil ferè præter odium, rixas, acerbitatem, desperationem, aliasque ex aliis perturbationes parit. Priscorum simplicitas ac ruditas, candida, aperta, & recta: Ætatis nostræ ruditas ac simplicitas, meri fuci, meræ fraudes atque fallaciæ, & præterea nihil.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Affectati sermonis & facundiæ, necnon blandiusculi oris homines, pauci veræ virtutis sunt.

§. 2. *Confucius* inductione quadam similium declaraturus quantò sit damno, & quam digna odiis omnium species oris simulata & assentatricis mendacisque linguæ facundia; sic inquit: Odi colores inter, colorem violaceum, quatenus tollit ac suffuratur quodammodo purpureum qui nativus est; imminuto scilicet ejusdem pretio & amore. Odi similiter Regni *Chim* musicam: perturbat enim & deliciis enervat Priscorum eam, quæ *Ya* dicitur, musicam, verecundiæ, modestiæ, gravitatis magistram. Odi denique acutum illud & malè disertum os, mille fingendi adulandique artibus, instructum. Pessumdat enim, ac funditus pervertit regias domos, nobilissimasque familias.

§. 3. *Confucius* hortaturus suos ad studium taciturnitatis, & ut rebus, factisque potiùs quàm copiosis ornatisque sermonibus insti-

tuant alios; posthàc, inquit, ego velim nihil fari ampliùs.

§. 4. Miratus hanc Magistri vocem *çu cum* discipulus ait: Magister, si quidem posthàc nihil profaris; tum nos discipuli quid discemus, & consequenter aliis referemus? quid posteris impartiemur quando nihil ipsi accipimus?

§. 5. *Confucius* ait: Cœlum quomodo fatur? quâ voce, quâ ratione nos docet ac instituit? Ecce quatuor anni tempestates, ut peragunt cursum suum: ut item universæ res feliciſſimè procreantur. Declarant hæc scilicet & silentio maximè facundo deprædicant arcanum illud principium suum, in quo uno vertuntur omnia. Cœlum igitur, quod rem tam arcanam tam disertè loquitur, quo tandem modo loquitur?

f. 5 p. 1. §. 1. *Ju poi* vir literatus, quem jussu Regis *Ngai cum* (fuit hic duodecimus Regni *Lu*) *Confucius* edocebat ritus funebres, quodam die desiderabat visere *Confucium*: *Confucius* excusavit se, causatus invaletudinem: Dumque jam famulus qui exceperat heri sui mandatum, egreditur cubiculi foribus Id hospiti renuntiaturus: Philosophus sumpsit in manus instrumentum musicum, & cecinit datâ operâ, ut hospes audiret canentem, atque intelligeret, se non ideo quod malè haberet Philosophus, non admitti; sed quod ipsemet nescio quid peccavisset, cujus meritas pœnas hujusmodi repulsa daret.

§. 2. *çai ngo* discipulus Magistrum suum consulit de trium annorum luctu in obitu parentum, quid censeat? Quod enim, inquit, unicus annus, & non amplius, tribuatur luctui, jam diu est.

§. 3. Et meo quidem judicio planè sufficit: etenim si vir gravis ac probus domestico luctu occupatus totos tres annos non fungitur ullis officiis civilibus; officia procul dubio vel ipsâ desuetudine paulatim obliterabuntur ac peribunt. Idem rursus si per tres annos non adhibeat exercitationem musicam; musica procul dubio corruet.

p. 2. §. 1. Quid quod ipsa rerum natura docere nos videtur Luctum, qui major annuo sit, haudquaquam requiri: Plurimarum quippe rerum principium & finis, & ortus & interitus, unius anni spatio definitur. Videmus certè, quòd adulta maturaque seges ubi demessa est, & in horreum collecta vivere quodammodo jam desiit; nova, quæ succedit, seges herbescentem protinùs ostendit viriditatem, quæ nixa fibris stirpium, sensimque coalescens culmo jam erigitur geniculato, & vaginis suis quasi pubescens includitur: quin etiam, prout singulis ferè anni tempestatibus diversa quædam ratio est plantarum & arborum: Ita qui elicitur terebrando lignum per quatuor tempestatum singulas, & ipse mutatur, ignis: Prorsus itaque annuum spatium ad luctum potest sufficere.

Digitized by Google

§. 2. *Confucius* respondit in hunc modum: Veteres quidem officiorum libri ac rituum præscribunt filiis, ut in funere parentum per tres annos vescantur oriza admodùm vulgari & malè purgatâ; potent aquam; cannabinâ veste, asperâ scilicet, humilique utantur. Tu nunc unico igitur exacto anno, quando jam luctum abjeceris, vescens denuò aliâ illâ puriore orizâ, denuo indutus aliam illam vestem sericam & pretiosam, an tu tranquillo eris animo? nonne cruciabit conscientia neglectæ pietatis? Respondet discipulus minimè verò cruciabit: Tranquillo sum futurus animo.

§. 3. Tu, inquit *Confucius*, si quidem hæc faciens tranquillo futurus es animo: fac sanè quod libitum fuerit. Viro quidem probo ac sapienti versanti in luctu ac sordibus propter amissos parentes vescenti licet opiparis ac delicioſis dapibus, non tamen ea dulcescunt ac sapiunt. Idem audiens fortè concentum musicum sic eo non delectatur, atque si non audiret. Idem quamvis molliter ac deliciosè cubans, non tamen ullam capit quietem: tanta pii mœroris vis est; tantum, tamque perenne optimorum parentum desiderium. Quocirca nunquam committet, ut contrahat lugendi spatium à majoribus constitutum: nunc autem tu quando sustines id facere, fac sanè, quod lubitum fuerit.

f. 8. p. 1. §. 1. Discipulo *çai ngo* foras egresso *Confucius* ad reliquos conversus; discipulus, inquit, *Yu* (idem est qui *çai ngo*) non est verâ germanâque virtute præditus, quando statuit tam facilè mores antiquos negligi posse & instituta majorum violari, quæ tamen videntur consentanea naturæ legibus atque rationi. Etenim proles nata & fota jam tres annos, deinceps eximitur è patris matrisque sinu: Quid ergo justius, quàm ut amori trium annorum totidem quoque annorum pietate luctuque liberi respondeant? Hic certè trium annorum luctus & maximè vetustus est, & per Imperium totum vulgatus & usitatus luctus: An fortè *Yu* discipulus perceperit etiam trium annorum curam & amorem ab suis parentibus, uti reliqui mortalium, quod adeò patrocinetur huic novitati & errores tueatur ætatis nostræ?

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Qui ingurgitant sese cibo potuque per totum diem, nec habent quidquam seriæ rei, quo occupent animum, proh quantum hi laborabunt, ut præstent quidpiam homine dignum! At enim nonne datur ludus scacchorum quo se occupent? At saltem qui dant operam istis ludis, ut otium fugiant, vel in hoc uno præ illis certè sapiunt.

§. 2. *çu lu*, ut erat animosus, quærens ait: Vir gravis & eminens suprà vulgus hominum, nonne plerumque primas defert fortitudini? *Confucius* respondet in hunc modum: Eminens vir ejusmodi non fortitudini, sed æquitati justitiæque primas defert. Certè vir gra-

vis ac præstans, si quidem sit instructus robore illo animi corporisque, & interim non instructus sit temperamento rationis & æquitatis; facilè causam præbebit gravissimis Imperii perturbationibus: Uti & plebeii homines habentes simile robur, & carentes moderatrice illâ sui roboris æquitate, nullo negotio rapinas & latrocinia exercebunt.

§. 3. Discipulus *çu cum* aliam instituens quæstionem, sic ait: Vir præstans atque Philosophus, si quidem tenetur studio de omnibus benè merendi; an nihilominus etiam tenetur odio quorumdam? *Confucius* respondet: Tenetur odio. Odit imprimis eos qui vulgant hominum vitia & peccata. Odit eos qui viles & abjecti cùm sint, tamen impudenter ac temerè obtrectant obmurmurantque iis qui superiorem locum & dignitatem obtinent. Odit præterea fortes & animosos, at sine more modoque. Odit item certum quoddam genus hominum sibi stultè placentium, qui perquam tenaces sententiæ suæ, pervicaces, obstinati, quidlibet temerè aggrediuntur, nec rationi dant locum.

f. 9. p. 1. §. 1. His dictis, quæro nunc abs te vicissim, inquit *Confucius*, mi discipule *Su* num præter eos, quos dixi, & tu habes quos oderis? Ait ille: Habeo, suntque triplicis generis: Odi eos qui parùm perspicaces cùm sint, ac intelligentes rerum, tamen acres censores sunt aliorum, idque putantes esse prudentiæ. Odi homines non submissos, & ob superbiam contentiosos, idque reputantes esse fortis ac generosi animi. Denique odi homines qui imprudenter & importunè & exprobrantis in morem alios reprehendunt de vitiis clam cognitis; idque reputant esse candidi, synceri, rectique animi.

§. 2. *Confucius* ait: Solas ferè mulierculas & infimæ conditionis homines, cujusmodi sunt, qui nobis famulantur, perquam difficile est sic tractare, ut tamen contentos habeas. Etenim si propior illis fias per indulgentiam quandam & facilitatem; jam non submisse se gerent, sed insolescent, nec te (uti par erit) colent ac verebuntur. Si te removeas ab eis, nec nisi perrarò cum ipsis agas; idque cum authoritate quâdam & severitate; jam querentur; & odio habeberis uti austerus, illiberalis, inhumanus.

p. 2. §. 1. *Confucius* ait: Quadragenarius qui sit, & tamen propter improbitatem suam, stultitiamque etiamnum appareat habeaturque gravis ac invisus omnibus; hujuscemodi desperata emendatio est, ad finem usque sic perseverabit.

§. 2. Tres hoc paragrapho recensentur Heroës illustres: quorum primus *Vi çu* frater impii *Cheu* (fuit hic vigesimus octavus & ultimus Imperator secundæ familiæ *Xam* & *Yn* dictæ) cùm sæpiùs, at nullo profectu, monuisset fratrem, veritus ne si monere perseveraret, ac-

ret, acceleraret ruinam Imperii, & tyranni furentis rabiè in caput ſuum concitatâ, labentis familiæ ſpes ac reliquiæ penitùs extingue-rentur; tempori pauliſper cedendum ratus, diſceſſit ab aulâ. Alter *Ki çu* dictus, & ejuſdem tyranni patruus, quod eum crebrò quo-que monuiſſet officii ſui, in carcerem detruſus eſt, & redactus in ſervitutem, qui cùm metueret, ne gravius quid de ſe ſtatueretur; amentiam callidè ſimulavit; itaque vir tantus petulanti multitudini amentis inſtar ludibrio aliquamdiu fuit. *Pi can* denique alter tyran-ni patruus eundem reprehendit & objurgavit, ſed & periit.

Hic enim, cum nepotis inſolentiam & crudelitatem ferre diutius non poſſet, ac videret jam peſſum ire omnia; pauliſper ſecum ipſe deliberans tandem; ſatius eſt, inquit, mori, quàm diutius diſſimulando & in Re-gem & in patriam peccare: Omnino dicenda veritas eſt, licet odium & exitium paritura. Non audiet tyrannus? At audiet patria, audiet poſte-ritas omnis. Hoc dicto progreſſus in conclave Regium, patriâ cum authori-tate nepotem admonet; reſipiſcat tandem aliquando; ſibi conſulat; ſuiſ-que. Minas addit, procul dubio futurum ut, expetente pœnas ipſomet cœ-lo, amittat Imperium cælitùs collatum. Quocirca expurget animum flagi-tiis inquinatum; revocet abjectum pudorem; revocet jura & leges; ſic enim placari cœlum poſſe, & decretum, quod in ipſum jam ſanxerit, revocari. Hæc ille. Sed tyrannus veritatis impatiens, & monitione ipsâ jam efferatior, innocentem & patruum, & tunc maximè utilia ſuaden-tem, non ſine probro ludibrioque perempturus, ad circumſtantes proceres convertens ſeſe; Pi can iſte; ſi neſcitis, inquit, ſanctum ſe eſſe arbitra-tur: Ego autem audire me nemini, quod cordi cujuſque viri ſancti fora-mina ſint omnino ſeptem: Explorare nunc juvat, an ita res habeat. Hæc effatus, in ipſo veſtigio contrucidari patruum juſſit, & adhuc ſpiranti cor extrahi.

§. 3. Agens porrò de tribus hiſce *Confucius* dicebat: Familia *Yn* ſeu *Xam*, habuit omnino tres raræ fidei, conſtantiæ, pietatis viros.

§. 4. Eximius ille vir *Lieu hia hoei* agens in Regno *Lu* judicem cauſarum criminalium iterum ac tertio dejectus fuit de illâ digni-tate. Quodam igitur ſic dicente: In hâc perturbatione tantâ re-rum, bone vir, an necdum jure poſſis renunciare tuo muneri, & hinc aliò migrare? Reſpondit ipſe: Ego rectam viam normamque teneo, & ſecundùm hanc ſervio Regi & hominibus: Sed enim quò tandem commigrabo infelix, ubi fides, integritaſque non ſentiat horum temporum calamitatem? Atque adeò ubi non tertiò ac ſæ-piùs meâ dignitate priver? Quod ſi induxero in animum, turpiter ſervire tempori, ſi perversâ quâdam ratione ac viâ ſerviam homini-bus; quorſum opus eſt, obſecro, diſcedere ex patrio regno?

f. 10. p. 1. Regni *çi* Princeps *Kim cum* nomine excepturus *Con-fucium*, deliberans cum ſuis quo maximè ritu exciperet, ſic ait: Quod

Digitized by Google

attinet ad Præfectum *Ki xi*, id eſt, ad apparatum, quo hunc Regni *Lu* Princeps nuper excepit, utique ego non poſſum imperare mihi ut pari utar. Medio quodam ritu inter dictos *Ki* & *Mem* excipiatur. Quod attinet interim ad doctrinam ipſius, inquit, & inſtituta; ego jam conſenui, non poſſum illis uti. *Confucius* ubi hoc cognovit, deſperans aliquod operæ ſuæ pretium, inſalutato Rege protinus diſceſſit.

p. 2. §. 1. Regni *çi* homines dono miſerunt Regi *Lu* puellas cantatrices. *Ki huon çu* Regni Præfectus admiſit. Triduo Rex non prodiit in conſpectum. *Confucius* diſceſſit. Prætoris officio fungebatur Philoſophus in patrio Regno anno 14. *Tim cum* Regis undecimi; eo quidem ſucceſſu, ut exactis vix tribus menſibus, jam novus eſſet legum vigor & obſervantia. Atque ita factum eſt ut Regnum *Lu* æmulo finitimoque *çi* Regno formidabile jam redderetur. At Rex & proceres Regni hujus nova illa ditionis æmulæ firmamenta per inſidias & quaſi cuniculos ſubruturi, puellas octoginta formæ perelegantis, omnique luxu & opulentia conſpicuas; equos item centum & viginti, cum variis inſtrumentis muſicis Regni *Lu* Principi dono mittunt. Captus eſt inſidiis tam illecebroſis, Regni Præfectus; & in eaſdem protinùs conjecit incautum Principem. At hunc uſque adeò puellarum iſtarum forma, vox, gratia cepit ac dementavit, ut ſui immemor, Regnique tertium jam diem à conſpectu ſuorum, & jure dicundo abſtineret. Quod ubi *Confucius* animadvertit, certus non ſervire Principi, qui tot illecebris ſerviret; abſceſſit indignabundus.

§. 2. Literâ *Fum* avem ſolis denotat, nos hic vocabimus aquilam Sinicam; auſpicatiſſima quidem, uti ferunt, avis eſt, & jam ab ipſis Monarchiæ exordiis habita fuit venturæ felicitatis nuntia. Homo quidam Regni *çu*, quo *Confucius* diverterat, ſpecie quidem mentis inops (ut enim lateret feliciùs, amentis propè ritu in plateâ quandoque cantillabat) re autem verâ Philoſophus, cui *çie ju* nomen erat, cantillans & præteriens *Confucium*, qui curru ſuo tunc fortè vehebatur, ſic ait: O aquila! ô aquila! (vox eſt vehementer exoptantis id, cujus nuntia ſolet eſſe aquila.) Ah quantus hoc tempore virtutis languor eſt! errata præterita non poſſumus redarguere & corrigere; ex præteritis autem futura adhuc poſſumus per conjecturam attingere. Deſiſte, ſi ſapis, ô *Confuci*, deſiſte! Hoc tempore qui adminiſtrant Rempublicam, periclitantur.

f. 11. p. 1. §. 1. Cognovit illicò perſonatæ ſtultitiæ ſapientiam *Confucius*: hec mora, deſilit de curru, vehementer deſiderans cum eo colloqui. At profugit ille & ſubduxit ſe *Confucii* oculis; qui adeò non potuit cum eo loqui.

§. 2. Revertebatur olim *Confucius* è regno *çu* in Regnum *çai*:

Digitized by Google

dumque veheretur curru unà cum discipulo suo *çu lu*, qui & ipse currûs erat auriga, fortè obvios habuerunt duos Philosophos ex Regno item *çu* oriundos, & eodem, quo superior ille, consilio tædioque miserrimorum temporum latitantes. *Cham ciu* & *Kie nie*, illis nomen erat: Agriculturæ dabant operam, & desertos nescio quos agros simul tunc arabant. *Confucius* aliquantulum illos prætervectus jussit discipulum *çu lu* exquirere ab eis vadum proximi fluminis, quod transeundum erat.

§. 3. Alter illorum *Cham çiu* percontans à *çu lu* ait: Iste qui regit ibi currum ecquis est? *çu lu* respondit: Est *Cum kieu*. Num est, inquit, iste è Regno *Lu* oriundus *Cum kieu*, seu, *Confucius*? Respondet: Est ipse. Ait Philosophus: Ipse novit vadum fluminis, qui viam hanc itque reditque toties: Quorsum percontari te jubet?

§. 4. Discipulus accepto responso tam mordaci percontatur ab altero *Kie nie* nominato, quâ parte sit vadum fluminis. *Kie nie* vicissim percontans ait: Fili, tu quis es? Respondit: Ego sum *Chum yeu* (nomen alterum ipsius *çu lu*) Philosophus, tum an tu inquit, es fortasse oriundi è Regno *Lu* Philosophi, cui nomen est *Cum kieu*, discipulus? Hic intellexit *çu lu* virum esse sapientem quî cum loquebatur. Itaque respondens ait: Sum planè. At ille damnaturus studium Magistri pariter ac discipuli, sic ait: Torrentis in morem præcipites sic ruunt Imperii res pariter omnes: Et quisnam afferat mutationem, & quasi refluxum in statum pristinum? Enimverò præ hoc quod agis, sectari scilicet fugientem homines Magistrum (fugientis enim ritu sedem mutat assiduè) quantò satius foret te sectari fugientes sæculum Philosophos? Hæc fatus occabat semen, nec cessabat ab isto opere: Transitum autem fluminis nec ipse indicavit.

p. 2. *çu lu* discessit de his certiorem facturus Magistrum suum: *Confucius* altè suspirans ait: Aves & quadrupedia non possunt in eodem simul loco congregari. Sed ego si non his ætatis meæ hominibus me sociem; cum quibus tandem me sociabo? Imperio pacato ego non ero necessarius ut afferam mutationem.

Planè sic res habet (verba Colai sunt suo ipsius, non jam Philosophi nomine loquentis) Viros sanctos ac sapientes Cælum procreat, eo maximè consilio, ut quamplurimis emolumento sint ac saluti. Sic olim magni illi Reges ac Fundatores Imperii nostri communem populi calamitatem suam esse reputabant: fames enim, & inopia, quâ subditi quandoque laborabant, nullos æquè ut ipsos cruciabat; quò ardentiori etiam studio contendebant nervos omnes ingenii industriæque suæ, ut publicæ calamitati quàm citissimè possent, mederentur. Infelicem patriam, miserum genus humanum, si doctrinam, seu verius desperationem ac socordiam istorum Philosophorum sequi par fuerit.

f. 12. p. 1. §. 1. *çu lu* dum una cum Magiſtro iter facit, eumque lentiori fortè gradu ſequens aliquanto poſteriùs, ac retro manet; evaſit alter repentè extra conſpectum diſcipuli: Qui dum hæret incertus, quam viam tenuerit; obvium habet ſenem ſupenſam ex baculo portantem fiſcinam; quem *çu lu* percontans ait: Bone vir, num fortè vidiſti Magiſtrum meum? Senex ad quæſitum nihil reſpondens, ſed eum gravi oratione caſtigaturus ſic ait: Tu quidem, bone juvenis, vagus & otio diffluens, uti video, corpus non habes duratum labore, dum ego interim id ætatis homo Agriculturæ do operam: Quâ tu neglectâ quinque frugum ſpecies quamvis notiſſimas fortaſſe ne diſtinguis quidem, ignarus quid phaſeolos inter & milium, triticumque diſcriminis ſit. At tu quem Magiſtrum tuum mihi prædicas? Quis eſt ille Magiſter tuus? His dictis, humi defixit ſuum baculum, & agrum purgabat, herbas inutiles eradicans.

§. 2. *çu lu*, qui ex ſermone illo habituque totius oris & corporis, occultam latentis Philoſophi ſapientiam cognoverat; non modo nullum ſuboffenſi animi dedit indicium; ſed curvatis in arcum ante pectus manibus honorem exhibens (uti mos eſt gentis hujus,) deinde cum inſigni quâdam modeſtiæ obſervantiæque ſignificatione conſtitit.

§. 3. Specimen hoc animi tam ſedati, & indolis tam ingenuæ admiratus eſt ſenex, atque adamavit. Deduxit itaque domum ſuam ibique detinuit ipſum *çu lu* ut pernoctaret: occidit gallinam, inſtruxit cœnulam, & inemptis dapibus refecit hoſpitem: Deinde produxit in conſpectum ſuos duos filios majorem & minorem natu; qui pro ſuo quiſque ætatis gradu comiter ac ritè hoſpitem ſalutarent.

§. 4. Illucente poſtero die *çu lu* diſceſſit ut de omnibus certiorem faceret *Confucium*. *Confucius* auditâ totius rei ſerie, procul dubio, inquit, unus eſt de numero ſapientum, ſed occultus eſt ſibique vacans. Juſſit ergò diſcipulum *çu lu* reverti & reviſere ſenem. Ivit, pervenit ad ejus domum: ſed jam ſenex diſceſſerat.

§. 5. *çu lu* Magiſtri ſui mentem, & de occultis illis ſapientibus ſententiam poſteris expoſiturus, ſic ait: Non gerere Magiſtratum etiam hoc ſtatu rerum, miſerrimoque tempore, ſi modò ſis idoneus ad gerendum, nec fas nec ratio ſinat. Enimvero ſi duorum fratrum majoris ac minoris natu ordinem, mutuumque jus in fortuito naſcendi tempore fundatum nefas eſt violare (alludere videtur ad id, quod paulo ante ſpectaverat in domo ſenis Philoſophi) Regis ac ſubditi mutuum jus ac officium, quo tamen pacto id violabitur? Deſiderant quidem boni iſti viri conſulere integritati innocentiæque ſuæ perſonæ, ut aiunt: At non conſiderant interim quod perturbant

bant violantque magnum illum generis humani ordinem arctissimumque vinculum, quo subditi suo Principi (maximè dum is periclitatur) & cives laboranti patriæ obstringuntur. Idcirco vir probus ac sapiens perturbatis quoque rebus vel maximè Rempublicam gerit, & explet suum probi civis munus; hoc ipso quod mos patrius ac leges non vigent, jam intelligit hoc, quod modò dicebatur, civis probi ac sapientis munus, quod scilicet est sucurrere patriæ etiam cum capitis discrimine, nec senum istorum more sedere otiosos spectatores ruinæ publicæ.

f. 13. p. 1. §. 1. Recensentur hoc paragrapho septem occulti sapientes qui dignitate vel amissâ, vel ultrò etiam abjectâ, privatam vitam duxerunt; non omnes quidem eodem vel modo, vel consilio; sapienter tamen & cum laude. Fuerunt autem *Pe y, xo çi, yu chum, y ye, chu cham, lieu hia hoei*, & *xao lien*.

Confucius ait: Qui neutiquam demiserunt suum liberæ invictæque mentis propositum, qui neutiquam dedecorârunt suam personam, fuerunt duo fratres *Pe y*, & *Xo çi*. Si loquamur de *Lieu hia hoei* & *Xao lien*; demiserunt hi quadamtenus suam libertatem & arbitrium; dedecorârunt (alienâ quidem injuriâ) personam suam. Verba tamen ipsorum respondêrunt rationi: facta respondêrunt votis hominum: Hæc isti, & nil aliud.

§. 3. Rursus si loquamur de *Tu chum*, & *Ŷ ye*, occulti degebant hi quoq; liberiùs loquebantur: Persona tamen ipsorum attingebat puritatem, abjecti licet in speciem attingebant tamen cordis æquilibrium.

p. 2. §. 1. Ego verò sum diversus ab his; quippe nil habeo quod semper probem, nil item quod semper improbem. Horum omnium itaque finis erat idem; diversa media, idem terminus, viæ diversæ. Non illos ego condemno: laudo potiùs: imitari tamen haudquaquam volo, servio tamen & loco, & tempori, & populo, & Principi; quatenus hæc omnia, ubi quid aut agendum est, aut omittendum, consulo, meque omnibus, ut bene merear de omnibus, quoad fieri potest, accommodo.

§. 2. Magnus Magister Musices, cui *Chi* nomen, migravit in Regnum *çi*. *Alibi jam diximus, quantum politica hæc Monarchia Priscis maximè temporibus, tribuerit musicæ, seu verius, ei doctrinæ & institutioni, quæ numeris illigata musicis, temperata deinde varietate sonorum, ad animos audientium penetrabat. Quid multa? concidisse musicam, & concidisse jam Regnum, idem propè erat. Hîc certè, quo constaret omnibus Regnum* Lu *jam esse ruinæ proximum; nihil aliud, quam cessatio musicæ, & fuga Musicorum describitur; qui à familiis potentiâ insolescentibus exauthorati, & privati censu suo, alias alii ditiones & Regna petivêre.*

§. 3. Qui secundæ mensæ seu refectionis Regiæ musicam regebat, *Can* nomine, migravit in Regnum *çu*. Qui tertiæ refectionis, *Leao*

nomine, migravit in satrapiam *çai*. Qui quartæ refectionis, nomine *Kive*, migravit in Regnum *çin*.

f. 14. p. 1. §. 1. Qui grande tympanum pulsabat *Fan xo* nomine, ingressus est in ditionem ad flumen *Hoam ho* sitam.

§. 2. Qui pulsabat parva tympana, *Vu* nomine, ingressus est in ditionem *Han chum*.

§. 3. Secundus, seu minor Regiæ musicæ Præfectus, *Tam* nomine: Item alter qui pulsabat instrumenta lapidea, *Siam* nomine (eratque idem ipsiusmet *Confucii* Magister in musicis) ingressus est in mare, id est, insulas vicini maris.

§. 4. *Cheu cum* inter Principes Sinicos famâ sapientiæ vix ulli secundus, alloquens filium suum *Pe Kin* Regni *La* satrapam jam creatum, eòque propediem profecturum præceptis maximè necessariis præmuniens sic aiebat: Vir Princeps ac sapiens non aspernatur abjicitve suos consanguineos & affines; Non reddit idem præcipuos administros Regni sui alienos ab se, justæ offensionis odiique causam præbens, quod eis non utatur; repente scilicet eos privans dignitate suâ; vel ob exigua quæpiam peccata, vel certè nulla eis facti sui, & pœnæ tam gravis datâ ratione; offensiones, inquam, hujusmodi vitat prudens: Intelligit enim malè consultum iri toti corpori, cujus capiti cum membris suis haud conveniat. Familias nobiles ac pervetustas, nisi fuerit gravis & atrox causa, certè non abjicit; sed quotquot ex illis ad gerendam Rempublicam sunt idonei, haud cunctanter admovet Reipublicæ: qui verò idonei non sunt; suo tamen censu propter majorum merita potiri sinit. Sapiens Rex non hoc exigit, ut omnia præsto sint in uno eodemque homine; sed onera cujusque viribus prudenter accommodans, suos haud secus ac vasa tractat, alios ex aliis usus pro singulorum capacitate petens.

Extant in annalibus alia ejusdem Principis præcepta, quibus instruit eundem filium suum; ut ferat magno animo obmurmurationes suorum, & obtrectationes; & seriò circumspiciat seipsum, ac disquirat, an eis causam fortè præbuerit; detque operam ut æquitate suâ, patientiâque, & vitæ imprimis innocentiâ, quamvis infestos animos malè de se loquentium mitiget, sibique obstringat. Ut item constitutus in illo fastigio, summopere sibi caveat ab elatione animi, & fastu, & vanitate; sibique ipse vigilanter attendat, non sui tantùm causâ, sed totius satrapiæ, cujus caput sit. Vehementiores denique stimulos à suo ipsius exemplo subditurus; scis, inquit, fili mi, quod ego Ven vam *Regis sum filius, quod idem* Vu vam *Imperatoris frater, quod patruus ac tutor* Chim tam *Imperatoris: & tamen cum talis sim ac tantus, non dubitavi ter uno die ex balneo, ubi fortè corpus curabam, prosilire, soluto etiamnum capillo, & inter eandem refectionem ter ad signum quod dabatur, à mensa surrexi, non alia*

de cauſa, quàm ut morum vel querelis vel poſtulatis aures præberem.

p. 2. §. 1. Imperatoria domus familiaque *Chen*, quo tempore potiebatur rerum, eratque florentiſſima, habuit octo ſapientes, omnes fratres, nec modò germanos, ſed etiam gemellos, quos mater quaterno ſcilicet partu, & eo ordine, quo hic geminis ſinguli literis nominantur, enixa fuit: quodque vehementer auget miraculi hujus raritatem; dicuntur omnes omnino iis inſtructi fuiſſe naturæ dotibus, eâ gravitate morum, & integritate vitæ, ut inter ſapientes ætatis ſuæ, facile cenſerentur Principes. Si nimirum res habet; quotieſcumque cœlum pacandis & inſtaurandis Imperii rebus Reges ſubmittit ac Principes; adjutores etiam Principum, qui horum conatus, induſtriâ, virtute, ſapientiâque juvent, benignè ſubmittit: Nomina dictorum ſapientum: *Pe ta, Pe quo, Chum to, Chum ho, Xo ye, Xo hia, Ki ſui, Ki va.*

LIBRI TERTII

PARS DECIMA

Fol. 1. p. 1. paragr. 1.

DISCIPULUS *çu cham* aiebat: Vir gravis ac ſapiens videns grave periculum regni, familiæque Regiæ, ſine ulla cunctatione exponit vitam pro ſalute publicâ: Idem verò videns lucri occaſionem, ſecum prius ipſe reputat, quid jus & æquitas ſinat: Idem ſacris dans operam, memor eſt venerationis ac reverentiæ: denique in funere & exequiis memor eſt luctûs & commiſerationis. Hujuſmodi dignus eſt ſuo ſapientis nomine, nec aliud requiritur.

§. 2. *çu cham* aiebat: qui arripit quidem virtutem, eique dat operam, ſed non amplè, ſed carptim, exili ſtudio & conatu, exiguum (ut ita loquar) anguſti pectoris vaſculum afferens: Aures item, & fidem qui præbet documentis ac diſciplinis optimis; at non eâ cum firmitate vel conſtantiâ, quâ par erat, quolibet opinionum vento flatuve commotus vacillet ac fluctuet. Hujuſmodi qui ſit, quomodo poſſit cenſeri, eò quod exiſtat ipſe, accedere quidpiam huic mundo? & quomodo rurſus poſſit cenſeri, eò quod non exiſtat ipſe, decedere quidpiam huic mundo?

p. 2. §. 1. *çu hia* & *çu cham* ambo diſcipuli erant *Confucii*, celebres

imprimis ; opinionibus tamen & vivendi ratione discrepabant. *çu hia* quidquid agebat, agebat perquam seriò, sedulò, constanter ; gradu suo, partisque opibus contentus. Contrà *çu cham* quietis & mediocritatis impatiens ad altiora semper adspirabat. Illius ergo, cui *çu hia* nomen erat, discipuli quodam die instituerunt quæstionem de amicitiâ apud *çu cham*. *çu cham* percontans ipsos ait : *çu hia* Magister vester ecquid docet, quid ait ? Respondent illi ; *çu hia* Magister noster ait : Cum iis qui digni sunt amicitiâ, quia scilicet recti sint, synceri, amantes discere, & tales vicissim à quibus ipse discas, conjungere quàm volueris arctissimo vinculo amicitiæ : Eos verò qui non sunt digni illâ, quod nec tibi possint, nec sibi velint esse utiles, procul abs te remove. *çu cham* hæc audiens ; miror, inquit, ea quæ dicitis ; vehementer enim discrepant ab his, quæ ipse quondam audivi ; quod nempe vir sapiens studiosè colit sapientes, & amplissimo quodam charitatis sinu admittit reliquos omnes, & benignè complectitur ; exornat & extollit eos qui egregiis sunt instructi dotibus, & miseratur imbecilles, quos erigit jacentes, & consilio opibusque sustentat ac roborat. Qualescumque ergo sint alii, & qualiscumque sim ego ipse ; neminem unquam velim repellere. Ego fortè sum magnus sapiens ? De hominibus ecquis erit quem non admittam & complectar ? Ego contrà non sum unus de sapientibus ; sed è vulgo homo rudis ac tenuis ? tunc certè alii facilè, nec injuriâ repulsuri sunt me, & neglecturi : quorsum igitur illa repulsio mea aliorum hominum ? quâ fronte, qui ipse despicabilis sim, despicatui quemquam habeam ?

§. 2. *çu hia* discipulus ait : Quamvis exilis ars atque ratio ad res maximè vulgares & exiles, ex. gr. Agriculturam & exercitationes mechanicas accommodata, omnino tamen habet spectabile quid & dignum quod observes & discas. At si extendere volueris eamdem deinde exilitatem & accommodare ad res sublimes & remotas à vulgo, ex. gr. Administrationem Imperii, familiæque Regiæ ; vereor ne tunc protinùs velut in luto hæreas, nec quidquam proficias. Quocirca vir sapiens idemque gerendæ Reipub. jam admotus non tractat res hujusmodi.

§. 3. *çu hia* ait : Vir in dies diligenter exquirens, ac probè intelligens sibi quid desit ; Similiter singulis mensibus memoriam refricans eorum quæ didicit, adeoque nihil oblivisens eorum quæ ipse semel percepit, potest dici Philosophus : nec amplius requiritur.

§. 4. *çu hia* ait : Improbo quodam discendi studio complecti scientias omnes & firmam, synceram, integramque voluntatem afferre : Ad hæc, ubi dubii quid oritur, diligenter & accuratè consulere peritos, ac denique apud animum suum intimè perpendere seu rumi-

nari

nari arcanas ſolidaſque veritates : quis non videt quod ipſa virtus jam ineſt his ipſis exquirendæ virtutis conatibus, maximè cum quod exquiritur, exquirentis animo ſit innatum, cælituſque impreſſum?

§. 3. *çu hia* ait: Omnes artifices, & mechanici, degunt in ſuo quiſque foro, ut hâc ratione utiliter & commodè perficiant ſuum opus. Similiter Philoſophus in virtutis ac ſapientiæ ſcholâ conſtitutus, aſſiduè ſtudet ac diſcit, ut perficiat ſuam illam, cui totus vacat, virtutem; artifici quamvis ignobili meritò poſtponendus, ſi propter inconſtantiam inertiamve non perficiat ſuum opus.

p. 2. §. 1. *çu hia* ait : Stulti improbique quod peccatum eſt, haud dubiè recti honeſtique fucata ſpecie cohoneſtant; quò licentiùs ſcilicet, ac magis impunè in eodem perſiſtant.

§. 2. *çu hia* ait : Vir probus ac ſapiens, cum ſui ſemper ſit ſimilis, habet tamen, ſeu veriùs, habere aliis videtur tres mutationes: Eminus eum contemplantibus admodùm gravis ac ſeveri eſt inſtar, ſic ut arceat ipſos quodammodo ſpecies illa ab acceſſu propiori: Fidenter interim propiùſque accedentibus talis apparet illicò qualis reverà eſt, facilis, affabilis, benignus; audientibus verò deinde ipſius ſermones, adeo rectos, & ab omni fuco, falſique ſpecie tam alienos, jam rurſus ſeverus, non nihil, rigiduſque apparet.

§. 3. *çu hia* ait: Quiſquis gerit Rempublicam & adminiſter eſt Principis, vir ſit ſpectatæ fidei, ac deinde fidenter quidvis oneris imponat ipſi populo. Quod ſi necdum vulgo famam ejuſmodi fidemque obtineat; tum ſi quid oneris impoſuerit, populus hoc ipſo cenſebit divexari ſeſe. Similiter notus jam à fide tuâ, tum deinde fidenter moneto Principem: Audiet is monentem, colet, diliget. At ſi necdum fidelis audias, quia reverà talis non ſis; tum quamvis optima monentem, tamen averſabitur, & hoc ipſo cenſebit non tam monere, quàm calumniari te illum.

f. 3. p. 1. §. 1. *çu hia* ait : In majoris momenti rebus, iis ſcilicet, quarum maximè præſidio conſervatur humana ſocietas; & in quibus velut cardinibus officia quæque majoris momenti vertuntur, ex. gr. Filiorum officiis adverſus parentes, ſubditorum adverſus ſuum Principem, neutiquam tranſiliamus limen, ſeu ordinem, modumque à naturâ & legibus conſtitutum : At in minoris momenti rebus, & quæ majoribus illis famulantur quodammodo, conſiſtere ultra citraque limen quandoque : poſſumus in his, inquam, ſuus datur epikeiæ indulgentiæque locus, tunc maximè, quando peccantis ruditas diſſimulationem meretur ac veniam : Neque enim hoc ſenſiſſe exiſtimandus eſt diſcipulus, quod in eo, qui ſapientis nomine glorietur, tolerari vel nævus poſſit, aut ignorâſſe pervetuſtum illud ætatis priſcæ proverbium, vitanda eſſe minima, ne maxima amittantur : cui etiam conſonat præclara libri *Xu kim* ſententia, *Pu kim*

ſi him, chum lui ta te, negligere minora, tandem aliquando damno eſt magni momenti rebus.

§. 2. *çu yeu* ſugillans diſcipulos amici ſui *çu hia* quod minoris momenti rebus admodùm intenti, de cardine ipſo rerum ac fundamento minùs viderentur laborare, ſic ait : *çu hia* familiaris mei diſcipuli adoleſcentiores, cum officia obeunt propria ſuæ ætatis, nempe, aſpergendi ſolum aquâ, verrendi, reſpondendi ultrò citrò-que, ingrediendi, egrediendi; equidem ſatis benè obeunt. Sed enim minoris momenti hæc ſunt, & foliorum inſtar, ac floſculorum : radix verò & fundamentum deeſt. Quî hoc ?

§. 3. *çu hia* hæc fortè audiens ait : Proh quantum *Yen yeu* (idem eſt qui *çu yeu*) hîc aberrat, dum exiſtimat me radice neglectâ de foliis dumtaxat laborare. Ab infimis, maximèque facilibus conſultò ordior; ad altiora deinde, magiſque ardua facturus gradum. In ſapientis enim ſuos inſtituendi modo ac ratione ecquid tandem certum fixumque ſit, quod primo loco tradatur, ecquid deinde & ſecundo loco in modo dictâ inſtitutione operoſiùs inculcetur ? Omnino ſcilicet prudentis eſt Magiſtri diligenter exquirere, quid ferre valeant diſcipulorum ſuorum humeri, quid ferre recuſent : Quid ætas ſingulorum, quid vires ingenii capiant; ac deinde ſingulorum facultati attemperare inſtitutionem ſuam. Quemadmodum varii generis herbæ & plantæ pro ſuis quæque ſpeciebus propriiſque virtutibus ab earum perito perquam aptè varios ad uſus diſtinguuntur; & deinde cum inſigni utilitate applicantur. Operam certè ludam, & me fallam, meoſque, ſi non exploratis primùm cujuſque viribus, temerè quidvis docuero, & difficillima quæque necdum maturis importunè obtruſero. Sapientis Magiſtri ſuos inſtituendi ratio qui poteſt ſic ludi & illudere ? Simul complecti principium, & complecti finem ſeu radicem, & quidquid ex ea prognaſcitur, id ſolius eſt Sancti proprium; cui ſcilicet unà cum vitali ſpiritu ſapientia cælitùs eſſet infuſa : cujuſmodi quidem nec me in docendo, nec diſcipulos in diſcendo eſſe profiteor.

f. 4. p. 1. §. 1. *çu hia* ait : Admotus eſt quiſpiam rebus curiſque publicis, & tamen inter has habet affatim otii ac virium, ut ſtudiis vacet, omnino vacet is ſibi ſtudiiſque ſuis, & partas opes ingenii ac prudentiæ ex monumentis veterum optimiſque diſciplinis continenter augeat. Rurſum vacat ſtudiis quiſpiam, & jam affatim facultatis ac virium adeptus eſt, ut Magiſtratum gerat; tum nihil cunctatus Magiſtratum ſuſcipiat, & privatas opes ingenii induſtriæque in communem patriæ utilitatem expendat.

§. 2. *çu yeu* ait : Juſta dum perſolvuntur mortuis, maximè quidem parentibus; pius filiorum luctus penitus exerat ſe in vehementi quâdam commiſeratione intimoque ſenſu animi lugentis ac deſi-

Digitized by Google

derantis amissos parentes, & sistant hîc filii, nec magnopere laborent, tametsi ad luxum & apparatum ætatis nostræ, in quo sæpe plus est vanitatis, quàm pietatis, copiæ non suppetant.

§. 3. *çu yeu* ait: Meus sodalis *çu cham* ad perficiendas res arduas ac difficiles, habet ille quidem & animos & facultatem; verumtamen necdum præditus est interna solidâque virtute, ex quâ tamen laus omnis veri roboris peti debet?

§. 4. *çem çu* ait: Quàm magnificè gravis est totius oris corporisque habitus amici mei *çu cham*; sed vel ideò perquam difficile est unà cum illo exercitare internam solidamque virtutem, sic ut vel ipse ex aliis, vel alii vicissim ex ipso proficiant: quid enim adjumenti mutui ad interiorem animi cultum speretur, quando magis videtur laborari de ostentatione quâdam virtutis, quàm de virtute ipsâ.

p. 2. §. 1. *çem çu* ait: Ego quondam audivi ex Magistro meo, vulgò quidem inter homines non esse quemquam qui penitùs exhauriat vires animi sui in exercitio virtutis cujuspiam. Quod si datur ejusmodi, reverà datur in parentum luctu & funere.

§. 2. *çem çu* ait: Ego quondam audivi ex Magistro meo, cùm diceret: *Mem chuam çu* Præfecti Regni *Lu* præclaram pietatem & obedientiam, quam in obitu parentis sui *Hien çu* item Præfecti luculenter est testatus, eam alius quispiam poterit etiam præstare & imitari; Hoc unum tamen quod ipse non immutaverit patris sui Ministros ac subditos, quibus is pro officio usus fuerat; uti etiam quod non immutaverit patris sui gubernandi rationem: Hoc, inquam, perquam difficile est præstare.

§. 3. *çem çu Confucii* discipulo septem quoque fuêre discipuli; *Mem xi* Regni *Lu* Præfectus jusserat unum illorum *Tsam fu* dictum agere judicem criminum & Præfectum custodiæ publicæ: Consuluit hic igitur Magistrum suum *çem çu*, quâ ratione gereret injunctum sibi munus. *çem çu* respondit: Hoc tempore superiores Magistratus, quos oporteret optimis exemplis prælucere cæteris, passim deflexerunt à propriâ ipsorum recte vivendi & gubernandi viâ ac normâ: Populus igitur quod item aberret, quod dispergatur studiis sententiisque malè distractus, jam diu est. Si ergò, dum causas & crimina singulorum examinas, compereris ea hoc modo se habere, id est, si tibi constiterit de naturâ causisque criminum, quæ vulgò committuntur; tum licet, qui rei sunt, non possint non plecti, semper tamen utere commiseratione & clementiâ, & nequaquam lætare, quasi placens tibi ipse (ut Colaus exponit) qui latentia miserorum crimina callidè detexeris: Sed memor esto, non omnem culpam penes ipsos esse; utpote quibus ignorantia sua, nec non superiorum prava exempla fraudi fuerint.

Tria omnino millia criminum esse docet alibi Confucius; *quibus sua*

prò cujuſque gravitate decreta ſint ſupplicia. Celebris eſt Xun *Imperatoris moderatio & clementia, quâ præſidibus populi alia atque alia dans præcepta, concludit identidem his verbis :* Gueî hîm ſiò çâi, *id eſt, eos, à quibus pœnas exigitis, miſerari vos volo. De his vide poſtremum librum* Xu kim *ſub titulo* Liu hîm, *quem mille trecentis circiter poſt annis conſcripſit* Liu *Regulus, juſſu Imperatoris* Mo vam *ex familiâ* Cheu *quinti, qui regnare cœpit anno ante Chriſtum 1001.*

f. 5 p. 1. §. 1. *çu cum* ait : *Cheu* ultimi ex familia *Xam* Principis improbitas quamvis reverà crudelis ac libidinoſi, haud fuit tamen uſque adeò gravis & inaudita, ut non perſimilis & aliorum extiterit : & tamen quotieſcumque de graviori quopiam crimine ſermo eſt, unus ferè *Cheu* protinùs in exemplum adducitur, & quaſi reus omnium ſcelerum, linguis omnium hodieque vapulat, non aliâ ſcilicet de causâ, quàm quod ſimul improbus & Imperator fuerit: hoc enim potentior fuit & majori offendiculo ipſius improbitas, quò ipſemet ſublimiori ex faſtigio in vitiorum cœnum ſe abjecit. Idcirco vir Princeps horreat ſanè, quamvis exiguo tempore degere in hujuſmodi cœno & ſentinâ errorum ac pravitatum : Imperii namque totius peccata & mala, etiam illa, quorum haudquaquam reus eſt, omnia tamen, non aliter ac fœces & aquæ in ſentinam ſic in unum ipſum conferentur & confluent ; & brevisſimi labem temporis, invidia ſæculorum omnium, & opprobrium perenne, (ſicut iſti *Cheu* contigit) conſequetur.

§. 2. *çu cum* ait : Qui peccata ſua emendare non laborant, ea tegere conantur, fucoque inducere. Quocirca viri ſapientis (maximè Principis) peccatum eſt inſtar ſolaris lunariſve defectionis. Peccatum enim quod, nec celat ipſe, & ſua quoque peccantis celſitudo prodit ac dignitas, homines univerſi ſpectant : Ejuſdem ſimiliter mutationem in melius, (quando ſcilicet animadvertens ipſe defectionem ſuam & peccatum, haud ſecùs atque ſol & luna ad priſtinum nitorem ac ſplendorem mox rediit) homines univerſi ſuſpiciunt, & læti deprædicant.

§. 3. Regni *Guei* Præfectus, cui nomen *Cum ſun chao* quæſivit ex *çu cum* dicens : *Chum nhi*, ſive, *Confucius* Magiſter tuus, quomodo ſtuduit?

p. 2. §. 1. *çu cum* reſpondit : *Ven* & *Vu* Regum doctrina, leges, inſtituta, licet ipſi à ſexcentis ferè annis vivere jam deſierint, necdum tamen deciderunt in terram ; necdum perierunt, penituſve obliterata ſunt. Etenim exiſtunt & perſeverant adhuc in hominibus, & ſapientes quidem memoriâ retinent illorum præcipua quæque capita. Rudiores è vulgo hominum etiamnum meminerunt illorum minutiora quædam minoriſque momenti : Sive autem magna conſideres ſive parva, nihil eſt omnium quod non extet in conditorum noſtrorum

noſtrorum *Ven* & *Vu* inſtitutionibus. *Confucius* ergò quomodo non ſtuduerit didiceritve, qui ab omnibus, ipsâque adeò rudi multitudine tam parva quàm magna ſemper diſcere conatus eſt? Item quomodo unum eundemque Magiſtrum habuerit is, qui nullo non loco & tempore, & ex re quâlibet fructum petiit doctrinæ ſapientiæque.

§. 2. Regni *Lu* Præfectus *Xo ſun yu xo* quodam die colloquens cum Præfectis aliis in aulâ regiâ, aiebat: *Confucii* diſcipulus *çu cum* meo quidem judicio ſapientior eſt quàm ipſemet Magiſter *Confucius*.

§. 3. *çu ſo kim pè* Præfectorum unus de his certiorem fecit ipſum *çu cum*: Quibus auditis *çu cum* inquit, quod ad meam diſcipuli, & illam Magiſtri doctrinam ſapientiamque attinet; illa planè habet ſe ſicut extimus ædium paries, qui totas ambitu ſuo complectitur: at meus quidem paries perquam demiſſus altitudine ſuâ tantùm pertingit ad humeros adſtantium, à forinſecus enim conſiſtentibus primo conjectu oculorum protinùs videntur totius domûs, ſi quæ ſint, pretioſa & bona.

§. 4. At verò Magiſtri mei paries, cuſtos ille reconditarum opum Regiæque Philoſophiæ, plurium eſt orgyarum altitudine conſpicuus. Si non obtineas ut illius portas ingrediaris; haud unquam profectò videbis gentilitiæ Regum aulæ ornatum & venuſtatem, omniumque procerum & Magiſtratuum ſplendorem, opulentiam, majeſtatem.

f. 6. p. 1. §. 1. Quo minùs mirandum eſt, quòd ex hominibus ætatis noſtræ, qui vel pertingant ad ipſam portam, fortè pauci ſint. Præfecti igitur *Vu xo* ſermo iſte qui nihil niſi extrinſecum in me videt, numquid quadamtenus rationi congruit?

§. 2. Dictus *Xo ſun vu xo* detrahebat *Confucio*: quod audiens *çu cum*, nec ferens hominis temeritatem, ſic ait: Abſtine, quæſo ab hujuſmodi obtrectatione: Ne ſic agas: Vincit communem laudem ſapientia Magiſtri noſtri. *Confucio* nefas eſt obtrectare: Aliorum hominum ſapientia, collis aut mons eſt, qui licet ex plano contemplantibus videatur altus eſſe; adhuc tamen poteſt tranſcendi. At verò *Confucius*, *Confucii*, inquam, doctrina & ſapientia, montes ipſos tranſcendit, & propter ſublimitatem ſuam ſol eſt quodammodo & luna, nec eſt qui poſſit eam tranſcendere vel ſuperare. Degeneres, improbique homines licet cupiant ac nitantur ſeſe penitùs abſcinde re & longiſſimè removere ab optimâ inſtitutione & doctrinâ: ipſi tamen quo pacto tandem damno erunt huic ætatis noſtræ Soli & Lunæ? Planè jam patet, obtrectatores hujuſcemodi non ſcire ſuam parvis ac magnis, imis & ſummis menſuram tribuere.

§. 3. *Chin çu kim* quondam unus diſcipulorum *Confucii*, ſed qui

Digitized by Google

doctrinæ ejus sublimitatem necdum æstimare noverat, interpellans *çu cum* Magistri sui tantum encomiasten; equidem, inquit, tu quando tam præclarè & sentis & loqueris de *Confucio*, nimiâ quâpiam veneratione ductus demittis te: *Confucius* enim quo pacto tandem te sit sapientior?

§. 4. *çu cum* hujus vel errorem vel adulationem, æquè ut alterius, conscrutans, sic respondit: Philosophus ex unico etiam verbo non raro statuitur pollere prudentiâ, & è contrario ex unico etiam verbo idem non rarò statuitur laborare imprudentiâ. Omnino in verbis non oportet non esse consideratum.

p. 2. §. 1. Sic igitur sentio, sic dico: Ad Magistrum meum (quod ad illius virtutem & doctrinam attinet) non potest pertingi, non aliter ferè ac cœlum nequit per scalas conscendi; licet ejusdem amplitudinem & ornatum suspicere possimus eminus, & cum voluptate quâdam admirari.

§. 2. *çu cum* jam declaraturus, non inanes fuisse laudes, quas in *Confucium* contulerat, ex. gr. unam de multis, nempe suavem ejusdem efficacitatem brevibus hîc expendens; Magister meus, inquit, nactus aliquando magnam ditionem pro ipso ditionis Principe administrandam, numeros omnes sapientis & benigni gubernatoris hoc ordine & modo explebat. Primum quidem quod vulgo dicitur ac præcipitur gubernatoribus, erige & sustenta populum, æqua scilicet agrorum divisione, & vigilanti industriâ, ne quid earum rerum quæ ad victum cultumque corporis sunt necessariæ, desideretur. *Confucio* res administrante, protinùs erigebatur populus, & instar cultæ segetis succrescebat. Hunc verò in modum suppetente rerum copiâ, quod deinde præcipitur, verbis & exemplis tuis ad omnem rectè honesteque vivendi rationem ac disciplinam manuducito & dirigito rudem populum: *Confucio* dirigente idem protinus volens lubensque sequebatur, & viæ quæ monstrata fuerat, constanter insistebat. Constitutâ verò hunc in modum optimis legibus ac disciplinis Republicâ; quod deinde præcipitur, procura quietem populo; sic ut suo singuli loco & conditione contenti, in natali solo velut in centro conquiescant: Procurabat hanc quoque rara solertia prudentiaque *Confucii*. Protinùs itaque exteri complures finitimis è terris tam optatæ quietis famâ & desiderio impulsi, turmatim ventitabant. Partâ verò tranquillitate publicâ quod deinde præcipitur: permove & excita populum, & aliis industriis aliisque studium virtutis, mutuæque inter omnes charitatis & observantiæ renova; erige languentes, currentibus subde calcaria. *Confucio* quidem sic excitante suos protinùs vigebat inter omnes concordia, & quæ hanc comitantur, ritus, officiaque colentium amantiumque inter se civium. Ad cumulum vero laudum istarum accedebat, quod tanti fierent

Digitized by Google

animorum motus sine motu strepituve illius qui movebat; non aliter ferè, quàm tacita occultaque cœlorum virtus, cum plurima perficiat in terris, secretissima tamen est; & non oculos modò, sed intellectum quoque mortalium fugit. His aliisque de causis, fuit omnino ipsius vita perquàm glorioſa; ejusdem vero mors perquam lachrymosa, communi diuturnoque luctu, qui hanc consecutus est, testante, fuisse ipsum civibus suis haud secùs ac patrem suis liberis in honore; nec aliter ferè, quàm blanda mater esse solet in deliciis & amore. Quæ cum ita sint, quomodo tandem ad ipsum queat pertingi?

Ecce quam non discessit procul à terris hyperbolica laus illa & prædicatio, quæ prima fronte super nubes ac sidera videbatur efferre Confucium. *Naturæ limites excedere videbatur; cum repentè unius, exiguique populi, quem is sapienter ac placidè gubernandum susceperat, angustis sanè terminis seipsa concluſit. Itaque nihil hîc erit, opinor, quod Lectorem Europæum, utpote non minus candidum, quam benevolum suboffendat.*

f. 7. p. 1. §. 1. *Hoc & sequentibus paragraphis exponitur à discipulis quod hi creberrimè audiverant à Magistro suo, quibus maximè usi sint artibus, industriisque primi Legislatores gentis Sinicæ, primique conditores trium familiarum principum* Hia, Xam, Cheu, *quæ item voluerint esse principia & quasi fundamenta politices suæ; dum alii aliis succedentes, amplissimi res imperii non uno quidem tempore; normâ tamen propè unâ, tam feliciter administrârunt, & favore Cœli tam constante, ut solæ tres familiæ istæ, cum duobus Legislatoribus* Yao & Xun *longè diutius potitæ fuerint rerum, quàm novemdecim, quæ deinceps secutæ sunt, usque ad annum hunc 1670. hæ quippe simul omnes 1929. annos numerant tres vero illæ 2108.*

Excerptæ sunt, sed compendio, plerèque harum sententiarum ex pervetusto, primaque authoritatis codice Xu kim *dicto, quod & styli simplicitas, propria istorum temporum satis prodit.* Xu kim *porrò brevis Priscorum quorumdam Regum historia est, præclaris eorumdem documentis instructa. Nos autem claritatis gratiâ exponemus ea, quæ historici sunt generis, præter morem nostrum uberiùs aliquando, quàm Colaus ipse, qui pleraque vel præterivit hîc tacitus, vel verbo tantùm attigit, quod intelligeret Lectori suo esse notissima.*

Yao *Sinicæ gentis Legislator (de quo supra sæpius meminimus) & Imperator, si non primus, certè quidem celeberrimus, cœpit anno ante Christum 2357. & imperavit annis 100. Hic igitur nullâ filiorum suorum, domesticæque gloriæ habitâ ratione, sed unius duntaxat virtutis ac sapientiæ, jam senior & resignaturus imperium in* Xun, *quem propter excellentem pietatis, obedientiæ, prudentiæque laudem diu antè ab aratro & stivâ, ad Imperii societatem quandam evocarat, hac ipsum oratione cohortatus sic ait:* O tu mi *Xun*, Cœlum decrevit Imperii successionem

exiſtere in tuâ perſonâ. Cum fide fac apprehendas teneaſque ipſum medium. Quatuor maria ſi laborent egeſtate & inopia; cœli cenſus in perpetuum deſinent.

Mactè animis, (verba ſunt Interpretis) *adminiſter & ſocie laborum meorum & curarum. Adeſt jam tempus, ut in te unum curas omnes ſimul & honores reſignem. Ego hoc imperium à cœlo quondam ſuſcepi, & ſuum quoque Priſci Reges ſuſceperunt. At nunc ejuſdem nutu tibi defero: cœlo eſt obſequendum: Favebit hoc tibi, ſi tuis ipſe faveris; ſi conſulueris, inquam, ſaluti, commodis, & tranquillitati tuorum. Pondus gravè eſt, non inficior, res imperii; cureque ſunt infinitæ. Sua tamen ſingularum propria quædam ratio & convenientia eſt, quam medium vocamus, exceſſûs omnis defectûſque impatiens. Hoc igitur tene: Ad hujus trutinam expende, & exige res omnes; ſi te tuoſque vis eſſe beatos & florentes. quod ſi neglexeris conſilium meum, & à media, quam dixi, via diſceſſeris; ingruent procul dubio calamitates aliæ ex aliis; & omnis hæc regio, quæ intra quatuor maria continetur, fame & inopia rerum divexata, peccati tui pœnas dabit. Verum jam nunc ego tibi denuntio, daturum te quoque, & quidem graviſſimas; atque adeo dignitate cælitùs collatâ in perpetuum ſpoliatum iri.*

Xun quoque verbis hujuſcemodi ultima dedit præcepta *Yu, ſucceſſori ſuo, in quem ſimiliter reſignavit Imperium, poſtquam id per annos quinquaginta feliciter ſolus adminiſtrârat. Erat & ipſi filius; neglexit tamen exemplo deceſſoris ſui, & præcellenti ſapientiæ, maximiſque meritis ipſius* Yu, *qui ingentes aquarum eluviones derivârat in mare, Imperium deberi cenſuit.* Yu *porrò tametſi veſtigiis amborum inſiſtens, neglecto ſimiliter filio, Imperium deſtinâſſet Regulo* Ye, *ſapientiæ famâ tunc celeberrimo: Quoniam tamen ad merita patris, virtus quoque ipſius filii imperio revera digni accedebat; hunc, ubi vivere deſiit pater, omnino & populus & proceres imperare voluerunt: Ex quo cum dignitas Imperatoria ad filios deinde ac nepotes tranſierit; ipſi* Yu *tribuitur conditoris nomen; conditoris, inquam, primæ familiæ Imperialium* Hia *dictæ: quæ ſpatio annorum 458. numeravit Imperatores 17. ordine ſuccedentes.*

Omnibus ſilentio præteritis, agitur ſequenti paragrapho de Chim tam, *conditore ac Principe familiæ* Xam, *Imperiales inter Familias ſecundæ. Sed antequam textum proſequamur juvat hîc præmittere, quæ de ultimo præcedentis familiæ Imperatore* Kie *dicto in libro Regum ſeu* Xu kim *referuntur: ſic enim ea quæ in textu noſtro afferuntur, melius intelligentur. Maximè illuſtris eſt locus de impio* Kie *Principe quem affert Imperii primas &* Vu vam *Imperatoris frater* Cheu cum *in oratione ad eundem habitâ ubi ſic ait:*

Audivi Priſcorum effatum quod ſic habet: Supremus cœli Imperator, dum dirigit homines placidè & quietè, non facit hoc per receptionem alicujus corporeæ vocis, ſed cor hominis recipit quietam

quietam illam placidamque directionem, adeoque ferventer & sine interruptione operatur ; Atque hæc supremi cœli Imperatoris interna directio, cum sit cœlitus & æqualiter omnibus indita, quo pacto Rex *Kie* ab eâ excipi poterat ? Sed enim Rex *Kie* sepeliverat, (hoc est pessumdederat) naturalem illam cordis bonitatem, neque ipsemet per se voluit sequi tacitam illam placidamque cœlestis Imperatoris directionem, nihilominus supremus Imperator serio vereque illum dirigebat, sed Rex *Kie* verè constanterque illam subterfugiebat respuebatque : Attamen supremus Imperator adhuc illum respiciebat & necdum illum à se rejiciebat penitùs, sed in illum calamitates immittebat & prodigia, ut suum illi manifestaret consilium & intentionem, sic quidem ut fragore quodam & veluti tonitru percelleret Regem *Kie* (*ut ita resipiscere*) sed Rex *Kie*, nequaquam noverat pertimescere aut percelli, neque voluit reverenter uti supremi Imperatoris voluntate ac favore, sed in scelera & luxus effrænis ruebat : & quamvis subinde verba quædam insultantia & illusoria (*aut ut alii*) simulata aut resipiscentis instar verba depromeret ; tamen cœlum hujusmodi verborum rationem nullam habuit, & audire, contempsit tandemque magnum illius Imperium delevit, & ex alto demisit commeritas pœnas : atque ita Imperialis *Hia* familia finem accepit.

Ita Cheu cum *juxta Ethnicorum interpretum præcipuè* çai xin *expositionem. Urgebatur tamen in dies à populo & Regulis pius Princeps* Tam *octogenario major, ut se suosque tam acerbo & diuturno jugo impiissimi Regis* Kie *tandem exsolveret : Ipse autem, ut erat timens* A *supremum Numen ejusque mandatum adeoque non audens non eidem obtemperare hærebat perplexus & incertus quid ageret. Quare* Chum-hoei, *aliique qui Principi à consiliis erant, eum de cœli voluntate securum reddunt:* B *à cœlo nimirum procreari populum cum affectibus suis, quibus si non sit qui dominetur, fore ut ruinam sibi & Imperio per seditiones accersat : Et ratiocinandi quidem vim, necnon judicii & ingenii* C *talenta in reliquis mortalibus à cœlo esse : ab hoc insuper ei gratuito* D *concessam animi fortitudinem ac prudentiam, qua liberare possit Imperium periculo ruinæ proxime jam imminentis : proinde obtemperet* E *cœli voluntati : Scire se equidem, eos, qui impie tractant spiritus,* F *& crudeliter populum, à cœlo diu non conservari ; eos vero qui venerantur* G *cœli leges, æternum*

A Ego timeo supremum cœli Imperatorem.

B Dumtaxat cœlum creat populum cum passionibus suis.

C Dumtaxat cœlum creat ingenii talenta.

D Cœlum equidem impertitur Regibus fortitudinem & prudentiam.

E Venerabundus obtempera cœli mandato ac voluntati.

F Eum, qui indignè tractat spiritus & crudeliter populum Regale, cœlum non conservat.

G Qui adoraverit & coluerit cœli le-

Digitized by Google

conſervare propenſam erga ſe cœli voluntatem: cui equidem cum ſe H *ſubjicere impius* Kie *detrectaverit, adeoque ſceleribus ſcelera accumulaverit, per inſignem veſaniam* I *volens fallere cœlum, cujus erga ſe favorem non defecturum temerè apud populum jactet; aſſeratque, ſe, tum demum cum Sol in cœlo deſineret, deſiturum; procul dubio cœli vindicis decreto, & ipſum jam nunc & familiam ipſius* K *exitio addictam videri. Nec ignorabat ſcilicet, cœlum non ex privato* L *quodam erga familiam* Xam *affectu & favore,* M *ſed virtutis dumtaxat intuitu hoc ſuæ Familiæ Imperium contuliſſe: unicam ſcilicet puriſſimamque virtutem eſſe, quæ cœli tam* N *propenſam erga ſe attraheret voluntatem. Exinde victrici vindicique Familiæ de parta jam pace & accepta à cœlo felicitate gratulantur omnes, ſed & ſuis viciſſim gratulatur ipſa domus Regia; proſus enim ut à matre ſua infantulus ita & à cœlo populus* O *benignis oculis & aſpicitur & protegitur: diu utique beandus niſi ipſemet per nova ſcelera* P *optatos vitæ annos ſibi abrumpat, & accerſat calamitates: quæ non aliunde ſcilicet, quàm ab hominum ſceleribus ſolent exiſtere; eas enim cœlum infligit, ut* Q *manifeſtentur ſcelera: adeoque cum difficulter effugere quis poſſit ea mala quæ per* R *ſcelera ſibi ultro accerſit, dedamus nos virtuti oportet, nec relabamur in peccata, præcipuè cum, ut ita nos* S *geramus, cœlum ipſum novis identidem prodigiis nos admoneat revocetque ad frugem.*

gem, æternùm conſervabit cœli voluntatem erga ſe (*ait ut alii*) cœlitus collatum Imperium.

H Supremum cœlum fideliter juvat ſubditum populum: impius verò homo ille (Rex *Kie*) excuſſit à ſe ſubjectionem.

I Familiæ *Hia* ſunt multa ſcelera. Cœlum jubet ut extinguatur.

K Familiæ *Hia* Rex *Kie* patravit ſcelera fraudulenter illudens ſupremo cœlo.

L Dumtaxat cœlum non amat privatim: at eos qui cœlum debitè colunt, dumtaxat amat.

M Non eſt quod cœlum privatim faverit huic meæ familiæ *Xam*: dumtaxat cœlum adjuvat habentes puram virtutem.

N Qui poſſident unicam & puram virtutem, poſſunt in ſe recipere cœli cor ac voluntatem; & obtinere cœli perſpicuum mandatum.

O Regale cœlum amanter aſpicit ac protegit eos qui ſunt Familiæ *Xam*.

P Omnino cœlum contemplatur ſubditum populum: ex iis quos indulget, annis, alii ſunt æterni, alii ſunt non æterni: at non eſt quòd cœlum abbreviaverit annos populo, ſed populum inter ſunt qui per ſua ſcilicet ſcelera abruperunt ſibi vitam.

Q Cœli ratio ac lex eſt beare probos peſſumdare improbos: ideo immiſit calamitates in familiam *Hia*, ut palam Orbi faceret ejus ſcelera.

R Quas cœlum infert calamitates poteſt quis effugere: at, quas per ſua ſcelera ſibi quis fabricat calamitates, non poteſt evadere.

S Si populus non ſequatur virtutem; nec ſubjiciat ſe correctioni ſcelerum, cœlum utique per portenta eum reverà admonet ut rectificet ſuum animum.

Tam *ergo Princeps poſtquam debellavit impium* Kie, *poſtremum Familiæ* Hiæ *Imperatorem profugum in* Nanchao *(ubi poſt triennium exul*

Digitized by Google

obiit maxima consensu studioque populi & Satraparum coactus imperium susci-pere; jamque rediens ad aulam Po *in* Ho nan *Provinciâ sitam, ibi frequentissimis in comitiis, maximeque celebribus Imperii totius & universo populo orationem* (Tam cao *dicitur*) *sequentem pronunciavit, quâ facti sui dans rationem coram supremo cœlorum Imperatore, sic primum orditur:* O vos omnium terrarum incolæ universi clarè audite, & intelligite meum unius hominis monitum: Ex quo tandem fonte putatis profluxisse mortalium naturam quinque virtutibus, pietate, justitiâ, prudentiâ, fide, honestate instructam? A principio nimirum solus iste augustus & supremus *(cæli)* Imperator dum procreare cœpit humanum genus de cælo contulit naturam istam, quæ medii rectissima norma est, in subditum sibi populum: quod si populus suæ naturæ tot donis instructæ pareat, fiet ut, quæ omnibus eadem indita est, perseveret immutabilis natura: ut autem possit populus placidè pacificeque vitam instituere ex illâ cælesti norma, dependet imprimis à personâ regiâ quæ suos assiduè hortetur exemplo, doctrina, rectaque administratione ad illius normæ observationem, &c. *Tandem coram cælo rationem facti sui reddens sic prosequitur:* Ego parvulus *Li (submissionis ac modestiæ gratiâ infantem se dicit, annorum septem & octoginta senex; & humili domesticoque nomine suo,* Li *scilicet, utitur*) audeo adhibere nigri coloris hostiam taurum: (*niger color proprius erat Imperatoriæ hujus familiæ*) audeo etiam palàm ac manifestè rationem dare facti mei coram ter maximo & augustissimo cælorum Rege & Imperatore, (*Sive, uti Colai duo & dictionaria Sinica exponunt)* coram augustissimi cæli & complectentis omnia telluris spiritu. Graviter, ac multis peccatum fuit contra cælum ab Imperatore familiæ *Hia:* Non ausus fui ego condonare, seu non exigere justas pœnas. Viros sapientes ac bene meritos; adeoque cælorum supremi Imperatoris charos subditos & clientes non ausim ego occulere, & non palàm facere virtutes ipsorum ac merita; maximè quando ipsi singillatim conspicui sunt in Imperatoris supremi corde *(quæ verba sit exponit* Chu hi) bona & mala cælum omnia novit, ac si ordine suo notata numerataque haberet singula peccata: Prorsus sic videtur esse. Tu si quid habes boni, jam est hoc positum in supremi Imperatoris corde & animo: Ego si quid commisero mali, hoc item residet in supremi Imperatoris corde & animo. (*Prosequitur textus seu oratio* Tam *Regis*) Quod si ego ipsemet, pro humana imbecillitate crimen aliquod commiserim, jam nunc supplex obsecro & obtestor, ne fraudi sit damnove subditis; neque habeant idcircò crimen omnes meæ ditiones: Me unum scilicet, qui unus in culpa sum, supremus Imperator plectat. Quod si quicumque ex omnibus meis ditionibus deliquerint aliquando, tum planè hæc delicta imputentur meæ personæ: Eà ego jam nunc unus ex-

Digitized by Google

pianda ſuſcipio : Nec recuſo pœnas ullas, ut qui unus omnium maximè ſum reus, quando pravo exemplo meo, & prava adminiſtratione anſam peccandi omnibus præbui.

Et hactenus quidem Chim tam *Rex juxta Colai explanationem. Quantum vero fuerit ejuſdem Principis erga cœlum ſeu ſupremum cæli Dominum relligionis ſtudium cum inſigni erga ſuos pietate conjunctum, hoc imprimis quod ſubjicere hic liceat ex annalibus exemplo mirifice confirmavit, quod hodieque ſcriptis & ſermonibus omnium celebrari ſolet, & nos quoque voce & ſcriptis identidem afferimus ad politicæ genti perſuadendum, non indignum fuiſſe divina & infinita majeſtate hominem fieri, & victimam ſpontaneam pro humani generis ſalute æternâ.*

Per ſeptem annos (inquit textus) prægrandis ſiccitas, extitit ſcilicet. (*An fuerit fames Ægyptiaca quam teſtantur ſacræ litteræ* in univerſo orbe prævaluiſſe *gen.* 41. *Chronologis diſcutiendum relinquimus*.) Is qui Aſtronomicæ rei præfectus erat, ſignificat Regi, non jam vitulorum aut ovium ſanguine (*ut moris erat*) ſed humano dumtaxat placari cælum oportere, ſi quidem tantis malis remedium ultimum quæreretur. Cui Rex : Ego, inquit, cælum deprecari volo pro meorum ſalute & vita : Quod ſi hanc ipſis adimens humanum effundam ſanguinem, utique jam mihi ipſe adverſabor : Quin potiùs, ut ſaluti meorum conſulatur, ego unus ſim victima. Nec mora : Sacrificium ſui cælo facturus priùs in ſecretiorem locum, de more, ſeſe abdens per triduum jejunat; ac dein venerandam capitis ſui canitiem nonagenario jam major, & unà barbam radi, atque ungues præſcindi jubet, ſummi ſcilicet luctûs indicia : Ad currum deinde bigas albi coloris (*lugentium is eſt*) jungi imperat : ipſe ovinis indutus pellibus currum conſcendit; totaque aula pari cum luctu comitante ad locum *Sam lin* (hoc eſt, mororum ſylvam dictum) contendit : Hîc pro ſalute ſui populi & Imperii, cœlo futurus victima, collem ſubit; ſubit autem, quo victimæ videatur ſimilior, manibus pedibuſque reptans (*ut aliqui ſcribunt*) hinc ſublatis in cælum oculis ſupplex idem precatur, ne ob ſuos unius in regendo defectus, populi totius ſalus & vita in diſcrimen veniat : Exinde ſibi uniquidquid fortè peccatum fuerit adſcripturus, & ad quaſvis paratus pœnas, de ſex rebus præcipuè (*quæ* 24. *litteris continentur*) ex cælo quæſivit. 1. An fortè ſua gubernandi ratio careret debita moderatione & æquitate ? 2. An ſuo deeſſent officio ſubditi ? 3. An ſumptus in Palatium & rerum ad hoc ſpectantium eſſent immodici ? 4. An à fœminis gynecæi ſui luxu veſtium & modeſtiæ neglectu peccaretur ? 5. An munera in judiciis, an item fraus & avaritia in commerciis regnarent ? 6. An in Feſtis & Cantibus detractioni cuipiam aut morum corruptelæ daretur anſa ? Memorant autem Scriptores omnes rem ſanè dignam admiratione ; fari ſcilicet vix deſiiſſe pium Principem

Digitized by Google

cipem, cùm repentè magnus cœlo imber decidit, qui quidquid erat Sinici Soli per aliquot leucarum millia (Sinicarum intellige) largissimè rigarit : quam pluviam magna deinde fertilitas mox consecuta sit. Porrò de hoc tam memorabili & optato successu musicam instituit ipse Rex *Ta hoe* dictam, quod idem sonat ac magna protectio, seu magnum quid à cœlo videlicet obtentum.

Contigerunt hæc cycli 16. anno 38. hoc est, anno ante Christi æram 1756. imperantis verò Chim tam *anno septimo, ætatis verò suæ 94. & ante obitum septimo. Bina hæc oratio tam clementis ac pii Principis, centum annis & amplius ante Moysen & legis tabulas ; tot verò ante Christum annis coram omni populo pronuntiata & conscripta, num patum clarè testatur, quàm viguerit tunc temporis in hoc ultimo Oriente naturæ lex, & notitia veneratioque supremi Numinis ; de cujus justitiâ providentiâque delictorum quorumvis conscià tam præclarè sentit ac loquitur iste Princeps ? Eant nunc, & nihil ipsum agnoviße dicant præter inanem mutumque aërem aut influxum inanimem, aut cœlum illud quod conversione suâ diem noctemque conficit, qui putant tantum fidei tribuendum eße Atheis quibusdam & verè cœcis ac infidis interpretibus, qui imperante familiâ* Sum *ordine decimâ nonâ, adeoque septingentis circiter ac bis mille post annis, quàm pronuntiata ista fuerint, corrupèrunt impiißimis erroribus priscam veritatem ; & luci tam candidæ avernales tenebras effuderunt. Sed ad textum, unde longius digreßi sumus redeamus.*

p. 2. §. 1. A secundâ familiâ descendit ad tertiam *Cheu* dictam, cujus normam administrandi Imperii copiosè depictam in libro *Xukim*, pauciſſimis hîc verbis attingit. Fundator hujus familiæ fuit *Vu vam*, qui imperare cœpit anno ante Christum 1122. Non alia familiarum Imperialium florentior istâ fuit, sive cultum spectes, & majestatem, sive Principum & annorum numerum. Annos certè numeravit 873. Imperatores vero 35. Princeps ergo, quem dixi, totius familiæ, *Vu vam*, postquam debellato impio *Cheu* (cum quo tandem occidit secunda familia) susscepit Imperium communibus populi procerumque suffragiis sibi delatum ; item post vota, solemniaque sacrificia Imperatori cœlorum, reliquisque spiritibus terrarum præsidibus rite persoluta (uti pluribus refertur in libro *Xu kim* 6. & 7.) Primùm quidem arma omnia, machinasque bellicas collegit ac reclusit : tum custodias & carceres pandi jussit, ac reos criminum dimitti : Omni denique studio & industriâ conatus fuit opitulari populo, fame, inopiâ, variisque calamitatibus laboranti : Eos interim quorum insignia quædam extiterunt merita, maximis augens honoribus opibusque ; sic ut verissimè dici queat, quod domus hæc Imperatoria *Cheu* in exordio & fundatore suo habuit quidem, exercuitque erga omnes omnium suarum ditionum homines magnam & inusitatam liberalitatem & beneficentiam. At longè tamen maximam

erga eos omnes, qui à fide, probitate, sapientiaque maximè commendabantur. Itaque optimus quisque tunc fuit ditissimus; amplissimis, inquam, honoribus, amplissimoque censu instructus & ornatus.

§. 2. Verba sunt *Vu vam* Imperatoris: Quamvis, inquit, dentur complures admodum propinqui familiæ *Xam*, quibus adeò jure quodam stirpis Regiæ, primæque nobilitatis deberi videntur præcipua quæque munera & dignitates: quoniam tamen plerique eorum non sunt comparandi cum aliis, isque plurimis è familiâ nostrâ *Cheu* spectatæ fidei, probitatis, sapientiæque viris; certum mihi est hos, potiùs, quam illos adhibere consiliarios & administros rerum mearum. Instructus autem præsidio tot optimatum, si nihilominus mihimetipse defuero, nec pœnas expetivero de impio *Cheu*, nec insolentiam assectarum ejus, licentiamque, uti par est, compressero; tum certè non unius tantùm inertiæ socordiæque reus agar: Sed & multitudo subditorum meorum quicquid peccaverit; tribuetur id uni mihi vel maximè; labesque & damna totius corporis, in meum unius caput justissimè recident.

§. 3. Is ergò cùm teneretur adeo salubri curâ & metu; nec ignarus esset, quantum vitii irrepsisset in Rempublicam; ante omnia plurimum studii vigilantiæque posuit in ponderibus ac mensuris ad æquitatem normamque pristinam revocandis. Examinavit item leges omnes & constitutiones, tam eas quibus officia, rituque & jura civium, quàm quibus res, artesque Musicæ continebantur. Ad aulam quoque & dignitatem pristinam revocavit erexitque dejectos & afflictos sub impio *Cheu* Præfectos Urbium & Provinciarum; atque ita renovatis & constitutis præclarè rebus, quatuor regionum, id est, totius Imperii administratio optatissimum cursum habuit.

§. 4. Idem restauravit extinctas ab impio *Cheu* satrapias, legitimisque Dominis restituit. Revocavit ac perpetuare instituit per vetustas ac nobiles, sed jam succisas ac propè deletas Priscorum Principum prosapias ex stirpe nobilissima *Hoam ti* conditoris Monarchiæ Sinicæ; nec non Legislatorum, *Yao* scilicet, *Xun* & *Yu*, & Principibus familiæ *Xam* proximè præcedentis, oriundas. Quorum omnium posteros dynastiis ornatos, amplo quoque censu locupletavit; revocatis etiam variis dignitatum titulis, *Heu*, *Cum*, *Pe*, *çu*, *Nan*; hoc imprimis agens, & vehementer optans, ut tam illustris maximorum hominum progenies non tantum ipsa quàm diutissimè floreret; sed memoriam quoque majorum suorum maximo cum splendore, & usitatis cum officiis muneribusque parentalibus ritè pieque conservaret; adeoque mortuis quoque parentibus, filiorum tamen pietas & observantia semper viveret ac perennaret. Erexit præterea admovitque gerendæ Reipublicæ jacentes ac latitantes viros virtute

Digitized by Google

ac sapientiâ insignes; sed qui ultrò dignitati suæ renunciantes, ex superiore illâ tempestate perturbati Imperii, ad otium privatæ vitæ, ceu portum, cauti perfugerant. Hunc autem in modum constitutis optimè rebus Imperii totius, populus subdidit sese ultrò, & ex animo; eòque promptiùs voluntates suas ac studia cum studiis optimi Principis omnes conjunxere, quò feliciùs sibi cum illo jam convenire, ceu membris obsequentissimis cum dilecto capite, intelligebant.

f. 8. p. 1. §. 1. Ad extremum quæ circa populi sui gubernationem valde cordi habuit memoratus Imperator, & magni ponderis ac momenti esse duxit, tria fuerunt: Subditorum annona, ut semper affatim esset earum rerum, quæ vulgo sunt ad vitam sustentandam necessariæ: funera & exequiæ, ut debito ritu modoque peragerentur: Parentalia denique, seu honores funebres & solemnia quædam fercula statis anni temporibus in memoriam defunctorum parentum ac majorum offerri solita; quibus admonerentur filii gratæ pietatis & observantiæ erga parentes etiamnum superstites, quando videbant eam erga progenitores jampridem demortuos tam accuratè soliciteque exerceri.

§. 2. *Expositâ breviter eâ gubernandi methodo, quam tenuerant* Yao & Xun *duo gentis Legislatores, necnon* Yu, Tam, Vu, *conditores trium familiarum Principum, penes quas per tot sæcula summum jus fuit; concludunt tandem, eos pro ratione quidem temporum aliquantulum inter se mutuo discrepasse; verumtamen in studio & arte tuendi suos & conservandi amplificandique Imperii, & in substantiâ ipsarum rerum, fuisse quàm simillimos. Complectuntur autem similitudinis hujus summam quatuor litteris, quibus totidem virtutes Regiæ exprimuntur.* Sic aiunt igitur: Princeps si munificus ergà suos, si magno liberalique animo fuerit, cœli instar protegens, & complectens omnes, & telluris instar sustentans, nihil interim faciens inclementer, avarè, sordidè: tum is obtinebit omnes; omnium scilicet admirationem, amores omnium, & studia, & voluntates. Si fidem servet ac veritatem, ab omni fuco, mendacio, fraude semper alienus; tum subditi sine ullo metu vel cunctatione innitentur ipsi, & se suaque incorruptæ fidei Principis committent. Si vigilans, impiger, sedulusque fuerit in avertendis damnis publicis, & commodis suorum procurandis; nec quidquam unquam negligat aut contemnat; tum habebit felicem exitum & perfectionem rerum, quascumque tandem suscipiet; amantissimis vicissim subditis, quidquid operis publici fortè Imperatum fuerit, impigrè, sedulò, constanter perficientibus. In exigendis pœnis & præmiis conferendis, si rectus, si æquus omnibus fuerit, nec quidquam tribuat privato vel odio, vel amori, tum gaudebunt subditi, & æquissimo Principi omnibus in rebus alacriter ac promptè

morem gerent. Et hæ quidem dictorum quinque Principum fuerunt artes, hi nervi, hæc firmamenta, quibus Imperii tanti molem tam feliciter ac diu sustentârunt. Quidquid autem à folio septimo hucusque commemoratum est à discipulis *Confucii*, eo potissimum fine est commemoratum, ut posteris constaret, doctrinam magistri sui, quam ipsi maximè propagatam volebant, à placitis & institutis priscorum Legislatorum *Yao Xun* & Regum minimè discrepasse.

§. 3. Discipulus *çu cham* quæsivit ex *Confucio* dicens, quâ ratione quispiam poterit rectè administrare Rempublicam, *Confucius* respondit: Qui magni facit quinque bona, & qui removet quatuor mala, is poterit rectè feliciterque administrare Rempublicam. *çu cham* rursus ait: Ecquæ dicuntur illa quinque bona? *Confucius* respondet: Gubernator Reipublicæ beneficus sit, & tamen nihil expendat, absumatve. Subditis oneri sit, & tamen non sit odio: Desideret, & tamen haud expetat cupidè: Sit magnus, sit beatus ac florens; & tamen non efferatur superbiâ & fastu: Severus & gravis sit; & tamen non sit asper & truculentus.

p. 2. §. 1. *çu cham* Laconico Magistro responso non satis percepto; inquit, ecquid, obsecro, significat illud, beneficus sit, & nihil expendat. *Confucius* respondet: Constanter obsecundare, & favere iis rebus & artibus quæ subditis lucro sint, commerciis & Agriculturæ scilicet, aliisque hujuscemodi, & sic eorum lucra procurare; solerter tuendo & conservando communia illa cœli terræque beneficia: quo tandem fiat, ut magna sit ubique annonæ vilitas & rerum copia: Hoc nonnè reverà est esse beneficum & tamen nihil expendere vel privatæ rei vel publicæ? Similiter si habeas delectum eorum qui pares sunt ferendo labori & oneri; & oneres illos dumtaxat; si habeas, inquam, justam & accuratam rationem loci, temporis, ætatis, & virium cujusque ac facultatum, quotiescumque imperandum est aliquid oneris operisve publici; ecquis tunc oderit vel imperata vel imperantem? Quæ juris alieni sunt, appetere, nefas ac turpe est: At vero si desideres expetasve veram virtutem, adeoque si tam laudabiliter expetitam, feliciter adipiscare veram illam virtutem expleasque deinde numeros illius omnes; quo modo vitiosè cupidus sis, aut censeri talis queas? Si Princeps inter flatus illos tam secundos fortunæ faventis constet sibi ipse, & non attendat magnoperè ad frequentiam suorum, vel paucitatem, ut hanc scilicet aspernetur, illi deferat aliquid: Rursus si non attendat magnoperè gravisne sint momenti an parvi res eæ quas habet perficiendas; sed pari ferè cura res æquè minimas atque maximas constanter tractet; nullusque sit, quamvis humilis & abjectæ conditionis homo, quem audeat habere despectui; qui hoc modo sibi imperet, seseque contineat, nonne quamvis multâ pace, opulen-

tiâ

tiâ, gloriâ beatus ac florens ſit; tamen haud efferetur ſuperbiâ? Gravitas denique & ſeveritas, ſi quidem modo careat, facilè degenerabit in odioſam aſperitatem & truculentiam: At verò ſi Princeps alienus ab omni affectatione hic fuerit mediocritate quâdam contentus, ex. gr. Si graviter ac decenter compoſitam gerat ſuam ipſe veſtem & pileum; ſi modeſtiâ quâdam reverentiâque imbuat ſuum ipſe os oculoſque; ſi in omni motu, geſtu, ſtatuque corporis decorum ſervet; procul dubio cum reverentiâ planè ſingulari homines univerſi contuebuntur eum ac verebuntur: Hoc autem nonne eſt ſeverum eſſe ac gravem, & tamen non eſſe aſperum & truculentum?

§. 2. *çu cham* rurſum quærit: Ecquæ dicantur quatuor mala, quæ vitare debeat ac removere ab ſe, quiſquis adminiſtrat Rempublicam. *Confucius* reſpondet: Non docere ſubditos accuratè quæcumque ſunt juris publici, & officii ſingulorum; & interim ſi fortè die quopiam deliquerint; illicò punire miſeros, & prorſus inclementer occidere: Hoc enimverò dicitur tyrannidem exercere. Ubi quid operis operæque publicæ exigendum eſt, non ante præmonere ſubditos, & præparare quodammodo, quo commodiùs ordinatiuſque res fiant; ſed obruere miſeros derepentè, & in ictu oculi videre velle præſcriptum opus perfectum & abſolutum; inclementer inſtando operis, & moras omnes ſeverè caſtigando; Hoc enimvero dicitur crudelis violentia. Cunctanter frigideque imperare ſubditis opera publica; deinde verò repentinâ acceleratione contrahere præſtitutum antea temporis ſpatium, ferociter & inexorabili cum ſeveritate eadem exigendo: Hoc meritò dicitur latrocinantis inſtar, & velut ex inſidiis opprimentis incautos, ſic ſuis eſſe damno. Denique ſordidum & illiberalem eſſe, ex. gr. Certo quodam modo ſe gerere cum dandum quidpiam eſt aliis, ex. gr. cum ſua militibus perſolvenda ſunt ſtipendia, ſuum operariis operæ pretium, ſui cenſus & honores conferendi ſunt aliis: Avarâ ſcilicet lentâque & invitâ manu, nunc promentis & porrigentis inſtar, nunc repoſcentis ac retrahentis hoc ipſo quo dat, ſordes avaritiamque prodere; tametſi detur tandem aliquando, quod jus cujuſque poſtulat; quoniam tamen ſic datur, ut videatur extorqueri verius, quàm dari; jam iſtud nec gratias quidem meretur, quod animo datum liberali, magni muneris fuiſſet inſtar; adeoque non eſt hoc agere Principem, ſed merito dicitur infimæ cujuſdam notæ miniſtellum eſſe ærarii publici.

f. 9. p. 1. §. 1. *Confucius* aiebat: Qui non ſit, adeoque nec credit dari cœli mandatum & providentiam, id eſt, qui non intelligit & credit proſpera & adverſa, vitam & mortem, &c. à cœli nutu conſilioque pendere. (Vel, ut exponunt alii, qui non cognoſcit lu-

Digitized by Google

men rationis cœlitùs inditum esse mortalibus, ad quod vitæ suæ rationes omnes componat, & quæ prava sunt, fugiat, quæ recta, prosequatur: Vir hujusmodi profecto non habebit quo evadat probus ac sapiens: quin imò multa committet homine indigna, dum quæ illicita sunt, vel supra vires suas, consectabitur, vel iis malis, quæ frustra conabitur effugere, succumbet.

§. 2. Quisquis ignorat de corum cujusque rei & modum, necnon ritus officiaque civilia, quæ societatis humanæ vincula quædam sunt, ac proprium cujusque hominis decus & firmamentum, non habebit is, quo erigatur aut evadat vir gravis & constans, & sibi aliisque utilis: Labetur enim assiduè, fluctuabit incertus, & ipsius quoque virtutis, si quam fortè adeptus est, jacturam aliquando faciet.

§. 3. Lingua cordis index est; nec raro quidquid in toto latet homine, brevis ejusdem prodit oratio. Quocirca quisquis non intelligit sermones hominum, sic ut aptè discernat quàm rectè, quàm perperàm quid dicatur, non habebit quo perspectos habeat ipsos homines; errores illorum scilicet, indolem, consilia, facultates.

Porrò quisquis hæc tria, cæli, inquam, providentiam, rerum modum, ipsos denique homines probè cognoverit, itaque vixerit, ut huic cognitioni vitâ moribusque respondeat; is omnino dici poterit partes omnes rari sapientis, & qui longè supra vulgus emineat, expleviſſe.

Atque hic tandem finis est trium librorum Scientiæ Sinicæ quorum explanationi è Sinico vertendæ in Latinam præcipuo quodam studio ac labore communi quatuor sociorum, otium ii fecerunt, qui nos quartum jam annum ab anno 1686. detinuerunt in Cantonieſins Provinciæ exilio, ac cessare coegerunt maximè invitos à propaganda doctrinâ longè sublimiori, quæ quidem una lux mundi est, & sine quâ, scientia omnis & doctrina, mera caligo est & ignorantia. Author porrò trium librorum censetur Confucius, tametsi contineantur iisdem libris non pauca vel à discipulis ipsius effata, vel à coætaneis eidem Philosophis; virisque Principibus; vel à primis etiam gentis Regibus, priscisque sapientibus pronunciata: è quibus alii sexcentis vixerunt annis ante ipsum Confucium, urbisque adeò Romanæ principia; annis mille alii; quidam etiam annis circiter mille septingentis, quâ quidem dignos esse Sinas haud minùs quam nationes alias, ii facilè judicabunt, qui expendent æquo animo gentis industriam, fidem, diligentiam, quâ consuevit res suas ab omni retrò ætate literarum suarum monumentis commendare; & quidem per suas 60 annorum periodos, uti patebit ex tabulâ Chronologicâ quam huic operi placuit annectere cum trium principum familiarum (quarum in præfatis libris iterata fit mentio) tabula quoque genealogica. In versione autem nostrâ scientiæ Sinicæ consultò multa contraximus; & quamvis subinde videatur copiosior explanatio, sciat Lector nequaquam esse cum ipsius Interpretis

Digitized by Google

Cham Colai, quem præcipuè ſequimur, ubertate copiâque comparanda. Et hujus quidem veſtigiis, ſicut alibi jam ſignificatum eſt, conſtanter inſiſtimus : Itaque, ſi excipiantur ea quæ vel eruditionis gratiâ vel claritatis ex aliis ejuſdem gentis Authoribus interſeruimus, reliqua ſunt Interpretis noſtri ; tota inquam paraphraſis unius Colai eſt, ſententiæ Colai omnes, quas adeò nemo ſuſpicetur Europæi eſſe hominis, quamvis ſint Europæo ſermone ac ſtylo, quin & ipſis quandoque Europæorum Philoſophorum ſententiis, verbiſque expoſitæ. Non inficior tamen eſſe non pauca, quæ meritò cenſeantur eſſe vulgaria, ne dicam frivola; procul dubio prætermitenda, ſi nos ſoli laboraviſſemus oblectationi Europæorum. Sed enim jam ſatis diſertè ſignificavimus in ipſo operis limine, iis potiſſimum hæc ſcribi, quibus in hanc Chriſti vineam conceſſuris, &, uti ſperamus, deinceps in eâ laboraturis. Quamquam par eſt etiam nos meminiſſe, non ejuſdem eſſe palati mortales omnes; & multa, quæ Europæi faſtidiant, huic genti eſſe in deliciis. Quid inſuavius homini Europæo calidâ potione ? Hâc tamen ſic delectantur Sinæ, ut per æſtivos quoque dies haud abſtineant. Sinenſium muſicam reſpuunt ferè aures noſtræ : At illos viciſſim in muſica noſtrate diſcors illa vocum concordia, ſi non offendit, parùm certè oblectat. Itaque pari ferè modo, quod ad ſermones ſententiaſque ſpectat, habet leporem ſuum & gratiam in Chinâ, quod idem in Europa riſum propè ſtomachumque moveat. Utcumque tamen res habeat, non poterit non fateri æquus Lector, multa hic eſſe, quæ nunc quoque ſuum mereantur pretium vel in Europâ : Nec dubitabit præclaram fuiſſe vetuſtiſſimæ Monarchiæ adminiſtrationem, quotieſcumque illa, quæ hîc traduntur, ſive pie rectèque vivendi, ſive Regni probè adminiſtrandi præcepta, viguerunt.

Sequitur nunc Scientiæ Sinicæ Liber quartus, ſive Mem çu *dictus, Sinarum Philoſophus ſecundus qui uno pòſt* Confucium *ſæculo vixit. Conſtat ſeptem partibus ſeu capitibus ejuſdem opus, operi* Confuciano *molem ſi ſpectes, omnino par, ſuperius etiam quodammodo, ſi dumtaxat attendas ad ingenium & copiam, facundiamque auctoris: doctrinæ tamen integritate, & Priſcâ ſimplicitate illâ, necnon arcanâ quadam ſublimitate, quam in* Confucio *ſuo tantopere mirantur Sinæ ac deprædicant, meritò poſtponendum.* Mencium *igitur, Deo favente, in lucem Europæam producemus, ſi quidem intelligamus, ſuum qualemcumque locum & approbationem in hoc eruditiſſimo ſæculo, & ampliſſimo omnium ſcientiarum theatro obtinuiſſe* Confucium.

Finis Libri tertii Lun yu.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA

Monarchiæ Sinicæ

JUXTA CYCLOS ANNORUM LX.

Ab anno ante Chriſtum 2952. ad annum
poſt Chriſtum 1683.

Auctore R. P. PHILIPPO COUPLET *Belgâ, Soc. Jeſu,*
Sinenſis Miſſionis in Urbem Procuratore.

Nunc primùm in lucem prodit
è BIBLIOTHECA REGIA.



PARISIIS,

M. DC. LXXXVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
TABULAM CHRONOLOGICAM
SINICÆ MONARCHIÆ.

PARAGRAPHUS I.

Unde ſumat exordium Sinica Chronologia.



QUI *Annales Sinarum conſcripſerunt, omnes ferè ab eo, qui Imperii Conditor fuit,* Fohi *dictus, ordiuntur. Hic autem cœpit imperare anno ante Chriſtum 2952. Quæ verò nonnulli Hiſtoricorum commemorant ante dicta* Fohi Regis *tempora contigiſſe, pleraque ut apocrypha nulliuſque fidei, ab ipſis quoque Sinicis Interpretibus & gravioribus Hiſtoricis rejiciuntur. Certe* Tai ſu cum *primæ auctoritatis Scriptor diſertis verbis teſtatur, ea quæ ante* Xinnum *ſecundi Conditoris tempora acciderunt, ab ſe ignorari. Auctor quoque magnorum Annalium, qui centum quinquaginta ferè voluminibus conſtant, tametſi ea referat quæ ante* Fohi *tempora contigerunt, nolle tamen his à quopiam fidem adhiberi, ſatis innuit cùm dicit, ſe quidem non credere omnibus, quæ non alio quàm famæ popularis ejuſque variæ teſtimonio de remotiſſimis illis temporibus ad poſterorum aures pervenerunt; credere autem ſe libris* Kim *utique authenticis, adeoque non eſſe ſibi dubium quin ordiri debeant hiſtoriam ab ipſo* Fohi *Conditore Scriptores omnes. Nec immeritò, cùm pleraque eorum quæ*

ante Fohi *memorantur accidiſſe, primâ ſtatim ſpecie fabuloſum quid prodant. Memorant enim quòd Cœlum horam noctis undecimam inter & duodecimam conditum fuerit; Terra verò horam noctis primam inter & ſecundam. Quòd primus Homo conditus ſit inter tertiam & quartam matutinam; Fœmina poſt meridiem tertiam inter & quartam. Item primum illum Hominem (quem* Puon cu *nominant, & ſepultum dicunt in urbe* Yam cheu *provinciæ* Nan kim, *aut, ut alii, in provincia* Pe kim *in territorio urbis* Ho kien) *ex ſterili terra prognatum, & admirabili rerum ſcientiâ fuiſſe inſtructum, dominatumque omnibus; originem tamen illius ignorari. Narrant denique tres Imperatores extitiſſe, primum cœli, ſecundum terræ, tertium hominum; & horum quidem fratres alios aliis ſucceſſiſſe per annos ampliùs 49000. poſt quos aliæ rurſum 35. familiæ perpetua ſerie per aliquot annorum millia imperarint. Quæ omnia tametſi etiam Sinæ, ut dixi, reſpuant uti falſa, negare tamen non poſſumus Europæo homini ſtudioſiùs ſingula conſideranti, neſcio quid rurſus priſcæ veritatis inter fabulas iſtas, ceu denſas inter tenebras, pauxillum tenuiſſimæ lucis intermicare: quod eò fidentiùs affirmo, quòd omnes ferè fabulæ ortum ſuum habeant ex eo quod fabuloſum non eſt. Certè mihi prorſus credibile eſt à Noëmi nepotibus accepiſſe aliqua de prima rerum creatione, & quàm vivaces ac longævi eſſent primæ ætatis homines: quæ cùm deinde ad filios & nepotes quaſi per manum tradita pervenirent, utique pronum erat paulatim ceu deteri priſcam illam veritatem, vel etiam mendaciorum & fabularum acceſſione vitiari. Et verò quòd creationem cœli & terræ, maris ac fœminæ, determinatis temporibus aſſignent, jam ſatis clare fatentur non extitiſſe Mundum ab æterno, ut plerique Philoſophorum & ipſe Ariſtoteles olim docuerunt:*

Digitized by Google

docuerunt: adeoque facile est ratiocinando hîc conficere Numen aliquod supremum Sinenses cognovisse, à quo hæc omnia tam certis temporum intervallis procreata sint. Ad hæc non ignaros fuisse longævæ ætatis primorum hominum, hinc licet intelligere, quòd aliis majorum suorum octo aut decem tribuant annorum millia, & supra decem millia aliis. Cùmque Sinici Interpretes centum pro mille numerandos esse, aut (ut alii) lunares menses pro annis solaribus computandos dicant, non equidem in omnibus à vero longe aberrasse dici possunt. Adde quod tertius Sinarum Imperator, cui Hoam ti *nomen fuit, & imperare cœpit anno post* Fo hi *256. librum illum, quem de pulsibus & de medendi arte conscribi jussit (fuit enim artis quoque medicæ Princeps ac Magister) sic ordiatur, ut hanc ante omnia quæstionem instituat: Cur cùm prisci homines tam vivaces & longævi extiterint, tam brevis tamen sit vita hominum ætatis suæ. Constat deniquè ex vetustioribus Sinarum libris, virum fuisse sapientiæ famâ, & imperante secundâ* Xam *familiâ, gesto magistratu clarum,* Lao pum *vulgò nominatum, cujus &* Confucius *meminit, qui annos omnino septingentos vixisse perhibetur.*

Ad universale Diluvium quod attinet, nihil adhuc quidem certi vel explorati in Sinarum libris ac monumentis inveni: tamen hujus quoque notitiam quamvis rudem perturbatamque habuisse, fortassis erit qui probet ex iis libris qui inscribuntur Sim lì Ta ciuen; *qui quidem libri editi sunt trecentis circiter abhinc annis, regnante* Mim *familiâ, quando jussu tertii Imperatoris (qui cœpit imperare anno Christi 1402.) coactus fuit litteratorum aliquot cœtus, quorum operâ ii quos dixi libri conflati sunt; verùm uti pleni figmentis ipsorum, ita mendaciis quoque erroribusque pleni: quod haudquaquam mi-*

randum, cùm non pauci eorum priſcæ veritatis vitiatores fuerint potiùs quàm commentatores. Cæterùm quia ad id, quod agebamus, adſtruendum, ſuam qualemcumque auctoritatem habere poteſt, verbo referam quid iſthic de Mundo & Cataclyſmo dicatur. Primò totum hoc Univerſum merâ aquâ (quam & Auctor quidam ſupra ipſos Cœlos conſtituit) conſtitiſſe, quæ aſſiduo motu tandem ipſam Terram confecerit craſſiori materiâ paulatim ad centrum ſubſidente: montes quoque ex vehementiori earumdem aquarum agitatione & fluxu refluxuque ſparſim exortos; hos quidem coopertos aquis fuiſſe aliquando, convinci putant ex conchis marinis, quæ, unde tandem advectæ fuerint ad montium cacumina, ubi tamen paſſim reperiuntur, niſi dicantur montes ſub aquis aliquando latuiſſe.

Sed eſto vim nullam habeat hoc, quo nituntur, argumentum; huic certe quod ſubjungo ad probandam interruptionem generis humani per Diluvium univerſale, vis ſua quorumdam judicio fortaſſis inerit. Narrant, ante Regem Fo hi *complures extitiſſe Reges, familiaſque regias, viros item inſignes, quorum alii diſtinxerint anni tempora, alii cœleſtes motus obſervarint, Kalendarii & Cycli ſexagenarii, aliarumque artium auctores extiterint: cùmque primis illis temporibus mortales in ſilvis ac montibus ritu ferarum viverent, herbis & ferino ſanguine veſcerentur, concubitus eſſent promiſcui, aliaque hujuſcemodi, viros extitiſſe prudentiâ ac ingenii ſagacitate inſignes, à quibus domita fuerit agreſtis illa barbaries, ſic ut vagi ferique homines paulatim formati ad humanitatem jam ſuis quoque legibus in officio continerentur. Porro cùm Hiſtoriographi propè omnes denuò à Regibus* Fo hi *&* Xin num *hiſtoriam ſuam veluti certam & indubitatam ordiuntur, memorant iis quæ modò memoravi quàm*

Digitized by Google

ſimillima, iiſdemque ferè verbis de illa ætate quâ duo dicti Reges *vixerunt: atque eandem forte ob cauſam, quando totius Monarchiæ ſummarium annorum computum conficiunt, huic vix unquam inſerunt annos illos, qui ante* Fo hi *tempora numerantur; quâ re non obſcure declarant, aut fidem iis derogatam velle, aut ſi qui omnino non derogent, quaſi interitum quemdam ortumque gentis hîc extitiſſe, adeoque & interruptionem generis humani. Illa autem interruptio quid aliud fuerit quàm univerſale Diluvium, cujus cùm octo duntaxat homines teſtes extiterint, quàm pronum erat alios nepotum & abnepotum oblitos quæ ab avis narrabantur, alios nec fidem narrantibus dediſſe, atque adeo nihil præter ſpiſſas altaſque tenebras, ſed tamen non ſine illa, quam modò elicuimus, lucis ac veritatis ſcintilla, ad poſteros perveniſſe.*

Cæterùm quia nonnulli Sinenſium in hoc errore ſunt, quòd putent eos Reges *familiaſque revera extitiſſe, neque ullis tamen aquarum eluvionibus periiſſe genus humanum, facillimè nos & unica tantùm ratiocinatione errorem tollimus, & cogimus eos aut admittere commune totius Orbis Diluvium, aut fateri fabuloſa prorſus eſſe quæ de priſcis illis temporibus traduntur. Etenim cùm à* Fo hi *ad hunc uſque annum 1683. quo hæc ſcribimus, per annos quater mille duntaxat ſexcentos & triginta, tot millionibus hominum propagatum in China fuerit humanum genus; quanto majori numero neceſſe eſt propagatum fuiſſe maximo illo ante dictum* Regem *temporum ſpatio, quo ſupra quadraginta annorum millia effluxiſſe affirmant. Item ſi ab eodem* Rege *ad hanc uſque ætatem tot artes inventæ fuerint, tam brevi temporis ſpatio, ſi cum altero comparetur, quî fieri potuit, ut non tantùm eædem, ſed longè plures per immenſa tot ſæculorum ſpatia mortales excogitarint? & tamen, niſi mendaces eſſe fateamur*

in ipſo ſtatim exordio Sinicos annales, temporibus Fohi *Conditoris & ſumma fuit mortalium ruditas, & ipſi quoque mortales perquam rari. Unde autem manaverit quorumdam error, qui exiſtimarunt in Sinicis annalibus de communi Orbis Diluvio mentionem fieri, planè jam liquet: nam temporibus* Yao *quinti, aut, ſi à* Fohi *numeraveris, ſeptimi Imperatoris, (cœpit hic imperare anno ante Chriſtum 2357.) imperii ipſius anno 61. Cycli ſeptimi 41. memorantur ingentes aquarum eluviones extitiſſe, quæ plurimas terras per annos omnino novem longè latèque inundarint. Cùm itaque dictum Diluvium à ſexcenteſimo Noëmi anno quàm proximè abfuerit, ſiquidem Vulgatæ computum ſequamur, utique pronum erat Europæum hominem, tum præſertim cùm necdum tota annalium ratio perſpecta eſſet, in errorem hujuſmodi incidere. Sed hæc hactenus.*

Cæterùm quòd hiſtoria Sinica, ut ab ipſo Fohi *gentis Conditore ſumit exordium, digna ſit cui fides detur, argumento eſſe poſſunt, primò quidem quod hodieque apud Sinas eſt primæ auctoritatis, monumentum illud litteris (ſi tamen litteris, & non lineolis potiùs) exaratum, quod* Yekim *dicitur, & ipſi* Fohi *à tota poſteritate nullo refragante tribuitur, quas quidem lineolas ſeu figuras 64. (quarum ſingulæ ſex lineolis conſtant partim integris partim interruptis) commentatus fuit 1800. fere poſt annis* Rex Venvam, *& hujus filius* Cheu cum, *& ſexcentis fere poſt annis ipſe* Confucius. *Item Herbariolum* Xinnum *ſecundi gentis Sinicæ Conditoris. Libri item primi Monarchiæ Conditoris & unà Imperatoris* Hoamti *de pulſibus, & arte medendi, cujus operis adjutores necnon ſcriptores fuerunt* Lui cum, Kipe *&* Souen *tres nobiliſſimi Medici, quorum libri tot ubique Interpretum commentariis ad hæc uſque tempora leguntur*

guntur illuſtrati. Accedit quod & ab ipſo Principe Philoſophorum Confucio *in Commentariis in librum* Ye kim, *necnon in libris Officiorum, horum trium expreſſa mentio habeatur.*

Secundò nomina locorum ubi nati ſint, & quibus nati parentibus primi illi Imperii Fundatores; ubi aulam conſtituerint, ubi ſepulti. Quid? quod præcipui eorumdem Adminiſtri ſuis quique nominibus produntur poſteritati; qui item, quarum artium rerumque inventores extiterint, litterarum imprimis: harum etenim prima rudimenta ipſum Fo hi *dediſſe narrant, (nam litterarum loco nodis antea utebantur) quas litteras exinde conſecuti* Reges *aliis atque aliis litterarum earumdem figuris, quas in* Sina illuſtrata *deſcriptas habes, expreſſerunt & exornarunt.* Hoam ti *porro uſum fuiſſe ad eam rem perficiendam operâ* çam kie, *cujus & natale ſolum, oppidum ſcilicet* Cham ngan *in provincia* Xen ſi, *& is ubi ſepultus eſt locus, memoriæ produntur; cui proinde & inſtitutio, & litterarum ordinatio & compoſitio quædam ab omnibus tribuitur. Muſices verò, adeoque muſicorum inſtrumentorum ipſum quoque* Fo hi; *aratri autem, aliorumque quæ ad agros colendos ſpectant, inventorem fuiſſe docent* Xin num *primum ipſius* Fo hi *ſucceſſorem, & qui hunc ſecutus fuit* Hoam ti *Monarchiæ Conditorem, maximis encomiis proſequuntur, quòd inventor extiterit tot rerum artiumque, quas in* Tabula Chronologica *obiter enumeramus. Et verò ſi poſteriorum temporum Imperatores aut Sapientes, earum quas dixi rerum inveniſſent aliquam, num credibile eſt, quod illorum temporum Scriptores, qui minutiſſima quæque tam ſtudiosè proſecuti ſunt, ſua laude eos fraudaviſſent? At ignorabant, inquies, poſteri rerum artiumque iſtarum inventores; cùmque non invenirent quibus potiſſimum attribuerent, id-*

circo laudem hanc ex pia magis conjectura, quàm ſcientia Fundatoribus attribuere: eſto, ignorarint; eſto, laudem fortè non debitam tribuerint: at hoc certè non ignorabant, laudem ejuſmodi non aliis quàm qui aliquando extitiſſent, tribui poſſe. Denique argumentum illud, in quo plurimum video ineſſe roboris ad opinionem hanc adſtruendam, peti debet potiſſimum ex eâ, quam inſeruimus Tabulæ *huic noſtræ* Chronologicæ, *& quæ à Sinis accuratiſſimè texitur*, Genealogiâ *trium* Regum Yu, Tam, *&* Vu vam; *qui quidem* Reges *Conditores & Principes fuerunt trium præcipuarum familiarum, petitis ab ipſo inde* Hoam ti *nobiliſſimæ ſtirpis ſuæ principiis per annos bis mille 457. & 86. Imperii ſucceſſores.*

Erit fortè qui contendat, omnino non extitiſſe tres illos, quos hiſtoriæ commemorant Imperii Fundatores, ſcilicet Fo hi, Xin num, Hoam ti, *propterea quod actis eorum inſerantur quædam planè falſa & fabuloſa. Exempli gratiâ, quod mater* Fo hi *dicta* Hoa ſi, *dum forte premeret gigantis veſtigium, & lucidâ iride cingeretur, eum conceperit; quod huic deinde caput humanâ quidem formâ fuerit, ſed corpus ſerpentinâ: quod* Regi Xin num *caput item fuerit bovinâ ſpecie; quòd is uno eodemque die duodecim herbarum venenatarum genera repererit, totidemque ſingularum antidota: quod dum agriculturam inſtituere meditaretur, Cœlum pluerit triticum & orizam, quæ humo deinde mandarentur: quod mater* Hoam ti *dicta* Fu pao *fœtum ediderit quatuor & viginti poſt menſibus quàm conceperit; quod cùm dictus Imperator octoginta & unum fratres rebelles debellare non valeret, ſubmiſſa è Cœlo virgo eos commiſſo prælio extinxerit; & alia hujuſmodi. Sed enim quamvis hæc meritò cenſeantur fabuloſa, non auſim tamen ob eam cauſam fidem omnem derogare Sinicæ antiquitati, aſſe-*

Digitized by Google

rendo hujuſmodi homines numquam extitiſſe. Quis enim neget extitiſſe quondam Saturnum, Janum, Jovem, Herculem, Bacchum, Orpheum, Romulum, &c. tametſi res plurimas quæ nunquam extiterunt, eiſdem non tantùm Poëtæ affinxerint, ſed Hiſtoriographi quoque graviſſimi tribuerint?

Adde quod ea ipſi quoque Sinenſes, alii ne commemorent quidem, alii vel rejiciant ut apocrypha, & à reliquo quod ſincerum eſt ſecernant. Unde Nan hien *auctor meritò dicit, multa ex iis quæ referuntur ante tempora* Yao *&* Xun *accidiſſe, eſſe* pu kim, *hoc eſt, non authentica; vel certè uſitato priſci temporis ſtylo figuris quibuſdam hieroglyphicis depicta, & poſteritati propoſita fuiſſe contendunt: exempli gratiâ, primum Conditorem* Fo hi *ſerpenti comparatum propter prudentiam, callidumque viri ingenium, fortaſſis & propter cutem corporis, quæ maculoſa fuiſſe ſcribitur: ſucceſſoris verò* Xin num *induſtriam in agricultura, & mittendis ſub jugum bobus commendatam. Quòd ſi nequaquam videatur tantum fidei atque auctoritatis tribui poſſe Sinicæ antiquitati, age, tollantur ſanè, uti à quibuſdam tolluntur, duo illi gentis Atavi primique Conditores* Fo hi *&* Xin num; *certè quidem Imperatorem* Hoam ti *quis extitiſſe neget? quis ab hoc Monarchiam Sinicam non ordiatur ſecurus, cùm præſertim, ut paulò ante dixi, ejus ſtirpis ſeries per tot ſæcula tam accuratè tantaque cum fide recenſeatur, ut infrà videre eſt in ſerie genealogica trium familiarum principum, cùm libri item ejuſdem medici aliaque monumenta à tota poſteritate unanimi conſenſu eidem attribuantur?*

PARAGRAPHUS II.

Quâ regulâ temporum, & quo annorum numero, velut aureo, utantur Sinenſes.

UT *autem Chronologiam Sinicam texamus quàm poſſumus certiſſimam, ſecundùm Cyclum ſeu periodum annorum ſexaginta, qui unica ſunt gentis regula, procedendum eſt. Illam igitur ab ipſo* Hoam ti, *ſive ab anno ante Chriſtum 2697. auſpicamur, quando & hic Cyclum illum perfecit: nam tametſi ante* Yao *tempora Hiſtoriographi quoque annos omnes Imperii præcedentium ſex Imperatorum uniformiter fere aſſignent, per Cyclos tamen plerique non ſupputant, exceptis paucis, qui à tertio Imperatore* Hoam ti, *propterea quod is dictum Cyclum à* Fo hi *excogitatum perfecit, rationem hanc numerandi ordiuntur. Ut ut fuerit, ſaltem ante* Yao *Imperatoris tempora in uſu fuiſſe dictum Cyclum, vel hinc ſaltem liquet, quod primum hujus imperantis annum non à primo Cycli anno, ſed à quadrageſimo primo,* Kia xin *dicto, Sinarum annales omnes uniformiter incipiant. Quid autem Sinæ per ſuum ſexaginta annorum Cyclum velint intelligi, item quos uſus inde petant, breviter declarandum eſt.*

Sciendum igitur, dictum Cyclum nihil eſſe aliud quàm periodum, ſeu aureum quemdam, ut ita loquar, numerum annorum ſexaginta, qui binis ſinguli characteribus ceu nominibus ſunt inſigniti, quibus ſemel exactis, denuò illos à capite ſeu unitate, quoad ſexaginta confecerint, & ſic iterum iterumque ordiuntur; non aliâ prope ratione, quàm quâ, exactâ primâ Olympiade, ſive quatuor, ex quibus hæc conſtabat, annis, ad alios quatuor annos, adeoque

adeoque ſecundam Olympiadem, & ſic ad tertiam quartamque Græci procedebant, cum ea tamen diſparitate, quod Græci quidem, cùm unaquæque Olympias quatuor duntaxat annis conſtaret, adeoque crebras admodum Olympiades eſſe neceſſe foret; ipſi non tantùm quoto Olympiadis anno res aliqua fuiſſet geſta, ſed etiam quota eſſet ipſa Olympias, ſolicitè ſignificarent, ne alioquin prorſus incerta confuſaque redderetur temporum ratio. Sinæ verò tametſi in ſummario computo ſignificent Cyclorum ipſorum numerum, haudquaquam tamen laborant, ut in decurſu hiſtoriæ ſuæ identidem id Lectori revocent in memoriam, annum currentis Cycli duntaxat, ejuſque nomen indicare contenti, ex quo nomine quotus is ſit Cycli annus, facilè conjicitur: cùm is enim ætatem ferè æquet hominis, & ſatis numeroſam quippe ſexaginta annorum ſeriem comprehendat, ſupervacaneum ſcilicet videbatur identidem rememorare quotus ipſe Cyclus eſſet: in fine tamen ſuorum annalium ſummam Cyclorum omnium exactam Scriptores plerumque ſubducunt. Nos autem in hac Synopſi Chronologica, quò clariores ſimus, ſignificabimus etiam quotus ſit quiſque Cyclus, uti & apud aliquos Scriptores legimus, & Olympias, ut ita loquar, Sinica. Porro ſingulis annorum ſuus, ut dixi, character eſt, ſuumque nomen, quod binis duntaxat litteris conſtat: litteræ autem partim ſunt duodecim illæ, quibus ipſi diei noctiſque duodecim horas diſtingunt: tot etenim horas numerant, non uti nos quatuor & viginti: partim decem aliæ litteræ, quas nos radicales ſeu cardinales vocabimus. Jam verò & his & illis ſic utuntur, ut primam numero horariam adjungant primæ cardinali, deinde ſecundam horariam ſecundæ cardinali, & ſic deinceps: exacto denario numero, rurſus primæ cardinali adjungunt undecimam horariam, ſecundæ duodecimam, tertiæ deinceps cardinali horariam

Digitized by Google

primam, &c. atque ita cùm horariæ duabus litteris ſeu numeris ſuperent cardinales, fit ut quævis horaria diverſæ ſemper cardinali adjungatur, quoad exhauſtis ſexaginta annorum numeris, ſinguli ad primum ſitum & quaſi priſtinam ſocietatem revertantur: quod ut magis perſpicuum ſit Lectori, nos hîc Paradigma Sinicum, ſeu potiùs Europæum, quod Sinico reſpondet, ſubjicimus; hoc autem ex decem primis Alphabeti litteris ſexies redeuntibus, nec niſi duodecim notis numeralibus ſeu horariis quinies redeuntibus contexetur.

PARADIGMA CYCLI SEXAGINTA ANNORUM
ex decem alphabeti litteris, & duodecim horarum numeris concinnatum.

A I.	B II.	C III.	D IV.	E V.	F VI.	G VII.	H VIII.	I IX.	K X.	10.
A XI.	B XII.	C I.	D II.	E III.	F IV.	G V.	H VI.	I VII.	K VIII.	20.
A IX.	B X.	C XI.	D XII.	E I.	F II.	G III.	H IV.	I V.	K VI.	30.
A VII.	B VIII.	C IX.	D X.	E XI.	F XII.	G I.	H II.	I III.	K IV.	40.
A V.	B VI.	C VII.	D VIII.	E IX.	F X.	G XI.	H XII.	I I.	K II.	50.
A III.	B IV.	C V.	D VI.	E VII.	F VIII.	G IX.	H X.	I XI.	K XII.	60.

Atque hic eſt aureus ille, quem exhibemus, Sinarum numerus, ipſis lo xe hoa kia *dictus, id eſt, ſexaginta converſionum conſtructio: qui quidem numerus perennis inſtar fluvii ſuum ſemper curſum tenens, quæcumque tandem incidant mutationes rerum, adeoque ipſos inter ortus atque occaſus Regalium familiarum volvitur & volvetur, ut aiebat ille, in omne volubilis ævum. Illo autem non anni tantùm, ſed & menſes, & dies, & horæ ſua cum proportione per totum ſignantur Imperium.*

Ut igitur aptè dilucidéque texatur hæc Chronologia,

Digitized by Google

& ſic, ut deinde nullum ſit erroris periculum, pro regulâ nobis eſſe debet Cyclus ille, quem dixi, ſexaginta annorum: hoc enim Cyclo ceu manu ducunt Lectorem Hiſtoriographi ad propria cujuſque Imperatoris tempora, tam ea quibus ipſe eſt auſpicatus Imperium, quàm ea quibus idem tenuit atque adminiſtravit. Quòd ſi obſervetur aliqua varietas Scriptores inter, dum ſupputant annos quibus quiſque imperavit, Cyclus iſte litem mox dirimit; & ſi quid fortè temporis vitio, vel negligentiâ Typographorum irrepſerit, ceu accuratus Cenſor caſtigat emendatque. Exemplis res patebit.

In more poſitum eſt apud Sinas, ut annus iſte quo moritur Imperator, tametſi primo anni menſe mortuus ſit, totus tamen eidem etiam mortuo adſcribatur; adeoque is qui in Imperium ſucceſſit, non niſi à primo menſe proximè ſequentis anni annos ordiatur Imperii ſui; ubi è contrario, annum quo nati ſunt, totum ætati ſuæ vulgò Sinæ adſcribunt, tunc etiam quando poſtremo die anni nati ſunt. Ita dicimus quòd CHRISTUS *natus ſit anno ſexto Imperatoris ex* Han *familia,* Hiao ngai ti *dictì (quæ voces obedientem & miſericordem Imperatorem ſonant) cùm hic tamen ejuſdem anni menſe ſexto obierit; atque ita quinque ante menſibus quàm Salvator naſceretur. Salvator enim revera natus fuit ſub ejus ſucceſſore, cui* Hiao pim ti *cognomentum erat; quæ duæ voces ſeu litteræ obedientem & pacificum Imperatorem ſignificant. Cùm ergo nono menſe ejuſdem anni Princeps ille pacificus adierit Imperium, ſequitur natalem Regis Regum verique Pacifici incidiſſe in tertium menſem novi Imperatoris, qui Decembri Europæo exactè reſpondebat, & erat menſis undecimus anni ſexti, qui totus tribuitur defuncto Imperatori. Atque hæc etiam eſt cauſa, cur plerumque Hiſtoriographi, tametſi mentionem faciant eorum Impera-*

torum, quos non niſi diebus aliquot aut menſibus ejuſdem anni, quo deceſſor obierit, contigit imperaſſe, à ſerie tamen Imperatorum eos excludant, quandoquidem nequeat iis adſcribi iſte annus quo orſi ſunt Imperium.

Cæterùm non rarò accidit, ut aliqui Imperatores, præter morem jam dictum, pro arbitrio adſcribi ſibi voluerint annum illum quo eorum deceſſor obierat, tunc præſertim quando extinctâ veteri familiâ, nova & victrix Imperium ſuum auſpicabatur, ſive id felicitatis novo dominatui ſuo captandæ gratiâ, ſive aliis de cauſis fecerint, uti planè noſtris temporibus uſuvenit; nam ei qui auſpicatus eſt Monarchiam Tartarico-Sinicam, Imperatori Xun chi *dicto anni tribuuntur octodecim, cùm tamen ſeptemdecim tantùm tribuendi ſint, ſiquidem morem ſtylumque modò dictum rigidè obſervemus: ſed nimirum vindicavit ſibi Tartarus annum illum, quo poſtremus ex* Ta mim *familia Imperator* çum chim *dictus, laqueo ſibi vitam & imperium finivit; adeoque cùm dicitur hic* çum chim *imperaſſe annis ſeptemdecim, & Tartarus octodecim, hìc tamen revera niſi ſeptemdecim imperaverit, eoſque non integros, patet duos annos pro unico mendosè numerari: dixi non integros, quia* Xun chi *diem obiit ſecundo menſe anni decimi octavi, qui pro antiquo uſu totus ei tribuitur, prorſus ac ſi* Cam hi *ejus filius non niſi anno proximè ſequenti patri ſucceſſiſſet. Quocirca Lector perturbari non debet, ſi fortè in uno Scriptore aliud anni Cyclici nomen quo quis cœpit imperare, reperiat, in alio item aliud: quod enim deceſſoris annis exempli gratiâ adnumeratur, annis ſucceſſoris detrahitur; unde errorem hunc alioſque hujuſmodi Cyclus perenni ſemper curſu volvens corrigit: quo neglecto, ſi quis omnes annos cæcè computet, qui unicuique Imperatorum plures ab aliis, ab aliis pauciores adſcribuntur, à juſto annorum computo*

proniſſi-

proniſſimum eſt aberrare; cum è contrario ſiquidem illâ Cyclorum normâ ſe rexerit, nullo negotio quidquid ſuperfluum vel inæquale fuerit, mox tollet vel æquabit.

Imò ne tunc quidem errare periculum erit, cùm plurium annorum hiatus, vel alia quæpiam Scriptores inter diverſitas occurrerit: etenim factum eſt ſubinde, ut priore familiâ nondum penitus extinctâ (propterea quod hujus Imperator quamvis obſcurus jam victuſque, adhuc tamen ſuperſtes eſſet) victor annos victi præter morem ſibi vindicaret. Sic primo Imperatori duodecimæ familiæ Sui *dictæ tribuuntur à quibuſdam Hiſtoricis anni viginti quatuor, cùm tamen tantùm ſexdecim tribui debeant, quippe non ante ſeptimum ejuſdem annum extinctus fuit præcedentis familiæ* Chin *dictæ Imperator: quos ſeptem annos cùm iiſdem Scriptores familiæ quæ victa fuit non demant, & eoſdem tamen rurſus adſcribant victrici, utique proniſſimum erat errare, niſi bis repeti novem annos Cyclus illico doceret.*

Rurſus omittunt aliquando Hiſtoriographi non tantùm Imperatores illos, qui per dies aliquot aut menſes imperarunt, ſed & illos qui per aliquot annos Imperium tenuere. Sic ante Yao *Imperatorem per octo aut novem annos imperaſſe dicitur* Chi *Imperatoris* Tico *dicti filius; ſed quia is deinde à paternis exemplis atque inſtitutis degener deflexit, à* Regulis *Imperio ſuo privatus eſt, ſubrogato in ejus locum* Yao Rege; *quod alibi quoque nonrarò uſuvenit.*

Atque hiſce de cauſis inter Scriptores haud exigua quandoque varietas exiſtit, illos præſertim qui compendia ſectantes, magis de rerum & ſententiarum pondere, quàm de exacta illa temporum ratione laborant: unde ſi unum duntaxat alterumve Scriptorem Europæus hic conſulat, utique periculum erit ne is in annis ſupputandis erret; contrà ſi plures conſuluerit, conciliare omnes inter ſe nullo propè negotio poterit.

Digitized by Google

Sed aliud quoque hìc indicare operæpretium fuerit, quod erit Lectoribus Annalium Sinenſium ſtudiosè obſervandum: inſtituerunt enim quintæ familiæ Han *Imperatores characteres quoſdam ſeu potiùs cognomenta annorum ex duobus characteribus conflata, præter ea quæ à Cyclo, ut ſuprà diximus, ſuo ſinguli ordine ſortiuntur. Porro non illo tantùm anno quo quiſque auſpicabatur Imperium, ſed & aliis deinde annis pro cujuſque Principis arbitrio nova nomina imponebant, priore ſcilicet cognomento cum ſuis annis relicto; atque ita novis quodammodo auſpiciis imperare incipiebant, ſive id captandæ novæ felicitatis gratiâ facerent, ſive renovandi in ſe ſuiſque Imperii. Hujuſmodi cognomenta de multis ſant ſequentia:* æternum principium, æterna fortitudo, tranquillitas, veritas, lætitia, concordia, ſanctitas, gloria, felicitas: *item,* ſumma virtus, belli virtus, mars inundans, ſuprema lex, ſuprema pax, gubernatio, concordia, proſperitas, pietas longæva; cæli auxilium, cæli lex, cæli theſaurus, cæli opus, cæli decus, cæli favor, cæli gaudium, cæli fortitudo, cæli firmitas, cæli proſperitas, *&c. Fuerunt igitur qui decies mutarunt anni cognomentum pro ratione annorum plurium quibus imperavere: ad hæc cognomentis ſingulis alii annum unicum dederunt, alii quatuor, alii ſex vel ſeptem, alii denique omnes, quibus imperabant annos uno eodemque cognomento inſignitos voluere.*

Cùm igitur Hiſtoriographi in actis Imperatoris cujuſpiam commemorandis, quoad temporis computum, illius præcipuè cognomenti, quod proximè ab eo inſtitutum erat, rationem habeant, ab illo numerantes annos Imperii, non aliter quàm ſi iſto revera anno auſpicatus Imperium fuiſſet, proniſſimum utique eſt Lectorem in ſupputandis iſtius Imperii annis hæſitare identidem, quin & errare,

Digitized by Google

(*quamvis ipsi Cylo suus constet numerus & cursus imperturbatus*) *nisi institutionis hujus conscius reddatur. Res tota exemplo fiet clarissima. Dicimus* CHRISTUM *Dominum natum fuisse* Han[1] Ngai[2] Ti[3] Yuen[4] Xeu[5] Lh[6] Nien[7], *id est*, Han[1] *familiæ* Ngai[2] *Imperatoris*[3] *originalis*[4] *longævitatis*[5] *secundo*[6] *anno*[7], (*binæ litteræ* Yuen Xeu, *seu originalis longævitatis anni cognomentum sunt*) *sive postquam dictum cognomentum in usu esse cœpit anno secundo. Porro secundus hic annus revera sextus est dicti Imperatoris, siquidem annos supputemus ad infallibilem Cycli calculum: sed hic Imperator bina scilicet regnatui suo cognomenta instituit: primum fuit* Kien pim, *ab erigenda pace dictum, quod cognomentum cum ipsis Imperii auspiciis ortum suum habuit, & per annos quatuor fuit in usu, quibus exactis aliud istud* Yuen xeu, *quod originalem longævitatem sonat, anno Imperii sui quinto imposuit, à quo tamen anni Imperii ejus denuò cœpti sunt numerari à capite prorsus ac si alii quatuor non præcessissent. Porro hoc cognomentum duobus annis duntaxat* (*neque enim pluribus ipse vixit*) *duravit; cumque secundo ejusdem cognomenti anno natus sit* CHRISTUS, *si supputes juxta Cyclum sexagenarium, erit is sextus illius annus & postremus, qui est instituti ab ipso cognomenti secundus. Atque hic mos jam inde à quarto Imperatore familiæ* Han, *anno ante Christum 196. inductus usque ad hæc tempora nunquam interruptus perseveravit. Ex penultima tamen familia* Mim *dicta, & hac Tartaro-Sinica, Imperatores singuli unicum duntaxat cognomentum suo quisque regnatui assignaverunt.*

Et hæc quidem de Sinicæ Chronologiæ epocha, seu sexaginta annorum Cyclis eorumque usu dicta sufficiant, nunc ad ipsam Tabulam Chronologicam progrediamur.

PRIMI SINARUM CONDITORES.

FOHI Sinicæ gentis Conditor, oriundus ex provincia *Xen ſi*, unde ſedem tranſtulit in *Chin cheu* oppidum prov. *Ho nan*. Victimas offert Spiritui cœli & terræ, in quem finem alebat animalia. Ex contemplatione cœli & rerum ſublunarium commentus librum ſeu tabulam *Ye Kim* dictam, hoc eſt, Mutationum, cui commentandæ Rex *Ven vam* 1800. ferè pòſt annis, & ejus filius *Cheu cum*, & 600. rurſus poſt hunc annis *Confucius* Philoſophus operam dedêre. Orientis extremi incolas à barbara & agreſti vita ad humanitatem FOHI paulatim reducit. Connubia ſtabilit eâ lege, ut non ineantur niſi inter diverſi nominis familias; quæ lex hodieque viget. Litterarum (quarum loco nodis utebantur) fundamenta ſex jacit. Muſica quoque inſtrumenta, alterum 27. alterum 36. fidium invenit. Draconem vult eſſe gentis inſigne, quod deinde *Vu vam* tertiæ familiæ Fundator ſanxit ut eſſet quinque unguium pro ſolis Imperatoribus. Regnaſſe fertur centum & quindecim annis.

XIN NUM matre *Ngan tem* oriundus, placidi vir ingenii, & qui clementiâ ſuâ vicinos ſibi barbaros conciliavit. Aulæ ſedem ex *Ho nan* tranſtulit in *Yen cheu* in prov. *Xan tum*. Invenit aratrum, & docet agros colere & ſerere. Medicum agit. Die uno fertur duodecim herbas venenatas, ac totidem antidota inveniſſe. Herbariolum conflat. Ex aqua marina ſal conficit. Mercimonia inſtituit, forum ad nundinas deſignat. Dicitur obiiſſe dum ditiones *Hu quam* luſtraret. Regnaſſe traditur 140. annis, & ſepultus eſſe in civitate *Cim*.

Recenſentur hujus poſteri ſeu ſucceſſores ſeptem per annos 380. an & quam privatim ditionem adminiſtrarint, incertum. Memorant certè XIN NUM poſteros à tertiæ *Cheu* familiæ Conditore *Vu vam* donatos dynaſtiâ *Ciao* 1700. circiter poſt annis. Scribunt item aliqui XIN NUM fratrem extitiſſe proximè ſequentis HOAM TI Imperatoris ex patre ſcilicet Regulo *Yeu hium*.

TABULA

TABULA CHRONOLOGICA Monarchiæ Sinicæ ANTE CHRISTUM juxta Cyclos annorum 60.

CYCLUS 1. Annus ante Chr. 2697.

1. HOAM TI, alio nomine *Hiuen yuen*, regnat annis 100.

HOAM TI, hoc eſt, flavus Imperator, matre *Fu pao* natus, & Fundator Monarchiæ, duodennis cœpit imperare, electus à Regulis. Aulam habuit *Cho cheu* in provincia *Pe kim*. Templum Pacis dedicat *Xam ti*, id eſt, ſupremo Imperatori ſeu Deo, etſi dein ſub dio ſacrificari ſolitum. Rebellem *Chi yeu* è ſtirpe *Xin num* tertio prælio debellat. Majeſtas Imperii ſub hoc cœpit; diadema, color flavus ſolis Imperatoribus permiſſus.

Uſus operâ *Ta nao* Cyclum ſexagenarium perficit.

Aſtronomiam & Arithmeticam tabulam, necnon Muſicam & muſica inſtrumenta invenit, item arma, arcum, retia, currus, navigia, artes fabrilem & figulinam, menſuras ac pondera.

Fundit 12. æra campana, 12. anni menſes referentia.

Ciu cum & *çam kie* (qui & characteres invenit) Chroniſtas creat.

Colaos, ſeu ſupremos regni Miniſtros ſex creat.

Rebelles Principes quinque debellat.

Regina *Luy ſu* docet bombyces alere, ſericum texere, & coloribus intingere.

CYCLUS 11. Annus ante Chr. 2637.

HOAM TI artem quoque medicam de pulſibus huc uſque uſitatam pluribus libris conſcribit, adjutoribus *Ki pe*, *So ven*, *Luy cum*.

Digitized by Google

	2. XAO HAO, aliàs *Kin tien.* regn. 84.	Avis Solis in palatii faſtigio, & in ſylva Unicornis conſpicitur, utrumque magnæ felicitatis augurium. Filios mares habuit 25. à quibus ſeries nepotum longiſſima: quin & trium Imperialium familiarum Imperatores 85. per annos 2457. ab HOAM TI ceu rami à trunco ortum ducunt. Anno ſecundi Cycli 40. HOAM TI moritur æt. 111. ſepultus in prov. *Xan tum.* Anno 41. ſuccedit XAO HAO deceſſoris filius ex *Luy ſu* Regina: hujus natale ſolum, aula & ſepulcrum, *Kio ſeu* civitas prov. *Xan tum.*
CYCLUS III. Annus anteChr. 2577.		Imperante XAO HAO Avis Solis rurſum viſa, quam vult eſſe inſigne Imperii. Pax ſub hoc diuturna. Cœtus hominum muris claudit, urbeſque conſtituit. Auctor eſt novæ muſicæ. Trahendis curribus boves jungit. Per varia volucrum genera diſtinguit Præfectorum civilium gradus novem: per belluarum ſymbola, militarium Præfectorum ſex ordines; qui mos hodie durat. Hujus 4. filii magiſtratum gerunt ſub ſequenti Imp. *Kieu li* ſeu novem Dynaſtæ ordinem ſacrificiorum perturbant, plebem ſpectris & larvis dementant: hinc initia ſuperſtitionum, ex quo periclitatur Imperium.
CYCLUS IV. Annus anteChr. 2517.	3. CHUEN HIO, aliàs *Cao yam.* regn. 78.	Anno hujus Cycli 4. moritur XAO HAO ætat. 100. Anno 5. ſuccedit CHUEN HIO nepos HOAM TI ex matre *Kin kiue.* Aula in oppido *Hoa* prov. *Pe kim.* Princeps pius & religioſus, debellat 9. Regulos, ſacrificiorum ritus ad priſtinum reducit, ſublatis abuſibus. Statuit ut ſupremo cœli Imperatori ſolus Imperator in terrâ ſolenni ritu ſacrificet. Fuit auctor & parens Calendarii, quod quotannis à ſolâ aulâ ſolenniter per Imperium hodieque diſtribuitur. Principium anni ſtatuit à Novilunio principio Veris proximo, quod reſpondet in Sina quinto Aquarii gradui; quæ ratio temporis ſubinde fuit immutata, & uno altero ve menſe anticipata, ac tandem ſub 5æ familiæ *Han* 5° Imperatore *Hiao un* revocata uſque hodie obſervatur. 5. Planetarum conjunctio tum ab eo obſervata eo ipſo die, quo Solis & Lunæ conjunctio fuit.
CYCLUS V. Annus anteChr. 2457.	4. TI CO, aliàs *Cao ſin.* regn. 70.	Anno Cycli 22. moritur CHUEN HIO æt. 91. ſepultus in oppido *Hoa* prov. *Pe kim.* Ejus epitaphiũ hodie extat. Anno 23. ſuccedit TI CO ejus nepos ex *Chao kie* patre. Aula *Yen ſu* civitas, prov. *Honan.* Princeps obediens cœlo, ſpirituum quoque venerator, gravis & beneficus, forma Imperio digna. Eodem quo ſapientes habitu & cultu utitur. Pax ſub hoc diuturna. Fratres eorumque filios Dynaſtas creat in prov. *Su chuen.*

Digitized by Google

		Quatuor Reginas novo exemplo habuit. Prima poſt votum Deo factum impetravit *Cie* filium, de re agraria optimè apud poſteros meritum. Secunda dicta *Kim tu*, decimo quarto à conceptu menſe enixa eſt *Yao*. Tertia poſt oblatum Deo ſacrificium ſuſcepit *Sie*. Quarta *Chi* filium habuit.
Cyclus VI. Annus ante Chr. 2397.	*Chi* regn. 8.	Ti co cõſtituit publicos prçceptores edocẽdis populis. Vocalem muſicam inſtituit, ad unionem mutuam & virtutum ſtudia provocantem. Anno Cycli 32. moritur Ti co æt. 105. ſepultus in *Pekim*. Anno 33. ſuccedit *Chi* filius è quarta Regina, ſed quia exlex & degener, anno Cycli 40. à regulis privatur Imperio. Hic à numero Imperatorum excluditur.
	5. Yao, aliàs *Tam* & *Tao*, regn. 100.	Anno 41. Yao filius Ti co Imperio præficitur. Solus regnat annis 72. & inſuper cum Xun Collega 28. an. Aula urbs *Tai yuen* in prov. *Xanſi*. Fuit hic Imperator ſimul & Legiſlator uti & Xun ſucceſſor, uterq; totius poſteritatis Principibus norma & exemplar; erga pauperes pius, & ætate grandævos reverens: quòd eorum certus numerus in ſingulis urbibus hodieque annonâ regiâ alatur, hinc manaſſe creditur.
Cyclus VII. Annus ante Chr. 2337.		Yao cùm opibus abundaret, vulgari victu, veſtitu, domo, ſtrato contentus imperat. Suorum culpas & publicas calamitates ſibi uni adſcribit. Aſtronomis *Ho* & *Hi* adjutoribus ordinat 12. lunares menſes, ſex 30. dierum, & totidem 29. quin & intercalares menſes, qui intra annos 19. ſepties recurrunt. Sex tribunalia ſuprema inſtituit, quæ hodieque perſeverant, uti & quinque ordines Nobilium titularium. Adeò ſuaviter per 50. annos regit, ut regere non ſentiretur. Anno Cycli 40. ingens diluvium novennale. Ejus aquis educendis præfuit *Quen*. Hic inertiæ ſuæ pœnam capite luit. Ejus filius *Yu* ſubſtituitur, qui 13. annos educendis in mare & aliò aquis feliciter impendit, ſceptrum pro meritis obtenturus. Anno 50. Xun ex agro ad præfecturam evehitur ab Yao ſolâ obedientiæ famâ commoto. Eidem duas filias nuptui dat. Anno 53. ad Imperii per annos 28. ſocietatem evehitur Xun. Hic quoties luſtrat Imperium, priùs *Xam ti* ſeu Deo ſacrificat. Domat rebelles quatuor è ſtirpe *Hoamti*. Quinque genera ſuppliciorum inſtituit, in iis exequendis cõmiſerationem commendans. Vide *Xu kim*.
Cyclus VIII. Annus ante Chr. 2277.		Xun Sphæram 7. planetarum conſtruit ex pretioſis lapidibus; Imperium in 12. dividit regiones. Anno Cycli 20. moritur Yao æt. 118. relictis 9. filiis, ſepultus in *Kiofeu* in prov. *Xantum*. Eum per triennium luget populus, velut patrem matremque.

Digitized by Google

	6. XUN, aliàs *Xu*, solus regn. 50.	Anno 21. succedit XUN à deceſſore deſignatus. Aula *Pu cheu* in prov. *Xan ſi*. Tria examina inſtituit ad Præfecti cujuſque merita & demerita exploranda. Anno 36. novæ ſtellæ viſæ, quorum una inſtar ſemilunæ, nubes item viſæ inſolitis coloribus variegatæ. Muſicam novam inſtituit, canit ipſe tam voce quàm fidibus. Hiſce temporibus aut faſce lignorum cadavera involvebant, aut teſtaceis uſi ſarcophagis, hos ſeq. Imperator juſſit è ligno compingi, qui mos hodieque viget. Anno 54. ſeligit *Yu* in Imperii Collegam per an. 17. In tabula palam expoſita notari à quovis permittit, ſi quid à ſe peccatur. Sunt huic à conſiliis octo è ſtirpe CHUEN HIO, & totidem è ſtirpe TI CO. Optimatum ejus *Cao tao*, *Pe ye* & *Cie* præclara monita extant in libro *Xu kim*.
CYCLUS IX. Annus ante Chr. 2217.	1. YU, ſolus reg. 10.	Anno Cycli 10. XUN moritur æt 110. ſepultus in prov. *Xenſi*. Anno 11. ſuccedit YU ſeu TA YU, id eſt, *Magnus* YU, CHUEN HIO ex quinta ſtirpe nepos, à XUN electus relictis filiis. Fundat primam Imperialem familiam *Hia*, quæ tenuit annis 458. ſub 17. Imperatoribus. Aula, oppidum *Ngan ye* in prov. *Xan ſi*. Pius & miſericors. In 9. provincias Imperium dividit, annotans cuique ditioni quænam (ex 28.) conſtellatio reſpondeat. V. in lib. *Xu kim* quæ de agrorum diviſione & agricultura conſcripſit. Novem vaſa ingentia fundit velut 9. Provinciarũ monumenta. Muſicam inſtituit in laudem 2. Legiſlatorum *Yao* & *Xun*. Vinum vetat, inventore *Y tie* caſtigato. Tympanum & campanam ad palatii valvas erigit, cujus pulſu ſuos auditurus prodeat: qui uſus hodieque viget.
	2. TI KI regn. 9.	Anno 20. YU moritur ætat. 100. Anno 21. ſuccedit TI KI filius, à Regulis ob merita patris electus, relicto *Ye* Colao, quem YU prædeceſſor cœlo propoſuerat in ſucceſſorem. Ab hoc hæreditaria per filios ſucceſſio & nepotes. Novem ordines muſicæ & tripudiorum inſtituit.
	3. TAI CAM reg. 29.	Anno 29. moritur TI KI, an. 30. ſuccedit TAI CAM fil. Anno 31. quinque fratres ſuos dynaſtiis donat: ipſe verò luxui & venationi deditus, Imperii res negligit. Anno 47. venationi ultra fluvium *Lo* per 100. dies vacanti intercipitur ab *Y* Regulo ad aulam reditus, aſſumitur in ſolium frater minor CHUM CAM, qui titulum regium recuſat vivente fratre.
	4. CHUM CAM regn. 13.	Anno 58. TAI CAM moritur, pergit regere CHUM CAM prudens & modeſtus Princeps.
CYCLUS X. Annus ante Chr. 2157.	5. TI SIAM regn. 27.	Anno Cycli 2. aut ut alii, 6. Eclipſis Solis, quam quia *Hi* & *Ho* Aſtronomicæ rei Præfecti vino immerſi non detexêre, morte mulctantur. Anno 13. CHUM CAM moritur. Anno 14. ſuccedit TI SIAM filius.

A patris

	Hanzo intrusus regn. 40.	A patris institutis degenerat: aulã mutat in *Xam kieu*. Committit temerè regimen Imperii *Y* Regulo; hic *Hanzo*, à quo paullò pòst è medio tollitur. Anno 38. TI SIAM occiditur à *Hanzo*, qui usurpat tenetque Imperium per 40. annos. Regina ad patrem Regulum regni *Gem* prægnans fugit, paritque *Xao cam*, qui post 40. annorum interregnum imperabit.
CYCLUS XI. Annus anteChr. 2097.	6. XAO CAM regn. 22.	*Xao cam* adhuc privatus degens, per plures annos ditionem *Yu*, cui maternus avus eum præfecerat, cum laude regit. Anno Cycli 18. in prælio occiditur rebellis *Hanzo* à Regulo *Mi*, qui anno seq. XAO CAM generum suum ad Imperium paternum reducit, quod 22. an. administrat. Sub hoc pristina Imperii resurgit norma. Barbari legatione funguntur. Comitia Regulorum veteri more peraguntur. Filium *Vu yu* creat Regulum ditionis *Yue*, alterum *Kio lie* creat Regulum ditionis *Vm*.
	7. TI XU regn. 17.	An. 40. moritur XAO CAM. An. 41. succedit TI XU filius. Anno 44. maris Eoi rebelles domat.
	8. TI HOAY regn. 26.	An. 57. TI XU moritur. An. 58. succedit TI HOAY filius. Anno 60. novem barbarorum Orientalium Legati clientelam agnoscunt.
CYCLUS XII. Annus anteChr. 2037.	9. TI MAM regn. 18.	TI HOAY Imperator otio & veneri se dedit, res Imperii Ministris tradit administrandas. Anno Cycli 23. TI HOAY moritur. Anno 24. succedit TI MAM filius. Hic lustrat Imperium ad mare eoum. Aulæ sedem mutat ad Crocei fluminis occidentem.
	10. TI SIE regn. 16.	Anno 41. TI MAM moritur. Anno 42. succedit TI SIE filius.
	11. TI PU KIAM regn. 59.	Primus titulis donat Barbarorum Dynastas. An. 57. TI SIE moritur. An. 58. succedit TI PU KIAM fil.
CYCLUS XIII. Annus anteChr. 1977.	12. TI KIUM regn. 21.	Debellatis novem Dynastis, pacificè gubernat. Anno Cycli 56. TI PU KIAM moritur. Anno 57. succedit TI KIUM frater, expulso scilicet per nefas hærede filio CUM KIA dicto, posteà regnaturo.
CYCLUS XIV. Annus anteChr. 1917.	13. TI KIN regn. 21.	Anno Cycli 17. moritur TI KIUM. Anno 18. succedit TI KIN filius. Deditus veneri & superstitionibus. Multi Reguli rebellant, hinc Imperii res pessum eunt.
	14. CUM KIA regn. 31.	Anno 38. TI KIN moritur. Anno 39. succedit CUM KIA filius TI PU KIAM. Luxui & veneri totum se dedit, hinc Imperio impendet ruina. Ad Comitia Reguli venire detrectant. Anno 57. duo dracones mas & femina capti, & cuidam commissi ad alendum.

Digitized by Google

Cyclus XV. Annus anteChr. 1857.		Anno Cycli 5. naſcitur Chim tam futurus familiæ ſequentis Conditor.
	15. Ti cao regn. 11.	Anno 9. Cum kia moritur. Anno 10. ſuccedit Ti cao filius, luxui & veneri deditus.
	16. Ti fa reg. 19.	An. 20. Ti cao moritur. An. 21. ſuccedit Ti fa filius. Reguli beneficiarii Imperatorem de more adeunt.
	17. Kie regnavit 52.	Anno 39. Ti fa moritur. Anno 40. ſuccedit Kie filius, tyrannus & laſcivus. Princeps magnis naturæ dotibus inſtructus, iis corporis viribus, ut ferrum manibus frangat. In pellicis *Muy hi* gratiam turrim è lapide pretioſo conſtruit: monitores clientes occidit, alii aulam deſerunt. Lacum vini efficit, in quo 3000. hominum laſciviant.
Cyclus XVI. Annus anteChr. 1797.		A *Tam* Regulo mittitur Sapiens *Y yn*, ut Kie Regem ad frugem reducat: hic deſperatâ ejus correctione quarto anno rediit. Anno Cycli 21. *Tam* in carcerem à Kie mittitur, mox ſolvitur. *Tam* ab 800. Dynaſtis & populo contra Kie incitatur, cogitur vel invitus arma capere. Anno 31. Kie à ſuis copiis deſertus, & extra fines Sinicos fugitivus poſt triennium moritur. Prima familia Imperialis extinguitur.
	1. Chim tam regn. 13.	Anno 32. Chim tam nepos Hoam ti ordine 17. Imperium adit anno æt. 87. & fundat familiam *Xam*, quæ tenuit annos 644. ſub 28. Imperatoribus. Aula urbs *Quei te* in prov. *Honan*. Princeps pius & modeſtus. Annum inchoat à Lunâ quæ hyemali ſolſtitio vicinior, & reſpondet Januario. Colore albo in vexillis & inſignibus utitur, quemadmodum nigro præcedens *Hia* familia, & purpureo ſequens familia *Cheu*. Sub hoc fames ſeptennalis, fortaſſis eadem quæ *in* ſacris Litteris in univerſo orbe fuiſſe ſcribitur Gen. 41. Chim tam pro populo ſe in victimam Deo offert, oranti cœlum annuit effuſis imbribus: aurifodinas aperit: lætitiæ publicæ muſicam inſtituit.
	2. Tai kia regn. 33.	Anno 44. Chim tam moritur æt. 100. Anno 45. ſuccedit Tai kia nepos ex primogenito Tai tim vitâ functo. *Y yn* Colaus degenerantem Principem horto avi ſepulchrali includit, donec reſipiſcens ad ſolium poſt triennium reducitur.
Cyclus XVII. Annus anteChr. 1737.		Tai kia pii Principis & morigeri ſpeculum fuit.
	3. Vo tim, regn. 29.	Anno Cycli 17. Tai kia moritur. Anno 18. ſuccedit Vo tim Conditoris alter nepos. Is Colai *Y yn* conſiliis utitur. Anno 25. *Y yn* Colaus moritur ætat. 100. Parentat ei apparatu regio Imperator: hujus deinde filius *Y pu* quinque Imperatoribus à conſiliis fuit.
	4. Tai kem, regn. 25.	Anno 47. Vo tim moritur. Anno 48. ſuccedit Tai kem frater.

Digitized by Google

Cyclus xviii. Annus anteChr. 1677.	5. Siao kia, regn. 17.	Anno Cycli 11. Tai kem moritur. Anno 12. ſuccedit Siao kia filius.
	6. Yum ki, regn. 12.	Anno 28. Siao kia moritur. An. 29. ſuccedit Yum ki frater.
		Initia collabentis Imperii. Regulorum aliqui ad Comitia detrectant venire.
	7. Tai vu, regn. 75.	Anno 40. Yum ki moritur. Anno 41. ſuccedit Tai vu frater.
		Eo ipſo anno arbor morus 7. dierum ſpatio frondes explicat, mox tridui ſpatio prorſus exareſcit: hinc ſiniſtrum augurium.
		Colaus *Ye pu* docet inferiora eſſe virtute auguria.
		Imperii res reſtaurantur.
Cyclus xix. Annus anteChr. 1617.		Aulam transfert in *Ho nan* provinciam ob frequentes eluviones fluvii Crocei, quod ſæpius factitatum, aulâ jam trans, jam cis fluvium tranſlatâ.
		Magna ſub hoc Imperatore pax per 70 circiter annos.
		Comitiis interſunt 76. regnorum Legati.
		Priſcas leges de ſenibus ſuſtentandis, & juſtis erga mortuos perſolvendis reſtaurat.
	8. Chum tim, regn. 13.	Anno 55. Tai vu moritur. An. 56. ſuccedit Chum tim filius.
		Sub hujus auſpiciis domantur latrocinantes barbari.
		Ob eluviones aula ex *Po* prov. *Xanſi* tranfertur in *Ngao* prov. *Ho nan*, & deinde in prov. *Pe kim*.
Cyclus xx. Annus anteChr. 1557.	9. Vai gin, regn. 15.	Anno Cycli 8. Chum tim moritur. Anno 9. ſuccedit Vai gin frater.
		Aulæ ſedem mutat. Ab hoc tempore filios inter & fratres pro Imperii jure bellorum initia per an. ferè 200.
	10. Ho tan kia regn. 9.	Anno 23. Vai gin moritur. Anno 24. ſuccedit Ho tan kia frater.
		Aulã transfert ex *Ngao* in *Siam* ditionem prov. *Ho nan*.
	11. Zu ye reg 19.	Anno 32. Ho tan kia moritur. Anno 33. ſuccedit Zu ye filius.
		Aulam transfert in *Kem*, nunc urbem *Xan tu*; dein ob eluviones ad Ortum.
		Res Imperii collapſas reſtaurat: hinc pax alta.
		Reguli ad Comitia celebranda ventitant.
	12. Zu sin, regn. 16.	Anno 51. Zu ye moritur. Anno 52. ſuccedit Zu sin filius.
Cyclus xxi. Annus anteChr. 1497.	13. Vo kia, regn. 25.	Anno Cycli 7. Zu sin moritur. Anno 8. ſuccedit Vo kia frater.
	14. Zu tim, regn. 32.	Anno 32. Vo kia moritur. An. 33. ſuccedit Zu tim filius Zu sin.
Cyclus xxii. Annus anteChr. 1437.	15. Nan kem, regn. 25.	Anno Cycli 4. Zu tim moritur. Anno 5. ſuccedit Nan kem filius Vo kia.
		In Imperio ortæ diſſenſiones. Aula transfertur in *Ho nan*.

Digitized by Google

	16. YAM KIA, regn. 7.	Anno 30. ſuccedit YAM KIA filius ZU TIM. Reguli Comitia negligunt.
	17. PUON KEM, regn. 28.	Anno 36. YAM KIA moritur. Anno 37. ſuccedit PUON KEM frater. Aulam Conditoris in prov. *Xan ſi* eligit, Imperii ſtatum renovat. Pax alta. Comitia frequentantur, familiam *Xam* dictam vult deinceps nominari *Yn*.
CYCLUS XXIII. Annus anteChr. 1377.	18. SIAO SIN, regn. 21.	Anno Cycli 24. PUON KEM moritur. Anno 25. ſuccedit SIAO SIN frater, otio & luxui deditus. Incipit rurſus Imperium ruinam minari.
	19. SIAO YE, regn. 28.	Anno 25. SIAO SIN moritur. Anno 26. ſuccedit SIAO YE frater, ſocordiæ mancipium. *Tai pe* & *Chum yum* fratres, filii Reguli *Cu cum*, quòd hunc viderent plus affici natu minimo *Kilie*, ſponte ei regnum cedunt, & in Auſtrum pergentes regni *Nan kim* fundamenta jaciunt. *Tai vam* Regulus ex ditione *Pin* migrat in *Ki* ditionem: nomen indit familiæ *Cheu* poſt hanc imperaturæ.
	20. VU TIM, regn. 59.	Anno 53. SIAO YE moritur. Anno 54. ſuccedit VU TIM filius, Princeps religioſiſſimus & pacis amans.
CYCLUS XXIV. Annus anteChr. 1317.		VU TIM in ſepulchrali horto patris per triennium de reformando Imperio meditatur: offertur ei à Deo in ſomniis ſpecies viri, quem coloribus, prout viderat, expreſſum conquiri jubet; inventum inter cæmentarios Colaum creat, *Fu yue* is dicitur, cujus præclara monita vide in lib. *Xu kim*. Pax magna in toto Imperio, & regimen proſperum. Dum majoribus de more parentat, phaſianus advolans inſiſtit anſæ vaſis Imperialis, mox crocitat, unde felicitatem ſibi auguratur; ſed Colaus *Zu ki* à ſolâ virtute capiendum docet felicitatis augurium. Vide *Xu kim*.
	21. ZU KEM, regn. 7.	Anno 52. VU TIM moritur. Anno 53. ſuccedit ZU KEM filius.
	22. ZU KIA, regn. 34.	Anno 59. ZU KEM moritur. Anno 60. ſuccedit ZU KIA frater.
CYCLUS XXV. Annus anteChr. 1257.		ZU KIA perditis moribus Princeps, arrogans, ſuorum contemptor, hinc rebelliones, ex quibus Imperium rurſus ruinam minatur. Anno Cycli 27. naſcitur ex *Ki lie* laudatiſſimus ubique *Ven vam*.
	23. LIN SIN, regn. 6.	Anno 32. ZU KIA moritur. Anno 33. ſuccedit LIN SIN filius patri non abſimilis.
	24. KEM TIM, regn. 21.	Anno 38. LIN SIN moritur abſque prole, anno 39. ſuccedit KEM TIM frater. Anno 50. VU VAM, aliàs *Fa*, naſcitur, familiæ ſequentis fundator.
	25. VU YE, regn. 4.	Anno 59. KEM TIM moritur. Anno 60 ſuccedit VU YE filius, blaſphemus & ſceleſtus: ſuſpenſam utrem plenam

Digitized by Google

		nam ſanguine ſagittâ petit, dicens: *Iaculor in cœlum*, ſeu ſpiritum cœleſtem: in ſcacchulorum ludo nomina indit ſpirituum, quibuſcum ludens, per ludibrium victis inſultat. Orientales populi per inſulas maris eoi diſperguntur; hinc fortè Japonia aliæque inſulæ habitatæ.
Cyclus xxvi. Annus ante Chr. 1197.	26. Tai tim, regn. 3.	Anno Cycli 3. Vu ye blaſphemus, fulmine ictus perit in venatione. Anno 4. ſuccedit Tai tim filius.
	27. Ti ye, regn. 37.	Oritur bellum cum Regulo regni *Yen*, nunc *Pe kim*. Anno 6. Tai tim moritur. Anno 7. ſuccedit Ti ye filius. Sub hujus auſpiciis *Ki lie* debellat Regulum regni *Yen*, unde ab Imp. titulo *Heu pe* (hoc eſt Marchionis) donatur. Hic poſt triennium, ſeu anno Cycli 13. moritur, ſuccedit *Ven vam* filius. Ti ye Imperatori tres erant filii; natu minimus deſignatur hæres, eò quòd duos natu majores antè periſſet uxor, quàm reginæ titulo eſſet donata.
	28. Cheu, regn. 33.	Anno 43. Ti ye moritur. Anno 44. ſuccedit Cheu filius tertius, tyrannicè imperat, pellicis *Tan kia* amori & furori indulgens. Novum ſupplicii genus columnam æneam ignitam inſtituit, quam dein ſuaſu *Ven vam* Reguli ſuſtulit. Anno 54. in vincula conjicit *Ven vam* Regulum, qui tertio anno ſolvitur. Optimates monitores è medio tollit. Ab *Tan kia* pellice manaſſe creditur ſtudium fœminarum in extenuandis pedibus. Feſtum lucernarum, quod quotannis 15. primæ Lunæ celebratur, ab hoc tempore ortum creditur, quòd perpetuos ſine nocte dies congeſtis luminibus in Palatio æmularetur Imperator.
Cyclus xxvii. Annus ante Chr. 1137.	1. Vu vam, regn. 7.	Anno Cycli 3. per 5. dies terræmotus, quo anno *Ven vam*, principatus ſui anno 5. moritur, ætat. 97. relictis filiis 12. quos inter Vu vam, qui cum 700. millibus debellat tyrannum Cheu. Anno 16. Cheu voluntario incendio, & cum eo ſecunda familia *Xam* extinguitur. Eodem anno Vu vam fundat tertiam familiam *Cheu*, quæ tenuit 873. annis ſub 35. Imperatoribus. Aula *Cham Ngan* in prov. *Xen ſi*. Inito Imperio, more veteri ſacrificat Deo; patrem, avum, atavum, de more Imperatoris titulis ornat. Collapſas familias reſtaurat; 70. & ampliùs dynaſtias inter propinquos & bene meritos diſtribuit, futurorum bellorum ſemina. Principium anni ſtatuit eum menſem qui reſpondet circiter Decembri noſtro. *Kizu* patruum *Cheu* tyranni Coreæ Dynaſtam creat abſque onere clientelæ; hujus monita V. in *Xu kim*.

Digitized by Google

		Chen cum vitam ſuam cœli numini devovet pro fratris VU VAM ſalute, & exauditur.
	2. CHIM VAM, regn. 37.	Anno 22. VU VAM moritur æt. 93. Anno 23. ſuccedit CHIM VAM filius.
		Tutor hujus *Chen cum* patruus ob invidiam multorum ab aulâ ſe ſubtrahit; revocatur cum honore. Ejus præclara conſilia vide in *Xu kim*.
		Dum Imperator in horto fratrem ſuum joco dynaſtiâ donat, Colaus *Su ye* pro ſerio haberi vult, addens non eſſe regium jocari. Legatio ſit à *Cochinchina*: inter munera, alba fuit Gallina. *Chen cum* magneticum indicem ad reditum auſtrum verſus dirigendum donat.
		Anno 33. moritur *Chen cum*, æt. 100. ritu & ſepulturâ regiâ honoratur.
		In Comitiis de vini moderato uſu ſtatuitur.
	3. CAM VAM, regn. 26.	Anno 59. CHIM VAM moritur æt. 50. Anno 60. ſuccedit CAM VAM filius, pacis amans & fautor. Comitia celebrat, viſitat Imperium, agriculturam reformat, ejus curâ *Chao cum* commiſsâ.
CYCLUS XXVIII. Annus anteChr. 1077.	4. CHAO VAM, regn. 51.	Alta pax & concordia tanta, ut emiſſi è carceribus ad agros colendos ex pacto redeant omnes.
		Anno Cyclii 25. CAM VAM moritur. Anno 26. ſuccedit CHAO VAM filius, venationi immodicè deditus, hinc regiminis neglectus.
		Anno 41. Imperatoris autem 16. naſcitur in India ex Regulo *Cimfan* & matre *Moye*, auctor ſectæ Bonzyorum & tranſmigrationis Pythagoricæ, *Fœ* dictus. Hæc poſt annos 1060. anno poſt Chriſtum 65. in *Sinam* regiâ auctoritate primùm introducetur.
		Luſtrat Imperium Imperator.
		Colores prodigioſi obſervati in Luna.
CYCLUS XXIX. Annus anteChr. 1047.	5. MO VAM, regnavit 55.	Anno Cycli 16. Ruſtici redeuntem à venatu Imperatorem navi malè agglutinatâ doloſè excipiunt, quâ in medio alvei diſſolutâ Rex unà cum ſuis merſus perit.
		Anno 17. ſuccedit MO VAM filius, æqui & recti amans.
		Equorum & rhedarum immodicè amans, quibus vectus Imperium luſtrat.
		Domat Auſtrales barbaros provinciæ *Hu quam*, ab expeditione redit cum quatuor lupis albis & cervis.
		Belli Ducem *Cao fu* creat Regulum regni *Chao* in prov. *Xan ſi*.
		Bellum movet in Tartaros, genero fruſtrà diſſuadente. Tartari fugâ ſibi conſulunt; unde infectâ re aulam repetit.
CYCLUS XXX. Annus anteChr. 937.		Anno Cycli 9. moritur in India *Fœ*, auctor Metempſycoſis, æt. 79.
		Præclara monita *Kiun ya* & *Pe kiun* vide in libro *Xu kim*.

Digitized by Google

	6. CUM VAM, regn. 12.	Anno 11. MO VAM moritur. Anno 12. succedit CUM VAM filius. Ob tres puellas ejus oculis subductas populum *Mie* regionis insontem delet; facti mox pœnitet.
	7. YE VAM, regn. 25.	Anno 23. CUM VAM moritur æt. 84. Anno 24. succedit YE VAM filius. Nil dignum Imperatore egit, hinc multorum satyricos calamos contra se provocavit.
	8. HIAO VAM, regn. 15.	Anno YE VAM 48. moritur æt. 50. Anno 49. succedit per vim HIAO VAM frater. Equis adeò deditus, ut *Fi xu* præfectum equilis dynastiâ *Cin* donarit, hujus posteritas per nefas Imperatoriam ab hac familiam fundabit. Inusitatus grando boves & equos mactat.
CYCLUS XXXI. Annus anteChr. 897.	9. Y VAM, reg. 16.	Anno Cycli 3. HIAO VAM moritur æt. 63. Anno 4. succedit Y VAM filius, adeò hebes, ut vix Legatos aut Regulos præ pudore admitteret. Advenientes ad Comitia Regulos uno gradu descendens primus excipit cum majestatis regiæ dispendio.
	10. LI VAM, regn. 51.	Anno 19. Y VAM moritur æt. 60. Anno 20. succedit LI VAM filius. Princeps re & nomine crudelis, superbus, & exhaustis civium opibus prodigus. Publicis dictis scriptisque fugillatur. Capite sancit, ne quis subditorum inter se loqueretur aut mussitaret. Triennium tenuit durum silentium. An. 52. à furente plebe ad necem quæritur Imp. fugit hic; familia à furente populo occisa, excepto filiolo, quem *Chao cum* Colaus occuluerat. Re cognitâ plebs filiolum reposcit; Colaus filiolum suum tradit, qui à populo fraudis ignaro laniatur. Colaus frustrà tentat reducere Imperatorem per 17. annos vagum & exulem
CYCLUS XXXII. Annus anteChr. 837.	11. SIUEN VAM, regn. 46.	Anno Cycli 10. LI VAM exul moritur. Anno 11. succedit SIUEN VAM filius. Hic sub *Chao cum* & *Chen cum* tutela est per annos 15. Boni Principis specimen præbet, sapientes profugos undique convocat. Ritum quo prisci Reges agri partem suis manibus colebant, negligit, obnitente frustra Colao. Hac ætate quatergemini sapientes florent, quos una mater quaterno partu ediderat. Redeunt ad obsequium clientelare Reguli & Dynastæ. Rebelles populos Australes *Hoay ngan* & *Hu quam* ad leges Sinicas armis adigit. Regina *Kiam* prudentissima librum scribit de Gynecæi institutione.
	12. YEU VAM, regn. 11.	Anno 56. SIUEN VAM moritur. Anno 57. succedit YEU VAM filius, degener à paternis virtutibus. Bella cum Tartaro Occidentali infeliciter gerit. Pellicis *Pao su* amore captus Reginam cum filio repudiat. Anno 57. terræmotu montis *Ki* pars ruit.

Digitized by Google

Cyclus xxxiii. Annus anteChr. 777.	13. Pim vam, regn. 51.	*Anno Cycli 2. Lunâ 10. Eclipſis Solis.* Anno 7. Yeu vam occiditur in prælio. Anno 8 ſuccedit Pim vam filius legitimus. Hic aulam transfert ab Occidente *Xan ſi* prov. in Orientem prov. *Ho nan*, hinc alienatio animorum. Reguli *Ho nan*, *Hu quam* & *Kiam ſy*, *Xan tum*, *Xen ſi*, *Xan ſi*, quiſque pro ſuo regno decertat. Reguli ad Comitia venire detrectant: ſunt qui & ritus à ſolis Imperatoribus fieri ſolitos ſibi uſurpant: quod idem eſt ac Imperium ambire. Duce *Ven cum* variis præliis victi Tartari Occidentales coguntur remeare ad propria. Ab anno 56. hujus Cycli hiſtoriam Regulorum *Chun cieu*, id eſt *ver* & *autumnus*, dictam, orditur *Confucius*.
	14. Huon vam, regn. 23.	Anno 58. Pim vam moritur. Anno 59. ſuccedit Huon vam nepos, vir bellicoſus.
Cyclus xxxiv. Annus anteChr. 717.		Armis tentavit ad obſequium reducere Regulos, ſed fruſtrà. *Anno Cycli 9. Lunâ 7. totalis Eclipſis Solis.* Anno 11. Huon vam in conflictu à rebellium exercitu victus, accepto à tergo vulnere.
	15. Chūam vam regn. 15.	Anno 21. Huon vam moritur. Anno 22. ſuccedit Chuam vam filius. Conjuratio detecta. *Anno 23. Lunâ 10. Eclipſis Solis.* *Quen chu* Colai operâ Rex *Ci* ad magnam potentiam excreſcit.
	16. Li vam, regn. 5.	Anno 36. Chuam vam moritur. Anno 37. ſuccedit Li vam è *Ci* Regis familia, è ſtirpe Imperatoria. Principis Regulorum titulus *Pa* aſſumitur à *Huon cum* regni *Ci* Regulo, deinde ab aliis. Poſt 100. annos hic titulus aboletur.
	17. Hoei vam, regn. 52.	Anno 41. Li vam moritur. Anno 42. ſuccedit Hoei vam filius, ardearum aucupio deditiſſimus. *Eodem anno Lunâ 3. Eclipſis Solis.* Tartari ultra *Xan ſi* fines debellantur. Cladem accipit à Regulo regni *Ci*, qui & Regulorum Comitia celebrat tanquam caput ipſorum. Jurerando mutuam obſtringunt fidem, hauſto de more Galli occiſi ſanguine. *Anno 49. Lunâ 6. Eclipſis Solis.* *Anno 50. Lunâ 12. Eclipſis Solis.* *Anno 54. Lunâ 9. Eclipſis Solis.* Anno 58. Imp. 16. anno ante Chriſtum 660. cœpit Japonia habere Reges. Hi uſque ad annum hujus ſæculi 1608. numerantur 108.
Cyclus xxxv. Annus anteChr. 857.	18. Siam vam, reg. 33.	*Anno Cycli 3. Lunâ 9. Eclipſis Solis.* Anno 6. Hoei vam moritur. Anno 7. ſuccedit Siam vam filius natu major. Reguli Comitia frequentant: priſtina Imperii norma

		ma non nihil revocatur. *Anno* 10. *Lunâ* 3. *Eclipſis Solis.* *Anno* 13. *Lunâ* 5. *Eclipſis Solis.* Anno 17. Imperator prælio victus à fratre *Xo tai*, fugit, ſed à *Ven cum* Regulo reſtituitur, interfecto *Xo tai.* *Anno* 32. *Lunâ* 2. *Eclipſis Solis.*
	19. KIM VAM, regn. 6.	Anno 39. SIAM VAM moritur. Anno 40. ſuccedit KIM VAM filius, ſapiens, charus omnibus. Legati aſſiſtunt exequiis patris, ſed abſque ſolitis muneribus.
	20. QUAM VAM, regn. 6.	Anno 45. KIM VAM moritur. Anno 46. ſuccedit QUAM VAM filius, patri per omnia ſimilis. *Eodem anno Lunâ* 6. *Eclipſis Solis.*
	21. TIM VAM, regn. 21.	Anno 51. QUAM VAM moritur. Anno 52. ſuccedit TIM VAM frater, pacis ſtudioſus. Anno 54. menſe 9. die 14. natus in prov. *Hu quam Lao kiun* auctor ſectæ immortalium, quin & Epicurææ; Deum videtur agnoviſſe, ſectarii ejus dogmata depravarunt, obiit æt. 84. *Anno* 57. *Lunâ* 7. *Eclipſis totalis.*
CYCLUS XXXVI. Annus anteChr. 597.		*Anno Cycli* 6. *Lunâ* 6. *Eclipſis Solis.* Eodem anno ingens terræmotus.
	22. KIEN VAM, regn. 14.	Anno 12. TIM VAM moritur. Anno 13. ſuccedit KIEN VAM filius. Circa hæc tempora hæreſes ortæ, *Yam* & *Me*. Hic docet omnes æqualiter amandos, nullo ne parentum quidem diſcrimine: *Yam* curam ſui dumtaxat habendam, ne Regis quidem ratione habitâ. *Anno* 23. *Lunâ* 6. *Eclipſis Solis.* *Anno* 24. *Lunâ* 12. *Eclipſis Solis.* *Nankinenſis* regni in *Su chen* initia.
	23. LIM VAM, regn. 27.	Anno 26. KIEN VAM moritur. Anno 27. ſuccedit LIM VAM filius cum barbâ natus. Multa inter Regulos bella & cædes. Imperator prudentiâ & virtute pollens rectè adminiſtrat Imperium. *Anno* 38. *Lunâ* 2. *Eclipſis Solis.* *Anno* 40. *Lunâ* 8. *Eclipſis Solis.* *Anno* 45. *Lunâ* 10. *Eclipſis Solis.* Anno 47. Imperatoris verò 21. menſe 11. die 4. naſcitur in prov. *Xan tum Confucius* Princeps Philoſophorum. *Anno* 48. *Lunâ* 2. *Eclipſis Solis.* *Anno* 49. *Lunâ* 7. *totalis Eclipſis Solis.* Anno 50. moritur *Xo leam he* pater *Confucii*, Præfectus ditionis *Cen.* *Anno* 52. *Lunâ* 10. *Eclipſis Solis.*
	24. KIM VAM, regn. 25.	Anno 53. LIM VAM moritur. Anno 54. ſuccedit KIM VAM filius.

Digitized by Google

Cyclus xxxvii Annus anteChr. 537.	*Mem vam*, regn. paucismenſ. 25. Kim vam, regn. 44.	*Anno Cycli* 3. *Lunâ* 4. *Eclipſis Solis.* *Anno* 11. *Lunâ* 6. *Eclipſis Solis.* *Anno* 13. *Lunâ* 6. *Eclipſis Solis.* *Anno* 17. *Lunâ* 7. *Eclipſis Solis.* Anno 18. Kim vam moritur, ſuccedit minimus filius *Mem vam*, ſed mox occiſus. Anno 19. ſuccedit vi armorum Kim vam filius ſecundus. *Anno* 20. *Lunâ* 5. *Eclipſis Solis.* *Anno* 27. *Lunâ* 12. *Eclipſis Solis.* *Anno* 33. *Lunâ* 3. *Eclipſis Solis.* *Confucius* diſcipulorum numerat tria millia, hos inter 72. ſelectiores, & hos inter decem ſelectiſſimos. Anno 38. *Confucius* Præfectum agit regni patrii *Lu*, reformat omnia juxta priſcorum regulam. *Anno* 40. *Lunâ* 11. *Eclipſis Solis.* *Anno* 43. *Lunâ* 8. *Eclipſis Solis.* Inter Regulos R. *V* (modò *Nankim* auſtralior) & R. *Yue* (modò *Che kiam*) ardet bellum: *V* Regulus occiſus. Anno 52. à Regulo *Sum* extincta familia *çao*, quæ ſub 25. Regulis ſteterat annis 636. An. 57. Unicornis in ſaltu regio apparet. Hîc terminat *Confucius* hiſtoriam bellorum inter Regulos per 200. an. *Eodem anno* 57. *Lunâ* 5. *Eclipſis Solis.* Anno 59. Imperatoris 41. Lun. 4. moritur *Confucius* Philoſophus æt. 73. Anno 60. à Regulo *Zu* extinguitur regnum & familia *Chin*, quæ numeravit 24. Principes per an. 645.
Cyclus xxxviii. Annus anteChr. 477.	26. Yuen vam, regn. 7.	Anno Cycli 2. Kim vam moritur. Anno 3. ſuccedit Yuen vam filius, pius & charus. Proſcribit Regem *Lu* ad Comitia venire detrectãtem. A Regulo *Yue* extinguitur regnum *V*, quod ſub 20. Regulis ſteterat 650. annis.
	27. Chin tim vam, regn. 28.	Anno 9. Yuen vam moritur. Anno 10. ſuccedit Chin tim vam filius, Princeps caſtus dictus, quòd mortuâ conjuge cœlebs manſerit. Anno 31. à Regulo regni *Zu* extincta dynaſtia *çai*, quæ ſub 25. Principibus ſteterat annis 676. *Anno* 35. *totalis Eclipſis Solis ſic ut ſtellæ apparerent.* Anno 37. moritur Chin tim vam tribus relictis filiis. Anno 24. ſuccedit primogenitus *Ngan*, qui tertio menſe à fratre *Su* occiditur, & hic quinto menſe occiditur à fratre minore Cao vam, qui ſuccedit in Imperio.
	28. Cao vam, regn. 15.	Fratrem alterum creat Dynaſtam in prov. *Ho nan*, nomen ei eſt *Huon cum*, cujus abnepos erit hujus familiæ *Cheu* poſtremus Imperator. *Anno* 43. *Lunâ* 6. *Eclipſis Solis.* *Anno* 45. *Cometes apparet.* Anno 52. Cao vam moritur. Anno 53. ſuccedit Guei lie vam filius.
	29. Guei lie vam, regn. 24.	Ab hoc tempore rurſus bella inter Regulos per 300.

Digitized by Google

		ferè annos; *Chen que* dicta, id est, bellantia regna.
Cyclus xxxix. Annus ante Chr. 417.		Hic & sequentes nomine tenus erant Imperatores, paulatim & majestate & terris exuti.
		Anno Cycli 8. Eclipsis Solis.
		Dicuntur 9. vasa Imperialia olim ab Yu primæ familiæ Conditore conflata spontè contremuisse.
		Regni *Chao* Regulus bello victum Ducem *Chi siam* occidit, ejus cranium pro cyatho confici jubet.
	30. Ngan vam, regn. 26.	Anno 16. Guei lie vam moritur. Anno 17. succedit Ngan vam filius.
		Eodem anno 17. Eclipsis Solis.
		Regulo regni *Guei* glorianti de regno suo naturâ munitissimo *Vki* Colaus respondit; firmitatem in virtute, non in præruptis saxis constituendam.
		Anno 36. totalis Eclipsis Solis.
		Anno 42. Ngan vam moritur.
		Eodem an. 42. à tribus Regulis *Han, Chao, Quei* extincta dynastia *Cin*, quæ sub 38. Principibus steterat an. 741.
	31. Lie vam, regn. 7.	Anno 43. succedit Lie vam filius; huic potentissimus Regulus *Ci* solus defert obsequium clientelare.
		Eodem anno à *Han* Regulo extinguitur regnum *Chim*, quod sub 23. Dynastis steterat annis 432.
		Eodem anno 43. Eclipsis Solis.
		Anno 46. nascitur *Memcius* Philosophus secundus.
		Anno 49. Eclipsis Solis.
	32. Hien vam, regn. 48.	Anno 49. Lie vam moritur. Anno 49. succedit Hien vam frater minor. A nullo Regulorum ferè agnoscitur.
		Anno 57. Cometes in Occidente.
Cyclus xl. Annus ante Chr. 357.		Hien vam cùm sciret vasa 9. Imperialia ambiri seu sacra Imperii pignora per 1970. annos conservata, jussit demergi in lacu *Su* profundissimo, unde nulla arte extrahi potuere.
		Anno 22. *Memcius* ad Regem *Guei* pergit, & multò pòst ad *Ci* Regem, de recta ubique Imperii administratione differens: numeravit 17. discipulos. Extant septem ejus libri morales.
	33. Xin cin vam, regn. 6.	Anno 37. Hien vam moritur. Anno 38. succedit Xin cin vam filius, ignavus & socors.
		Hiao cum Regulus regni *Cin* præclara administratione omnes excellit, qua ratione ad Imperium viam sternit.
		Anno 42. *Cin* familiæ potentia adeò crevit, ut quinque Regulorum exercitus penitus deleverit.
	34. Nan vam, reg. 59.	Anno 43. Xin cin vam moritur. Anno 44. succedit Nan vam filius, princeps probus & modestus.
		Regni *Zu* Colaus *Kiue yen* vir rectus, invidiâ æmulorum dejectus, se in fluvium *Colo* præcipitat. Ejus desiderium produnt Sinenses, dum ludicris navigiis toto Imperio quotannis die 5. Lunæ 5. mersum quæritant.
		Annis 53. & 55. Cometes.
		Anno 57. totalis Eclipsis Solis.

Digitized by Google

Cyclus XLI. Annus ante Chr. 297.

Anno Cycli 9. moritur *Memcius* ſecundus Philoſophus, ætatis 84. hujus poſteritas uti & *Confucii* uſque hodie perſeverat, gaudetque privilegiis regiis in aula.

Anno 12. à Regulis *Ci*, *Zu*, *Guei* extinguitur regnum *Sum*, quod ſub 32. Dynaſtis ſteterat per annos 381.

Subactis variis regnis duo præcipua *Cin* & *Ci* inter ſe depugnant pro Imperio toto.

Chao ſiam Regulus regni *Cin* Imperatorio ritu ſacrificat *Xam ti* ſeu Deo, quod idem eſt ac Imperium ambire.

A regni *Zu* Regulo extinguitur regnum *Lu*, quod ſub 34. Regulis ſteterat. A *Cin* Regulo extinguitur regnum *Guei*, quod ſub 37. Principibus ſteterat.

Cin Regulus duos potentiſſimos Reges occiſis 60. millibus delet.

Anno 42. Nan vam victus, ſe cum copiis dedit clientis in morem; in ordinem redactus, anno pòſt in *Xen ſi* prov. obiit.

35. Cheu kiun, regn. 7.

Anno 43. ſubrogatus Cheu kiun *Cao vam* 31. Imperatoris ex fratre pronepos, exigui territorii dominus, qui re deſperatâ ſe abdicat, & vitam privatam inglorius duxit. Cum hoc familia *Cheu* extincta.

Quarta familia.

1. Chuam siam vam, regn. 3.

Anno 49. Chuam siam vam filius *Hiao ven vam* (qui triduò dumtaxat imperitaverat) fundat familiam *Cin* dictam, quæ tenuit annos 43. ſub 4. Imperatoribus.

Anno 50. *Eclipſis Solis.*

Anno 51. Chuam siam vam moritur 37. & ultimus familiæ *Cin*, & regni, quod ſub Reguli titulo adminiſtraverat.

2. Xi hoam ti, regn. 37.

Anno 52. ſuccedit Xi hoam ti filius adoptivus, duodecimo à conceptu menſe natus, bellicoſus, crudelis, moneri impatiens; unde 20. & ampliùs Magnates neci dedit.

Aulam in *Singan* Metrop. prov. *Xenſi* conſtituit.

Principium anni ſtatuit primam lunarem in Sagittario conjunctionem.

Titulum Hoam ti (qui hodieque viget) inſtituit, eſtque eadem vox quâ totius Monarchiæ fundator eſt uſus, at non idem character; nam *Hoam* littera ibi *Flavum*, hîc verò *magnificum & auguſtum* ſignificat.

Cyclus XLII. Annus ante Chr. 237.

Xi Hoam ti extinctis ſex regnis & horum familiis *Han*, *Guei*, *Zu*, *Yen*, *Chao*, *Ci*, Dynaſtas omnes cum titulis abrogat. Ingentem claſſem *Bengalam* uſque expedit, aliam claſſem cum trecentis puellis ad mare eoum mittit, ut medicinam immortalitatis reportent: tempeſtate diſſipatur claſſis, aliis in alias inſulas diſtractis. In 36. provincias Imperium diſtribuit; fundit ex ære 12. heroum ſtatuas ſaturâ giganteâ, quarum ſingulæ 120. mille libris conſtant.

Anno Imperii 24. murum celeberrimum 400. & ultra leucarum extruit contra Tartarorum irruptiones.

Anno

Anno 25. libros omnes præter medicos & judiciarios cremari jubet. Anno 26. plurimos litteratos vivos ſepeliri mandat.

Anno 28. XI HOAM TI luſtrans Orientem moritur. A morte varia rurſus regna inſurgunt.

3. ULXI, regn. 3.

Anno 29. ſuccedit ULXI filius ſecundus, cùm tamen pater primogenitum deſignaſſet, qui à fratre juſſus ſibi vitam adimere.

Lieu pam gregarius miles copias cogit. Phyſionomus Imperium ei prognoſticatur, traditâ in conjugem filiâ tyrannicè poſtea imperaturâ.

4. IM.VAM, regn. 45. diebus.

Anno 31. ULXI occiditur æt. 24. ſuccedit IM VAM è fratre nepos, qui occiſo patricidâ poſt 45. dies victori ſe tradit *Lieu pam*, cum quo familia *Cin* extinguitur.

Quinta familia.

1. CAO ZU, regn. 12.

Anno 32. CAO ZU, aliàs *Lieu pam*, fundat quintam familiam *Han* dictam, quæ tenuit annis 426. ſub 25. Imperatoribus. 17. prælliis victus, tandem victor evaſit.

Aulam habuit in *Xenſi*, ſeu Occidente, 230. annis, ſub 13. Impp. deinde tranſtulit in *Honan*, ſeu Orientem, per annos 196. ſub 12. Impp.

Anno 34. *Lunâ* 10. *aut* 12. *Eclipſis Solis.*

Anno 39. *Lunæ* 6. *die ultimo totalis Eclipſis Solis.*

2. HOEI TI, regn. 7.

Anno 43. CAO ZU moritur æt. 52. Anno 44. ſuccedit HOEI TI filius, pius, pacificus, obediens, quod *Hiao* ſonat. Matri regimen imprudens committit, quæ proximè per nefas imperat.

Anno 50. *Lunâ* 1. *Eclipſis Solis.*

LIU HEU intruſa, regn. 8.

Eodem anno 50. HOEI TI moritur æt. 50. Anno 51. ſuccedit contra jus regium LIU HEU Phyſionomi filia, crudelis & verſipellis. Conſanguineos omnes dynaſtiis & præfecturis donat.

Anno 52. *Lunâ* 6. *die ult. Eclipſis Solis.*

Anno 57. *Lunâ* 1. *totalis Eclipſis Solis.*

Anno 58. LIU HEU moritur. Mox tota ejus familia in convivio ludo gladiatorio ſubornato funditus deletur.

3. VEN TI, regn. 23.

Anno 59. VEN TI filius Fundatoris è privato ſuo regno ad imperium evehitur.

Anno 60. *Lunâ* 11. *die ult. Eclipſis Solis.*

CYCLUS XLIII. Annus ante Chr. 177.

Anno Cycli 1. *Lunâ* 10. *die ult. Eclipſis Solis.*

VEN TI frugalis ac modeſtus, victu, veſtitu, ſtrato humili contentus; in Gynecæo ad exemplum Reginæ nec acu pictis veſtibus & humum verrentibus uti fas eſt. Cognomenta annis Imperii variis varia primus tribuit, qui mos hodieque viget. In publica calamitate de culpis ſuis commoneri vult.

In ſacrificiis cœlo factis preces ac vota primò pro populi, deinde pro ſua unius incolumitate fundit. Pium priſcorum morem agri regiis manibus colendi renovat. Salem publici juris facit. Sub hoc duæ provinciæ *Quam tum* & *Quam ſi* ultrò ſe ſubjecere virtuti legibuſque Sinicis. Papyrus item hoc tempore inventa. Mone-

tam cupream in solâ aulâ cudi solitam, ubique cudi permittit.

Anno 6. *Cometes ab ortu.*

Anno 18. *Lunâ* 4. *die ult. Eclipsis Solis.*

4. KIM TI, regn. 17.

Anno 21. VEN TI moritur æt. 46. Anno 22. succedit KIM TI filius, sincerus, clemens, mitigat supplicium acerbitatem. Primus filiam Tartaro in matrimonium tradit. E decimo hujus filio exurget 16. hujus familiæ Imperator. Tres Regulos debellat. Septem Regulorum exercitus uno conflictu vincit.

Anno 24. *Cometes ab Occidente.*

Anno 25. *Lunâ* 10. *die ult. Eclipsis Solis.*

Anno 28. *Lunâ* 11. *Eclipsis Solis.*

Annis 29. & 36. terræmotus.

Anno 30. *Lunâ* 10. *Eclipsis Solis.*

Anno 32. *Lunâ* 10. *Eclipsis Solis.*

Anno 35. *Lunâ* 7. *die ult. Eclipsis Solis.*

5. VU TI, regn. 54.

Anno 37. KIM TI moritur æt. 48. Anno 38. succedit VU TI filius, bello & litteris clarus: fragmenta & reliquias incendii librorum undique colligi jubet, & in ordinem redigi quinque libros classicos. Immortalis vitæ potioni nimium credulus, serò pœnituit.

Tartaros multis cladibus quater afficit, ultra murum & desertum *Lop* arma proferens usque ad vicina Indiæ regna *Pegu*, Siamum, Cambojiam, Bengalam, &c. classes etiam ad insulas eoi maris. Vini fontes populo exhilarando erigi jubet: statuit ut Reguli inter filios æqualiter terras suas distribuerent; quòd si prole caruerint, ditiones Imperio restitui.

Filium Regis Tartarorum, qui in aulam venerat, stabuli Præfectum creat, deinde militiæ Ducem; nomine novo *Kin* illum impertit, quod nomen Tartari Orientalis familia Regia, quæ dum scribimus, Chinæ imperitat, conservat. Occidentalis barbari statuam ingentem auream offerunt Imperatori.

Anno 59. *stella instar Solis apparet.*

Anno 43. *magnus Cometes ab ortu.*

CYCLUS XLIV. Annus anteChr. 117.

Idem superstitionibus & spiritibus immortalibus mirè addictus, quibus proinde & templa erigit.

Magos qui eum dementarant, promiserantque uxorem sibi chariſſimam à morte videndam exhibere, elusus occidi jubet: alios qui philtris & maleficiis mulieres in amores illicitos provocabant, aulâ & Imperio exesse jussit.

Filium è concubina sibi præ cæteris charum, quòd 14. à conceptu mense natus esset, Imperatorem octennem designat, matre mori jussâ, ne, ut aiebat, impotentiâ muliebri perturbaretur rursus Imperium.

Annis 8. 9. 10. & 11. ingens sterilitas.

Anno 14. principium anni ad pristinam normam revocat, quæ hodieque perseverat, & Februario respondet.

Digitized by Google

	6. CHAO TI, regn. 13.	Anno 31. VU TI moritur æt. 71. Anno 32. succedit CHAO TI filius natu minor, super ætatem prudens, erga egentem populum munificus, tributa remittit, pacem cum Tartaris init, amnistiam more veteri indicit.
	7. SIVEN TI, regn. 25.	Anno 44. CHAO TI moritur æt. 22. Anno 45 succedit SIVEN TI nepos HIAO TI repudiato demortui patruo, quod crapulæ & veneri deditus esset, & ad suam dynastiam remisso.
		SIUEN TI Princeps placidæ indolis & piæ erga omnes, præcipuè pauperes.
		Bis à morte decretâ servatus à carceris custode, quem deinde è carcere ad solium revectus Regulum creat. Indiæ regna ab VU TI debellata rebellant: dissuadetur contra eos bellum velut res parvi momenti & populo onerosa.
		Anno 48. Lunâ 4. terræmotus.
CYCLUS XLV. Annus ante Chr. 57.		Tartarus Rex *Tan yu* legationem mittit, quâ se clientem agnoscit.
		Anno Cycli 4. Lun. 4. Eclipsis Solis.
	8. YUEN TI, regn. 16.	Anno 9. SIVEN TI moritur æt. 43. Anno 10. succedit YUEN TI filius, moderatus, frugalis: splendorem sumptusque immodicos resecat.
		Belli Duces amicitiæ jure violato occidunt duos Tartariæ Reges. Tartarus ultionem parat, sed datâ in uxorem è regio sanguine puellâ reconciliatur.
		Anno 18. Lun. 6. die ult. Eclipsis Solis.
		Anno 21. & 23. terræmotus.
		Anno 24. Lun. 6. die ult. Eclipsis Solis.
		Anno 26. Lun. 12. Eclipsis Solis & terræmotus.
	9. CHIM TI, regn. 26.	Anno 26. YUEN TI moritur æt. 43. Anno 27. succedit CHIM TI filius, Princeps veneri & vino deditus: repudiat Imperatricem, Comœdi filiâ saltatrice assumptâ. Monentes de lege regni violatâ necari jubet.
		Leam familiam è qua erat Regina mater, ad summas præfecturas evehit. Ab hac deinde secuta plurima in Imperio mala, & cædes innocentum. A *Tan yu* Rege Tartaro invisitur.
		Anno 28. Lun. 12. Eclipsis Solis & terræmotus.
		Anno 30. Lun. 4. die ult. Eclipsis Solis.
		Anno 32. Lun. 8. Eclipsis Solis.
		Anno 34. Lun. 2. Eclipsis Solis.
		Anno 42. Lun. 9. die ult. Eclipsis Solis.
		Anno 44. Lun. 1. die ult. Eclipsis Solis.
		Anno 46. Cometes ad ortum.
		Anno 51. CHIM TI derepente moritur æt. 45. nullo relicto hærede.
		Eodem anno, terræmotus per 30. & amplius urbes.
	10. HIAO NGAI TI, regn. 6.	Anno 52. succedit HIAO NGAI TI, id est, obediens & misericors, decessoris ex fratre nepos.
		Anno Imperii quinto vox insolita totâ aulâ personat. Excipitur Rex Tartarorum *Tan yu* regiâ pompâ,

Digitized by Google

	Anno 56. *Lun.* 1. *die* 1. *Sol deficit.*
	Anno 57. NGAI TI moritur Imperii anno ſexto, Lunâ 6. ætat. 25.
	Lun. 5. *ejuſdem anni Solis Eclipſis.*
	Eodem anno SALVATOR MUNDI Lunâ 11. quâ regnabat ſucceſſor dictus *Pacificus*, etſi more Sinico annus 6. totus attribuatur deceſſori.
11. HIAO PIM TI, regn. 13.	Anno 58. ſuccedit HIAO PIM TI, id eſt obediens, pacificus, ex YUEN TI nepos novennis. Hic idem annus 58. hujus Cycli 45. primus eſt à Chriſto nato.



Digitized by Google

TABULA GENEALOGICA

TRIUM FAMILIARUM IMPERIALIUM MONARCHIÆ SINICÆ

à HOAM TI primo gentis Imperatore
per 86. ſucceſſores, & annos 2457. ante Chriſtum.

E Sinico Latinè exhibita à R. P. PHILIPPO COUPLET
Belgâ, Soc. Jeſu, Sinicæ Miſſionis
in Urbem Procuratore.

Digitized by Google

SEX PRIMORUM IMPERATORUM, & primæ Familiæ Imperialis *Hia* Tabula.



Digitized by Google

A. HOAMTI primus Imperator, à quo perpetua hæc series genealogica trium familiarum Principum ducit exordium. Cœpit imperare an. ante Christum 2697. imperavit an. 100. Ex hujus quoque stirpe 1500. ferè pòst annis à VUVAM creati sunt Reguli regni *Cho*, in prov. *Xan tum* propagati per 700. circiter annos.

B. *Cham y* filius HOAMTI. Hujus filios ac nepotes TICO quartus Imper. donavit ditionibus regni *Xo*, nunc prov. *Su chuen.*

C. *Hoen tun* filius HOAMTI, vir improbus & ferox, cujus filium aut nepotem certè, ejusdem cognomenti, extinxit XUN sextus Imperator.

D. *Pa cai*, hoc est, octo concordes, filii CHUEN-HIO, qui imperante XUN præcipuis muneribus perfuncti sunt.

E. *Kiun ki* filius XAO HAO, vir improbus: hujus stirpem extinxit XUN Imper.

F. *Hi*, *Siu*, *Cai*, *Chum*, quatuor filii Imperatoris XAO HAO munus publicum obierunt imperante CHUEN HIO.

G. *Pa yuen*, hoc est, octo probi, filii TICO, qui imperante XUN inter Primates Imperii recensentur.

H. *Heu cie* filius TICO, tertiæ familiæ Imperialis *Chen* truncus: huic à XUN Imp. demandata rei agrariæ cura. Creatus fuit Regulus regni *Tai* in prov. *Xensi.*

I. YAO quintus Imperator & unà Legislator, fuit filius TICO: hujus deinde posteri 1200. ferè pòst annis à VUVAM creati Reguli regni *Ki* in prov. *Pe kim*, & 700. ferè pòst annis extincti.

K. *Chi* filius TICO, mortuo patre imperat an. 8. sed quia veneri & luxui deditus, à Regulis ejectus, substituto YAO fratre. Non ponitur in serie Imperatorum à scriptoribus.

L. *Sie* filius TICO, secundæ familiæ Imperialis *Xam* truncus. Imperantibus YAO & XUN præcipuum magistratum gessit, donatus ditione *Xam* dictâ; quod nomen ad Imperatoriam familiam transiit.

M. *Cu seu*, pater XUN sexti Imperatoris, vir improbus.

N. *Lao pum*, aliàs *Cien kien*, cujus meminit *Confucius*, filius erat *Hoei*, pronepos Imperatoris CHUEN HIO. Magistratum gessit sub variis Imperatoribus. Vixisse traditur 700. annis, filios genuisse 54. sepultus in *Mui cheu* oppido prov. *Su chuen*, *aut Siu cheu*, prov. *Nan kim.*

O. *Tan chu* filius YAO Imper. ob pravam indolem à patre exclusus à successione.

P. *Ho xo*, *Ho chum*, *Hi xo*, *Hi chum*, quatuor filii YAO Imperatoris, per singulas anni tempestates Præfecturam gesserunt, sic ut primus magistratum gereret verno tempore, alter æstivo, tertius autumnali, quartus denique brumali.

Q. *Siam* filius *Cu seu*, frater XUN ex noverca, vitæ fratris quondam insidiatus, ab eodem tamen deinde regni potito donatus ampla ditione.

R. XUN sextus Imperator & unà Legislator. Hujus posteri 1100. ferè pòst annis à VUVAM creati Reguli regni *Chin* in prov. *Ho nan.*

S. *Quen* tertii Imp. CHUEN HIO è quintâ (ut aliqui scribunt) stirpe nepos. Pater fuit YU primæ familiæ conditoris, vir improbus, quique ob expensas publicas in aquarum eluvionibus aliò derivandis inutiliter factas à XUN Imperatore interfectus est.

T. *Xam kiun* filius XUN, à successione exclusus à patre, quia inutilis ac degener.

V. YU seu *Ta yu*, filius *Quen*, è quinta stirpe nepos CHUEN HIO tertii Imperatoris. Fuit primæ familiæ *Hia* dictæ Princeps & Conditor: quæ familia per annos 458. sub 17. Imperatoribus stetit. Posteri illius à CHIM TAM sequentis familiæ Conditore creati Reguli regni *Ki* in prov. *Ho nan*, propagati per 700. ferè annos.

X. *Vu yu* & *Kia lie*, filii XAO CAM, creati Dynastæ, hic ditionis *Hoei*, ille ditionis *Vm.*

Y. KIE ultimus Imperator primæ familiæ *Hia*, quam justitiâ & pietate inchoatam, tyrannide & libidine pessumdedit. Huic successit secunda *Xam* familia.

Digitized by Google

Secundæ Familiæ Imperialis *Xam* Tabula.

Sie.[a]

Chao mim.

Siam tu.

Cham yo.

çao yu.

Y.

Chin.

Vi.

Pao tim.

Pao ye.

Pao pim.

Chu gin.

Chu quei.

1. CHIM TAM.[b]
reg. 13.

Chum gin. *Tai tim*[c]. *Vai pim.*

2. Tai kia.
reg. 33.

3. Vo tim. reg. 29. — 4. Tai kem. reg. 25.

5. Tai vu. reg. 75. — 6. Yum ki. reg. 12. — 7. Siao kia. reg. 17.

8. Chum tim. reg. 16. — 9. Vai gin. reg. 15. — 10. Ho tan kia. reg. 9.

11. çu ye.
reg. 19.

12. çu ſin. reg. 16. — 13. Vo kia. reg. 25.

14. çu tim. — 15. Nan kem.

16. Yam kia. reg. 7. — 17. Puon kem. reg. 28. — 18. Siao ſin. reg. 21. — 19. Siao ye. reg. 28.

20. Vu tim.
reg. 59.

21. çu kem. reg. 7. — 22. çu kia. reg. 33.

23. Lin ſin. reg. 6 — 24. Kem tim. reg. 21.

25. Vu ye.
reg. 4.

26. Tai tim.

Ki çu[d]. 27. Ti ye. *Pi can*[e].
reg. 37.

Vi çu[f]. 28 Cheu[g]. *Vi chum.*[h]
reg. 32.

Vu kem[i]. *Cum ki.*

Tim cum xin.

Mim cum cum. *Siam cum hi.*

Li cum fam. *Fe fu ho.*

Sum fu cheu.

Xim.

Chim cao fu.

Cum fu kia[k].

Mo kin fu.

Cao y.

Fam xo.

Pe hia.

Xo leam he[l].

CUM FU ÇU,[m]
ſeu
Confucius.

Pe yu.[n]

çu ſu.[o]

Linea tertiæ Familiæ Imperialis.

Digitized by Google

A. *Sie* filius eſt TI co quarti Imperatoris, & HOAM TI è quarta ſtirpe nepos. Ab hujus ſtirpe continuatur ſeries ſecundæ familiæ Imperialis.

B. CHIM TAM Princeps & Conditor ſecundæ familiæ *Xam* dictæ, & deinde *Yn:* quæ per annos 644. à 28. Imperatoribus propagata eſt.

C. *Tai tim* primogenitus CHIM TAM, patre ſuperſtite obiit, relicto hærede filio.

D. *Ki çu* filius TAI TIM 26. Imperatoris, dimiſſus è carcere, à VU VAM Imperatore creatur Rex Coreæ, planè dominus & juris ſui, & obſequio clientari liber.

E. *Pi can* filius TAI TIM Imperatoris, à CHEU poſtremo Imperatore qui monentem non ferebat, crudeliter interemptus.

F. *Vi çu* filius primogenitus TI YE Imperatoris, imperante tyranno *Cheu* in ſylvas fugerat: unde revocatus, à CHIM VAM tertiæ familiæ ſecundo Imperatore creatur Regulus regni *Sum* in prov. *Ho nan*, exemptus onere clientelari, & ritu familiæ ſuæ proprio regere permiſſus. Porrò familia hæc filio præmaturè mortuo, & ad *Vi chum* fratrem tranſlata, per 32. Regulos propagata, tandem fuit extincta à Dynaſtâ regni *Ci*. Regni autem *Ci* caput & princeps deinde à VU VAM creatus fuit *Tai cum vam*. Propagata hujus familia à 28. Regulis, donec à Colao *Tien ho* dicto extincta. *Tien ho* deinde creatus Regulus ejuſdem regni *Ci* à familiæ *Cheu* 30. Imperatore NGAN VAM. Hæc fuit ſtirps propagata per 7. Regulos, ac demum à Regulo regni *Cin* extincta.

G. CHEU filius tertius TI YE Imperatoris: ob cujus tyrannidem extincta familia *Xam*, ſuccedente tertiâ *Cheu* familiâ.

H. *Vi chum*, aliàs *Chum yen*, ſecundus filius TI YE penultimi Imperatoris: in regno fraterno *Sum* degit, ubi ejus filii & nepotes publicis perfuncti muneribus. Ab hoc continuatam deſcribunt ſtirpem *Confucii* Sinarum Philoſophi.

I. *Vu kem* filius *Cheu* ultimi ex familia *Xam* Imperatoris, cùm temere multa ſpargeret in vulgus contra CHIM VAM ſecundum novæ jam familiæ *Cheu* Imperatorem, occiſus fuit à *Cheu cum*.

K. *Cum fu kia* filius *Chim cao fu;* à quo familiæ *Confucii* nomen *Cum* inditum, quod hodieque in familiâ conſervatur.

L. *Xo leam he*, filius *Pe hia*, Præfectus ditionis *Ceu* dictæ. Hic cùm novem filias, marem nullum genuiſſet, jam ſeptuagenarius puellam *Chim* duxit, oriundam ex familia *Yen*, quæ tunc præcipuæ nobilitatis erat; & quamvis obſcurior ipſe cenſeretur, quod tamen conſtaret, ſtirpem ex Imperatoris ſanguine quamvis remotam ducere, expetitis nuptiis potitus eſt: ex his natus eſt *Confucius*.

M. *Cum fu çu*, ſeu *Confucius*, filius *Xo leam he*, natus an. 12. *Lim vam* Imperatoris, ante Chriſtum 551. vir, uti morali nobilitate, quæ à virtute litteriſque petitur, inter Sinas nobilis; ita ſanguinis quoque nobilitate nemini fortaſſis aliarum Gentium ſecundus. Præterquam enim quòd à HOAM TI primo gentis Imperatore per rectam lineam deſcendat, ipſiuſmet quoque filii & nepotes per annos bis mille ducentos & ampliùs ſplendorem domus ſuæ conſervant in hodiernum uſque diem, quo ejus nepos ordine 67. (aut fortè 68.) cum titulo *Que cum*, hoc eſt, Ducis, ſolus è Sinis à tributo liber reſidet in natali urbe *Kio feu* in prov. *Xan tum*, propriâ & perantiquâ familiæ iſtius ſede. Itaque ab Imperatore HOAM TI ſupputando annos uſque ad natum *Confucium*, ſunt 2146. his ſi addas 2237. qui ſunt à nato *Confucio* uſque ad ſæculi hujus 1683. fatendum erit unam eamdemque ſtirpem annis omnino 4383. per filios & nepotes numquam interrupta ſerie fuiſſe propagatam, ſiquidem Sinenſium faſtis fides adhibenda.

N. *Pe yu* filius unicus *Confucii* obiit ætatis ſuæ anno 50. cùm pater ageret ætatis annum 69.

O. *çu ſu* filius *Pe yu*, magnis in Imperio perfunctus muneribus, ſcripſit librum *Chum yum*, ſeu de medio, ex mente avi ſui *Confucii*, cujus adeo cenſeri poteſt interpres. Magiſter & ipſe ſecundi Sinarum Philoſophi, cui *Memcius* eſt nomen; cujus poſteritas tametſi in ortu ſuo obſcura, tamen huc uſque perſeverat, & in aulâ ſuis quoque honorum titulis ab Imperatoribus decoratur.

Digitized by Google



Digitized by Google

A. *Heu cie* quarti Monarchiæ Imperatoris Ti co filius, & tertiæ familiæ *Cheu* deinde dictæ truncus. Huic à Xun demandata rei agrariæ cura, & ob merita creatus Dynasta ditionis *Tai* in prov. *Xen si*. Hujus stirps sub duabus familiis regiis *Hia* & *Xam* per 40. generationes continuata recensetur: hîc verò eorum ferè nomina qui rem memoriâ dignam reliquerunt, à scriptoribus afferuntur, etsi recenseantur fortè in aliis libris qui hîc desiderantur.

B. *Pu co* è stirpe *Heu cie* magistratum gessit sub primâ *Hia* familiâ. Cùm autem videret leges & jura regni pessumdari, & familiam regiam ad interitum vergere, depositio Magistratu clam confugit ad terras barbarorum, ibique rem agrariam (antiquum & proprium familiæ munus) cœpit instituere, qua re omnium animos sibi devinxit. Ab hoc rursus propagata familia per filios & nepotes usque ad *Cum lieu*.

C. *Cum lieu* cùm ditionem barbaris cinctam obtineret, sic tamen suos instituit, ut vicinis quoque amori esset ac venerationi; unde crescente in dies populi multitudine, in amplam ditionem *Pin*, nunc *Pin cheu* dictam, in prov. *Xen si* sese contulit anno 22. Imperatoris Kie, qui è prima familia *Hia* 17. fuit & postremus. A *Cum lieu* verò usque ad *Tai vam* recensentur 9. generationes.

D. *Tai vam* seu *Cu cum*, collapsum nonnihil familiæ statum restauravit, & debellatis deinde barbaris in loco *Ki xan* (ubi modò est *Fum ciam* urbs prov. *Xen si*) ibidem stabilem fixit sedem, & novum familiæ suæ nomen *Cheu* indidit, quod idem nomen perseveravit deinde in familia Imperiali. Facta est autem ea ex *Pin* ditione in *Ki xan* transmigratio anno 26. Siao ye Imperatoris decimi noni ex familia *Xam* secunda.

E. *Tai pe*, & *Yu chum*, aliàs *Chum yum*, (laudati ambo à *Confucio*) filii *Tai vam* majores natu, cùm scirent minorem natu fratrem *Ki lie* à patre amari impensiùs, eique destinari regnum, in utriusque gratiam spontanei exules barbarorum Australium ditiones ultrò petunt: quos ut celent genus suum tonsa cæsarie, nec non maculis servilibusque notis corpus suum deformant: *Tai pe* tamen à barbaris illis electus fuit Regulus regni *V*, fundavitque nobilem urbem *Su cheu*, ubi ejus sepulchrum hodieque extat, in prov. *Nan kim*. Scribunt item à Vu vam creatum Regulum ejusdem regni *V* pronepotem hujus *Chum yum*.

F. *Ki lie*, seu *Vam ki*, patri *Tai vam* succedit in ditiones. Insigni pietate & justitia Regulorum animos sibi devinxit. Barbaros *Pekinenses* jussu Tai tim & Ti ye duorum Imperatorum feliciter domuit. Obiit imperantis Ti ye anno septimo, relicto filio *Ven vam* 47. annos tunc agente.

G. *Ven vam*, filius *Ki lie*. Imperiali familia *Xam* in ruinam vergente, 40. Reguli se illi subdunt. E tribus Imperii partibus duas benevolentiâ & veneratione virtutum devinctas sibi habet. Non ponitur tamen in serie Imperatorum. Reliquit filios 12. quos inter Vu vam tertiæ familiæ *Cheu* fundator.

H. Vu vam filius præpotentis Regis *Ven vam*, ipse Princeps & Conditor amplissimæ *Cheu* familiæ, quæ per annos 873. à 35. Imperatoribus propagata est. Hic Imperator fratribus suis varia contulit regna: filios quoque suos ac nepotes, prout quisque virtute cæteris præcellebat, dignitate quoque voluit præcellere.

I. *Pe ye cao*, filius *Ven vam* natu maximus, ex optimatibus Imperatoris Cheu, qui postremus fuit familiæ *Xam*. Hic eundem *Pe ye cao* (patre in vinculis detento) interfecit, & carnes interfecti frixas apteque conditas *Ven vam* patri ceu edulium è mensâ Regia offerri jussit, addens, siquidem ipse vir sanctus esset, jam proculdubio præsciturum cujusmodi edulium istud esset.

K. *çao vo chin* filius *Ven vam* præmaturè obiit.

L. *Pie cum cao* filius *Ven vam*, ex optimatibus Imperii unus; creatus ab fratre suo Vu vam Regulus regni *Pu*, quæ nunc est Metropolis prov. *Xen si*, dicta *Singan*.

M. *Cam xo* filius *Ven vam*, creatus à fratre Vu vam Regulus regni *Guei* in prov. *Ho nan*. Post 800. & amplius an. extincta ejus familia à Regulo R. *Cin* postquam fuerat per 37. Regulos propagata.

Digitized by Google

N. *Xo ſien* filius *Ven vam*, à fratre VU VAM creatus Regulus regni *Quon* in prov. *Ho nan*: ſed mox imperante CHIM VAM cùm rebellionem moliretur, à *Cheu cum* fratre occiſus eſt.

O. *Xo chu* filius *Ven vam* creatus à fratre VU VAM Regulus regni *Ho* in prov. *Xan ſi*, nunc urbs *Pim jam*: quia verò imperante CHIM VAM viſus eſt rebellionem moliri, in ordinem plebeiorum redactus fuit à *Cheu cum*: ejus tamen familiæ Reguli per 700. ferè annos propagati ſunt; & tandem extincti à Regulis regnorum *Cin* & *çu*.

P. *Chao cum xe* filius *Ven vam*, ex Imperii primatibus unus, & à fratre VU VAM creatus Regulus regni *Ten* nunc prov. *Pe kim*. Per 28. Regulos propagata hujus familia, demum à Regulo regni *Cin* extincta eſt.

Q. *Cheu cum* filius *Ven vam*, omnium ſcriptorum *Confucii* imprimis encomiis celebratus, à fratre ſuo VU VAM creatus primus Regulus regni *Lu* nunc prov. *Xan tum*.

R. *Xo vu* filius *Ven vam*, à fratre VU VAM creatus Regulus regni *Chim* in prov. *Xan tum*, quod deinde collapſum Imperator SIUEN VAM, hujus familiæ *Cheu* undecimus, dedit fratri ſuo *Chim* dicto.

S. *Xo chin* filius *Ven vam*, à fratre VU VAM creatus Regulus regni *çao* in prov. *Xan tum*. Hujus familia propagata fuit per 25. Regulos, donec à Regulo regni *Sum* extincta.

T. *Xo tu* filius *Ven vam*, creatus Regulus regni *çai* in prov. *Ho nan*, at quia ſuſpectus rebellionis contra CHIM VAM, ejectus fuit à *Cheu cum*: familia tamen ejus per 22. Regulos propagata fuit, ac tandem à Regulo regni *çu* extincta.

V. *Pe kin* filius *Cheu cum*, revocato à CHIM VAM in aulam patre, huic in regnum *Lu* ſucceſſit; & cum perpetua deinde ſerie 32. Reguli conſecuti, donec à *çu* regni Regulo *Cao lie vam* dicto extincta eſt hæc familia. Porrò à CHIM VAM creatus erat *Hium je* caput & Princeps regni *çu*. Propagata hujus familia per 25. Regulos, ac demum extincta à Regulo regni *Cin*.

X. *Xo ju* filius ſecundus CHIM VAM, à quo creatus Regulus regni *Tam*, ac deinde regni *Cin* dicti, in quo familia propagata fuit à 29. Regulis, donec à tribus Regulis regnorum *Han*, *Guei* & *Chao* fuit extincta. Hæc autem tria regna à GUEI LIE VAM 29. Imperatore familiæ *Cheu* inter Optimates diſtributa ſunt: & demum à Regulo regni *Cin* extincta: poſtquam regnum *Han* numeraverat 10. Regulos, regnum *Guei* octo, & regnum *Chao* 12. Hujus poſtremi regni olim à MO VAM 5. Imperatore familiæ *Cheu* creatus Regulus *çao fu* fuerat.

Y. *Chim* filius LI VAM, à fratre SIUEN VAM creatus Regulus regni ejuſdem cognomenti *Chim*: hujus familia per 22. Regulos propagata, extincta tandem fuit à Regulo regni. *Han*.

Z. *Pe ſo* filius Imp. YEU VAM ex *Pao ſu* pellice. Hunc deſtinaverat pater Imperii hæredem; ſed occiſo patre & pellice, ſucceſſit legitimus filius PIM VAM.

AA. *Ke* patre mortuo regnum affectat: detectâ conjuratione fugit.

BB. *çu tui*, patre mortuo regnum affectat; ſed tandem cum rebellibus occiſus.

CC. *Xo tai* filius ſecundus HOEI VAM, quem pater Imperii hæredem deſtinat, quo tamen potiri non poteſt, Regulis jurejurando fidem obſtringentibus majori natu SIAM VAM poſtea dicto: itaque poſt multa bella tandem occiditur à *Ven cum* Regulo regni *Cin*.

DD. *çu xim*, *Mem*, & *çu chao* filii Imper. KIM VAM præmaturè obierunt.

EE. *Ngai vam* filius CHIN TIM VAM, patre ſub initium anni mortuo imperare vix cœperat, cùm tertio menſe à fratre interfectus eſt.

FF. *Su vam* filius item CHIN TIM VAM, & fratricida, uſurpavit Imperium, quod quinto poſt menſe amiſit, interfectus à minore fratre CAO VAM, qui 15. deinde annis Imperium adminiſtravit.

GG. *Huon cum* filius CAO VAM, à fratre GUEI LIE VAM creatus Regulus in prov. *Ho nan*, cui dein ſucceſſit *Guei cum* filius.

HH. *Hoei cum*, nepos *Huon cum* Regulus *Ho nan*, filium minorem *Tum cheu kiun* dictum creavit Regulum ditionis *Cum*, nunc urbs eſt *Ho nan* prov. *Ho nan* item dictæ.

II. *Si cheu cum* primogenitus *Hoei cum* ſic dictus, quia fuit regionis Occidentalis Regulus in eadem prov. *Ho nan*.

KK. TUM CHEU KIUN ultimus & 35. familiæ *Cheu* Princeps, filius hic fuit *Hoei cum*, & è quinta ſtirpe nepos CHIN TIM VAM Imperatoris 27. Extincta fuit hæc familia à Regulo regni *Cin*, dicto *Chuam ſiam vam*: erat autem dictus Regulus oriundus ex ſtirpe *Fi çu*, quem 8. Imperator familiæ *Cheu* HIAO VAM regno *Cin* donaverat: cujus ſtirps à 37. Regulis propagata, tandem ſub XI HOAM TI Imperio quoque potita fuit, verùm tribus & quadraginta poſt annis extincta familia, ad eam quæ *Han* dicitur, tranſlatum Imperium.

Atque hæc demum eſt trium familiarum Imperialium ſeries genealogica, quam idcirco placuit hîc exhibere, quòd eæ familiæ reliquas omnes quæ conſecutæ ſunt, decem & novem & annorum diuturnitate & felici adminiſtratione, nec non virtutum & pietatis laude (ſi poſtrema tertiæ familiæ tempora exceperis) longè ſuperaverint; reliquarum verò familiarum ſeries genealogicas accuratè conſcriptas qui voluerit, conſulat, ſi placet, Sinenſes Hiſtoriographos.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA

Monarchiæ Sinicæ

JUXTA CYCLOS ANNORUM LX.

Ab anno poſt Chriſtum primo, uſque ad annum præſentis Sæculi 1683.

Auctore R. P. PHILIPPO COUPLET *Belgâ, Soc. Jeſu, Sinenſis Miſſionis in Urbem Procuratore.*

Nunc primùm in lucem prodit
è BIBLIOTHECA REGIA.



PARISIIS,

M. DC. LXXXVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

Summatim exhibetur perpetua ſeries Familiarum Imperialium.



NTEQUAM *Tabulam alteram Chronologicam Monarchiæ Sinicæ poſt Chriſtum hîc ſubjiciam, juvat præmittere, & ſub unum quaſi aſpectum Lectori offerre Imperialium Familiarum Monarchiæ tam quæ ante, quàm quæ poſt Chriſtum floruere, quoddam ſummarium. Rectè notant Sinenſes Interpretes, quòd ſicut Elementis totique Mundo ſublunari ſuæ ſunt rerum temporumque viciſſitudines, ita ſuis ſint etiam regnis atque imperiis, adeoque familiis illis, penes quas ſunt ipſa imperia, ſic ut dum una occidat, oriantur aliæ; dum hæ vigent ac florent, marceſcant illæ & conſeneſcant, nec quidquam ferè conſtantius ſit quàm ipſa rerum viciſſitudo & inconſtantia. Locupletiſſimæ veritatis hujus teſtis eſt Sinarum Monarchia.*

Primus itaque gentis Sinicæ Conditor Fo hi *vagos & agreſtes homines ad quandam vitæ ſocietatem primùm adduxit, mox etiam conjugiis blandè vinctos, ad humanitatem informare cœpit. A* Xin num *deinde agriculturam docti ſunt, atque aliis vitæ tuendæ præſidiis muniti. Poſtea verò celebrem illum* Hoam ti, *à quo periodum ſexaginta annorum orſi ſumus, & tres ejuſdem ſucceſſores (ſcilicet* Xao hao, Chuen hio, *&* Ti co*) duces & magiſtros nacti, ac cultioris vitæ rudimentis imbuti, adolevere paulatim in Regnum hoc & Imperium ultimi Orientis.*

Sex gentis Sinicæ Conditores ac Principes ſecuti ſunt celeberrimi duo Imperatores iidem & Legiſlatores Yao *&* Xun. *Quod autem* Confucius *in libris ſuis, & qui huic proximus cenſetur, centum annorum intervallo,* Memcius, *horum duorum Principum mentionem potiſſimum faciant, non item ſex præcedentium, non alia, ut opinor, cauſa fuit, quàm quòd ambo iſti & Reges fuerint & Legiſlatores, quòd ab iiſdem præcipui quique ritus civiles & inſtitutiones politicæ ſint profectæ. Horum verò duorum Imperatorum ſeu Legiſlatorum tempora annos 150. explent, qui ſi ad annos 587. præcedentium ſex addantur, univerſim exiſtent 737.*

Duos gentis Conditores & ſex Imperatores ſecutæ ſunt Imperiales Familiæ, penes quas ad hæc uſque tempora ſuprema dignitas fuit, & monarchica Sinarum adminiſtratio. Univerſim duæ & viginti numerantur, novem ſcilicet majores, minores tredecim; ſi tamen his omnium poſtremam familiam, & quæ jam maximè adoleſcit, Orientalium dico Tartarorum, ſub qua hæc ſcribimus, adjungamus.

Porro tres illæ Familiæ, quæ reliquas anteceſſerunt, tempore, famâ quoque & laudibus antecedunt; quippe morum integritate, pulcherrimis inſtitutis, ad hæc clementiâ, æquitate & fide adminiſtrantium Rempublicam, *aliarum omnium verè principes. Has inter prima, quæ* Hia *dicitur, Imperatores 17. numerat, quæ per annos 458. imperium tenuere: altera* Xam *ac deinde* Yn *dicta, Imperatores 28. per annos 644. tertiam denique, quæ vulgò* Cheu *nominatur, Imperatores 35. per annos 873. rexerunt; vicitque hæc omnes & Principum numero, & annorum. Trium verò familiarum annos conficiunt 1975.*

Quæ tempore trium Familiarum geſta ſunt, partim referuntur

Digitized by Google

feruntur in toto libro Xu kim *à variis illorum temporum Hiſtoriographis Regiis, partim in aliis haud minoris fidei libris claſſicis atque authenticis, quos ipſemet* Confucius *Philoſophus ſingulari ſtudio atque operâ collegit: multa quoque à* Tai ſu cum *commemorantur, qui pluſquam duobus ſæculis vixit ante* Confucium; *& à* Lao kiun, *qui coætaneus ejuſdem fuit, tametſi ſenior: quin & Philoſophus ipſe ſub vitæ exitum functus Hiſtoriographi munere, non pauca memoriæ poſterorum prodit in eo libro qui* Chun cieu *dicitur; atque in libris Scientiæ Sinicæ, quos in lucem damus, multa quoque reperiuntur à* Confucio Memcio*que inſperſa, quæ ad ætatem trium Familiarum ſpectant.*

Cæterùm familia Cheu *trium principum familiarum, uti jam diximus, poſtrema, uti fuit primis maximè temporibus florentiſſima, ita copioſiorem quoque ſcribendi materiam præbuit: annis tamen labentibus & ipſa labi cœpit, & fallentia rerum humanarum decreta paulatim experiri. Certè quo tempore Philoſophus vivebat, multum jam de antiquis ſuis moribus, priſcaque integritate & ſeveritate amiſerat. Laboravit ille quidem per annos complures, & incenſo planè ſtudio tam verbis quàm ſcriptis egit, ut auream illam Priſcorum ætatem innocentiamque revocaret, ſed nullo vel perexiguo certè quidem ſucceſſu laboravit. Perierunt ergo tandem tres familiæ principes, poſtquam ex eis octoginta Imperatores per annos omnino 1975. Imperium Sinenſe tenuerunt, &, quæ humanæ conditionis infelicitas eſt, periit unà cum illis priſca fides, candor, innocentia: quin & hæreſes ab ipſo* Confucii *tempore invaleſcebant, nec multis poſt ſæculis execrabilis idolorum peſtis ab India invecta cultiſſimam gentem fœdis inſaniſque ſuperſtitionibus miſerandum in modum contaminare cœpit. Et quamvis aliquæ familia-*

Digitized by Google

rum, quæ tres modò memoratas consecutæ sunt, impensè hoc egerunt, ut instituta Majorum ac disciplinam, pristinosque mores revocarent, nunquam tamen perficere potuerunt, ut non labes aliqua vitiatæ semel ætatis, & quasi rugosum quid ac senile persisteret, multumque priscæ integritatis atque severitatis (quemadmodum observant omnes) desideraretur. Est interim memoriâ sanè dignum quod Yam cie *gravissimus inter Sinas auctor animadvertit in Prologo suo, qui quidem omnibus omninò annalibus præscribi solet, ruinam scilicet trium familiarum tam illustrium ex tribus maximè pellicibus, quarum singulæ singulis familiis damno fuerint, extitisse. Quod tametsi non sine causa vir prudens animadverterit, aliam tamen quoque rem tertiæ huic familiæ damno fuisse atque exitio multi observarunt: quippe cùm Fundator illius* Vu vam, *Princeps militari gloriâ clarissimus, idemque mirificè liberalis erga suos, septuaginta* Regna *seu Dynastias, eoque amplius, eis qui bene de Imperio meriti fuerant, nec non consanguineis suis largitus fuisset, hæc munificentia cupiditati, sicut fit, ambitionique materiam præbuit, adeoque bellis sanè diuturnis ac luctuosis. Certè cùm procedente tempore octodecim majora* Regna *mutuis inter se bellis arderent, tandem imperante* Yeu vam, *qui duodecimus ex familia* Cheu *Imperium moderatus est, ad septem* Regnorum Principes *seu* Regulos *spes tota victoriæ bellique moles devenerat, sic prorsus ut septem postremi Imperatores præter augustum nomen Filii Cœli, sive cœlitùs dati, & sigillum, & novem vasa Imperialia, præter imagines denique & umbras imperii vix aliud quidquam retinerent: ei verò, qui postremus fuit omnium, ex amplissimo terrarum imperio nihil jam supereſſet præter exiguam septem oppidorum ditionem.*

Tribus ergo *familiis* Hia, Xam, Cheu, *quarta suc-*

Digitized by Google

ceſſit Cin *dicta, quæ poſtquam per annos omnino ducentos ac decem cum aliis ſex* Regnis *pro ſuprema dignitate decertaverat, omnium tandem victrix votis ſuis ampliſſimoque Sinarum Imperio potita eſt: ſed enim breviſſimo potita tempore. Certè tertio poſt die quàm ſolium occupavit, in tumulum eſt illatus; filius exacto mox triennio, ſpe pariter ac vitâ ſpoliatus, ſecutus eſt patrem, & cum eo ſtirps omnis familiaque concidit. Uſque adeo ſcilicet brevis & caduca fuit felicitas, imò ſpes mera felicitatis, ad quam ambitio tot annorum per tot cædes ac vulnera ſibi viam fecerat. Quamvis autem qui deinde ſucceſſit* Xi Hoam ti *dictus, atque omnium tandem victor nomen familiæ* Cin, *in quam aliena ex ſtirpe adoptatus fuerat, per annos 37. quibus imperavit, tutatus ſit, atque uſus conſilio ſanè perappoſito Monarchiæ ſuæ non ſolùm conſervandæ, ſed etiam perpetuandæ,* Regulos *omnes factionum bellorumque duces in ordinem,* Regna *verò in* Provincias *redigeret; tandem tamen unà cum illo ipſum quoque nomen extinguitur: immortale quidem futurum apud poſteros, niſi rerum ſuarum gloriam, quas utique geſſit maximas, & muri propè immenſi contra* Tartaros *extructi merita, inaudito quodam litterarum hominumque litteratorum odio, nec minùs tyrannide ſævitiâque ſuâ fœdè commaculaſſet: qui adeò cùm ſe jam plurimis exoſum eſſe cognoſceret, inſidias veritus ac vim ſuorum, non arma tantùm, ſed æs omne ferrumque privatis ex ædibus juſſit auferri. Verùm brevì didicit nequidquam iis tela adimi, quos odium & furor armat. Certè versâ tandem in furorem patientiâ, cannis igne duratis præuſtiſque tyrannum aggreſſi, cum cæſis ac fugatis non ſemel exercitibus, niſi mortem natura præveniſſet, imperio tandem ac vitâ exuiſſent. Dux autem facti, vir ignobilis è plebeiorum turba, cui* Lieu pam

Digitized by Google

nomen, qui indolem regiam toto corporis proceri habitu præferebat, mox Sinarum Dominus, atque Imperialis familiæ Han *vulgò nominatæ Conditor ac Princeps. Hæc autem multò quàm præcedens fortunatior, & ſago togâque nobilis, militarem gloriam ſic eſt ſectata, ut litteras haudquaquam aſpernaretur: harum itaque ſtudioſos, in quos familia præcedens ferro flammâque ſævierat, benignè complexa, tenues librorum reliquias, quorum infinita copia communi fuerat abſumpta incendio, ſollicitè collegit: fortunata hoc quoque nomine, quòd in medio fere illius curſu* Salvator Mundi *naſci dignatus eſt; fortunata, inquam, tanta ſi bona noſſet; ſique homines ii, quos ad exquirendam veram Legem in Occidentem legaverat, ex Indiis doctrinam potiùs Thomæ Apoſtoli inibi tunc verſantis, quàm nefarias idoli* Fe *ſuperſtitiones in patriam ſuam reduces attuliſſent. Turbavit autem non mediocriter, & interrupit quodammodo proſperum familiæ hujus curſum per octennium Imperatrix una & Uſurpator quidam Imperii, qui familiæ ſuæ* Sin, *id eſt novæ, qualis revera erat, cognomentum indidit. Verùm quatuordecim poſt annis antiquata mox novitas fuit, ac familia* Han *curſum ſuum proſecuta, quinque & viginti Imperatores (non recenſitâ Imperatrice & Uſurpatore) per annos 426. numeravit. 230. quidem in Occidente* Xen ſi *ſub tredecim Principibus, & ſub duodecim in Oriente* Ho nan *per annos omnino 196. ſuis quoque Hiſtoriographis, qui quindecim numero fuerunt, illuſtris, & hos inter præcipuæ auctoritatis Præfecto* Su ma cien, *(floruit is 100. fere ante Chriſtum annis) qui hiſtoriam ſuam orditur ab* Hoam ti *Monarchiæ Sinicæ Conditore.*

Quæ huic deinde ſucceſſit Heu han, *ſive poſterior* Han *familia, idem nomen ſortita eſt, quia ex eadem ſtirpe,*

Digitized by Google

ſtirpe, quamvis remotiùs, oriunda. Porro regnavit illa in provincia Su chuen *per annos 44. nec niſi duo Imperatores pater & filius ſolium tenuere; ſi tamen ſolium tenuiſſe dici poſſunt, quando eodem tempore duæ aliæ præpotentes familiæ* Guei *&* V, *hæc in Auſtrali China, illa in Boreali nomen atque inſignia Imperatoris uſurpabant. Multa igitur bella per annos 40. & bellorum ſucceſſus varii, quos & octo ætatis illius Hiſtoriographi multis libris complexi ſunt, quoad tandem bellis pariter ac Triumviratui finem dedit ſeptimæ familiæ* Cin *Fundator. Hic autem rerum potitus aulam in Oriente conſtituit, unde eam deinde poſteri Principes in Occidentem tranſtulerunt. Sed hujus quoque familiæ non admodum diuturna felicitas fuit, quippe quæ 155. annorum ſpatio quindecim numero ſucceſſivè Principes numeravit, quatuor ſcilicet dum in Occidente aulam habuit per annos 52. undecim verò cùm in Oriente aulam tenuit per annos 103. Nimirum hac tempeſtate tota bellis civilibus ardebat China,* Regnis *omnino ſexdecim inter ſe commiſſis: quò minùs eſt mirandum, quinque familias, quæ deinde ſcenarum propè ritu aliæ alias conſecutæ ſunt, tam brevi tempore conſtitiſſe.* U tai, *ſeu quinque familiæ, dicebantur; item* Nan pe chao, *quæ voces Auſtralem Borealemque Dominationem ſonant. At verò ſub his familiis tam in Auſtro quàm in Septentrione modò hæc, modò illa* Regna *ſupremum ſibi jus atque imperium vindicarunt, ambitione ſcilicet per fas nefaſque aditum ſibi parante ad ſolium. Quid multa? Fuit tempus, cùm novem ſimul nomine tenus Imperatores videret China. Quinque porro familiarum in Auſtro regnantium ſunt hæc nomina,* Sum, Ci, Leam, Chin, Suy. Sum *igitur nomen octavæ fuit familiæ, & per annos 59. ſub octo Imperatoribus ſtetit.* Nona Ci, *quam per annos 23.*

Digitized by Google

Imperatores quinque tenuerunt. Decimam Leam *nominavere; hæc per annos 55. quatuor Imperatores Sinensibus dedit. Undecima* Chin *est dicta, ex qua, 32. quibus stetit annis, quinque Imperatores prodierunt. Tres denique ex duodecima, cui &* Suy *nomen: fuit hæc autem totius Imperii domina, sed brevi temporis spatio, ut quæ post novem ac viginti annos finem accepit. Itaque si nos annorum Principumque numerum, qui ad quinque familias pertinent, summatim colligamus, comperiemus Imperatores quatuor & viginti, per annos 196. in Austro imperitasse, quando interim in Septentrione tres familiæ* Guei, Cheu & Ci *per annos 170. imperitabant. Historiographi interim ætatis illius decem extitere.*

Excepit hanc Imperialium scenarum varietatem stabilior aliquantò familia Tam *vulgò nominata, si tamen in humanis rebus quidquam dici potest stabile. Fuit illa domus, cæteras inter, rerum gestarum gloriâ perillustris ac felix, verâ etiam gloriâ summâque felicitate longè omnes superatura, si beatissimam sortem, quæ ipsis nascentis exordiis divinitus oblata fuit, tueri voluisset: ipsa nimirum est, cui septuaginta duo Præcones Evangelici à Judææ finibus profecti, veræ sapientiæ lumen attulerunt: quo tametsi per annos circiter ducentos gaudere visa est, tandem tamen magis amavit ipsa spissas Atheorum suorum atque idololatriæ imprimis tenebras, quàm lucem Christianæ veritatis. Annis autem stetit 289. Imperatores viginti recensuit: in his excludimus Imperatricem unicam, quæ Imperium, à quo per leges excludebatur, per vim & nefas usurpavit.*

Post hæc civilia rursum bella, novique Regnorum *ortus & occasus. Quinque rursus familiis* Heu u tai *dictis, jus Imperii vi & armis sibi vindicantibus, Colai ferè vel armorum Duces erant quicumque ad imperium adspira-*

Digitized by Google

bant ; cùmque totius imperii administratio ex nimia Imperatorum indulgentia & facilitate penes eos esset : ad hæc, opes, arma, militumque & eorum quos ad dignitates evexerant favor, viam panderent, promptissimè scilicet capessebat ambitio quod totis votis expetebat : sed enim cùm paria essent multorum vota, Martisque rota nunc hos evehentis, nunc illos, & mox etiam pro sua levitate, quâ unâ constans est, deprimentis quos evexerat ; sic prorsus, ut trium & quinquaginta annorum spatio China duodecim viderit Imperatores ; quodque multò fuit mirabilius, quinque Domorum Imperialium ortus pariter atque occasus. Harum porro singulis proprium nomen regni seu ditionis, quam Conditor suus antè obtinuerat, inditum de more fuit, unâ tamen adscitâ Heu *litterâ, quæ posteriores esse significaret ; ejusdem quippe nominis familiæ itidem rerum potitæ fuerant.*

Ne quid autem deesset ad publicas imperii calamitates, per eadem fere tempora Regulorum alii in Australi, alii in Boreáli China inter se mutuò dimicabant, quoad unius tandem familiæ (Sum *nomen fuit*) *victrix ambitio ambitiosis aliarum studiis atque contentionibus finem attulit. Hæc ordine decima-nona per annos 319. octodecim Imperatores Sinis dedit ; plures etiam datura, si placuisset uti probis rerum suarum Administris, & Martis armorumque studia cum studiis litterarum, quibus impensissimè favebat, prudenter conjungere : sed enim dum his totam se tradit, illorum propè oblita, factum est ut pacificam Sinarum Palladem armata Tartarorum invaderet ; & qui utriusque præsidio imperium ac libertatem tueri poterant, alterius neglectu in servitutem devenirent. Servitutis ac ruinæ principium à Sinis fuit, si tamen par est Sinas dicere, qui soli ex Sinis omnibus abhorrentes à litteris, & venationis armorumque studiis de-*

Digitized by Google

diti, Tartari veriùs censeri poterant: Barbari certè quidem vulgò censebantur, ac terras Leao tum *dictas ipsi Tartariæ Orientali finitimas incolebant, vicinis suis robore militari, morumque ferocitate perquam similes. Hi ergo sive Præfectorum injuriis (uti fit) lacessiti, sive aliis de causis sumptis armis rebellionem movent; nec mora, jam non cives, sed hostes rapinis grassantur ac cædibus, finitimas quasque ditiones infesti populantur: obrui opprimique poterant solis litteratorum calamis, si quantum his litterarum erat, tantum fuisset animorum: sed enim qui otio, qui umbræ & solis Musarum cantibus assueverant, solo propè armorum strepitu lituorumque cantu exanimati sunt. Quid hîc ageret Sinarum Imperator? erat is octavus ordine,* Hoei çum *ei nomen, barbaros ope barbarorum domiturus Tartaros Orientales invitat, lupos, scilicet imprudens, ut canes abigat. Advolant Tartari, feritur fœdus, arma cum Sinis sociant, rebelles domant; sed his domitis, imperii quoque societatem petunt, quæ ubi negatur, bellum denunciant, geruntque eo successu, ut Imperatore totâque aulâ in Australem Chinam migrare coactâ, ipsi provincialium Borealium jam domini non dubitarint imperii jus atque titulum sibi vindicare: quò magis fuit mirandum, posteros tanto majorum suorum malo nihilo cautiores factos, nostris rursum temporibus in eundem errorem atque eandem calamitatem lapsos fuisse. Per annos igitur 150. Principes novem ex illa Tartariæ Orientalis gente Chinæ Borealis Imperatores appellari se voluerunt, Australis etiam Chinæ futuri domini, nisi per eadem fere tempora multò numerosior ipsis fortiorque Tartarus Occidentalis spes conceptas & victoriarum cursum intercidisset. Hunc Sinarum Imperator contra Orientalem invitarat concitaratque: adest alacer, usurpatorem Tartarum feliciter tandem debellat,*

Digitized by Google

bellat, ac procul è China ejicit, gratulantibus ſcilicet triumphantibuſque Sinis, quando ecce quod his ſui quondam hoſtes vaticinati fuerant, victor Tartarus ſtipendium militiæ ſuæ præmiumque ſanè magnum poſcens, & armatis, ut aiunt, precibus Septentrionem totum vindicat ſibi; nec contentus hac quamvis immensâ propè ditione Barbarus, ex ambitioſo cupidoque ſocio apertus jam hoſtis, cum milite exercitatiſſimo atque armis vincere aſſuetis, in Meridionales opulentaſque Sinarum venit Provincias, & ſpem non inanem imperii totius. Ab ortu igitur & occaſu perpetuis hoſtium irruptionibus ac latrociniis exhauſtum & labefactatum Imperium tandem ruinam fecit: unum hoc acerbi caſus ſolamen à litteris ſuis ferens, quod cum ſuperioribus quinque familiis unus duntaxat Scriptor obtigiſſet, ipſius res geſtæ per duos & ſexaginta Hiſtoriographos, ut jam de veterum librorum Interpretibus non agam, poſterorum memoriæ commendatæ fuerint.

Victrix ergo quæ ad occaſum degit Tartaria, quæ familiæ ſuæ Yuen *nomen dedit, per annos novem & octoginta Sinis dominata eſt, cùm totidem ferè annos in expeditione ſua conſumpſiſſet; quod nulli quidem mirandum videri debet: fuit enim luctandum illi non tam cum Sinis quàm cum affinibus cognatiſque Tartaris, qui, uti modò narrabam, Pekinenſem Provinciam bellicoſam imprimis, armis ac ditione obtinebant: cùm autem rara ſit gratia fratrum quoque, ne dicam affinium; tum quidem maximè, cùm de corona ſceptroque agitur, adſpirantibus eodem & his pariter & illis, bello tandem vicêre qui opibus numeroque vincebant Occidentales Tartari. Prodierunt Imperatores novem ex hac Tartarorum familia, quam adeo non ſunt averſati Sinæ, ut fidem candoremque gentis experti mirè etiam charam habuerint; jamque etiam deſiderium illius non rarò prodant, hoc quidem*

tempore, quo Orientali Tartaro parere coguntur. Usque adeo scilicet tolerabile redditur vel ipsis servire Tartaris, si modò fides & clementia regnarit. Cœlum interim Sinense ac solum multò fuit apud victores inclementius, quàm hi erga victos erant: plerisque certè Principum (si primum ac postremum excipias) brevis admodum dignitatis ac vitæ usura fuit. Nimirum extra silvas suas ac nives ægrè gens ista vel in deliciis vitam trahit, nisi revera dicamus, idcirco brevem fuisse, quòd in deliciis eam ducerent. Hoc quidem certum pœnis istis Asiaticis suam hîc quoque fuisse Campaniam, & deliciis tandem fractos ac voluptatibus perdidisse militares spiritus, Martiumque robur, quo pauci multis Sinarum quondam pares erant. Ab his ergo quamvis imbellibus facilè potuerunt vinci atque opprimi, præsertim cùm libertatis amor vires animosque subderet, nec ipsi virtute bellica jam vincerent, à quibus numero longè vincebantur. Incrementa porro decrementaque rei Tartaricæ octo ætatis illius Historiographi conscripsere; ad quos è sequenti familia nonus accessit, qui unus belli pacisque res omnes ducentis ac decem voluminibus est complexus: hos autem decimum quoque his jungimus, Marcum Paulum Venetum, expeditionis Tartaricæ spectatorem & socium, qui multum dedit lucis rerum Sinicarum studiosis.

Is interim qui Tartaros è China pepulit infimæ conditionis homo, de famulo sacrificulorum latronum dux, ad extremum maximorum Imperator exercituum Chinæque Dominus *evasit. Ab hoc fundata* Mim *familia, quæ per sexdecim deinde Principes, ducentorum septuaginta sex annorum spatio feliciter est propagata. Ab ea redactum divisumque Imperium in tredecim Provincias, & binas Provincias aulicas* Pe kim *in Septentrione, & in Austro* Nan kim: *ab hoc Monarchia firmissimè sta-*

bilita, Regulis Dynaſtiſque omnibus nihil præter titulum cenſumque titulo dignum relinquens. Verumtamen quæ humanæ felicitatis eſt inconſtantia, hæc quoque Monarchia, quâ nihil ſtabilius eſſe videbatur, nihilque florentius, aliquando corruit. latronum civiumque beneficio caput extulerat, latronum civiumque incuriâ depreſſa fuit atque extincta; quippe dum robur omne militiæ Sinis procul ad Imperii & Tartariæ fines occupatur, ſeditioſorum perditorumque hominum manus in ipſis Regni viſceribus numero viribuſque paulatim aucta, tandem eluvionis inſtar Boreales aliquot Provincias occupavit; inde graſſari barbarum in morem incendiis, rapinis, cædibus: jamque adeo Pekinenſem aulam crudeliter atque avarè diripere, ipſomet Imperatore ſibi ultro conſciſcente necem, quo ſe crudelitati ſuorum graviorique probro eriperet: quorum omnium factus certior, qui tunc regio exercitui ſumma cum poteſtate imperabat, in ultionem tanti ſceleris exardeſcens, & pœnas utique juſtiſſimas de perduellibus illis ſumpturus, repente cum Orientali Tartaro, quocum tunc maximè bellum gerebatur, pacem init, jamque adeo in ultionis quoque & belli contra latronem ſocietatem vocat. Adfuerunt mox alacres Tartari; itur in latrones, fugantur, cæduntur, Tartaris non minùs famâ & terrore nominis ſui, quàm manu ferroque pugnantibus: & hi quidem jam ovantes, maximis onuſti ſpoliis revertebantur, atque ut Sinæ autumabant, in Tartariam ſuam; cùm ecce non ultra Pekinum progreſſi, ſuum eſſe ſcilicet Sinarum Imperium, nec uno tantùm titulo, declarant. Quid plura? paucorum annorum ſpatio, vi, metu, dolo, virtute, nec non Sinenſium diſcordiâ perfidiâque Provinciæ ſubactæ omnes, extincta funditus Mim *familia.*

Succeſſit igitur clauſura nobis Imperiale agmen nova Tartarorum Orientalium familia Cim *dicta, cujus qui-*

Digitized by Google

dem imperantis anno quadrageſimo, noſtrate verò Orbis Chriſtiani 1683. quo hæc ſcribimus, imperante Cam hi, *qui ſecundus è gente Tartarica vigeſimum-ſecundum jam annum Tartaricum pariter & Sinenſe moderatur Imperium.*

Atque hæc demum eſt ſeries Familiarum Principum Sinicæ Monarchiæ; quas ut ego ſummatim offeram: fuerunt illæ quidem duæ ſupra viginti, Imperatores verò omnium, annumeratis octo primis gentis Principibus, univerſim ducenti triginta quinque, omiſſis ſcilicet iis qui quòd brevi tempore vixerunt, vel aliis de cauſis, in ſerie non ponuntur. Perſtitit autem Monarchia in Familiis Imperialibus per annos 3898. ad quos additis 737. annis, quibus octo primi gentis Principes vixiſſe perhibentur, conficientur à primo anno Fo hi *ad hunc Salutis humanæ 1683. incluſivè, anni 4635. ex his ſubtrahe annos 255. quibus duo Conditores* Fo hi & Xin num *regnarunt, reſidui erunt 4380. qui conficiunt Cyclos ſexaginta annorum omnino tres & ſeptuaginta.*

TABULA NUMERICA XXII. FAMILIARUM Imperialium, Imperatorum, Annorum.

Familiæ.	*Impp.*	*Anni.*	*Familiæ.*	*Impp.*	*Anni.*
I. Hia.	17.	458.	XII. Suy.	3.	29.
II. Xam.	28.	644.	XIII. Tam.	20.	289.
III. Cheu.	35.	873.	XIV. Heu leam.	2.	16.
IV. Cin.	3.	43.	XV. Heu tam.	4.	13.
V. Han.	27.	426.	XVI. Heu cin.	2.	11.
VI. Heu han.	2.	44.	XVII. Heu han.	2.	4.
VII. Cin.	15.	155.	XVIII. Heu cheu.	3.	9.
VIII. Sum.	7.	59.	XIX. Sum.	18.	319.
IX. Ci.	5.	23.	XX. Yuen.	9.	89.
X. Leam.	4.	55.	XXI. Mim.	21.	276.
XI. Chin.	5.	32.	XXII. Cim.	2.	40.

TABULA

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA Monarchiæ Sinicæ POST CHRISTUM juxta Cyclos annorum LX.

Cyclus XLV. Annus 58. post Chr. primus.	11. Hiao pim ti regn. 5. annis.	ANno Cycli 58. & primo à Chriſto nato ſuccedit in Imperium Hiao pim ti, hoc eſt, obediens pacificus, è quinta *Han* familiâ numero undecimus, ex octavi Imperatoris Yuen ti ſtirpe nepos novennis. Avia Imperatrix committit imprudens totum regimen Colao *Vam mam*, vafro, ambitioſo, crudeli. Hic ſublato æmulo ſolus rerum potitur: 117. ſuæ factionis Dynaſtas creat: nomine Imperatoris cœlo ſolenni ritu ſacrificat: fictis prodigiis id agit, ut credatur à cœlo miſſus.
Cyclus XLVI. Annus poſt Chr. quartus.	12. Ju çu ym regn. 3. *Vam mam* regn. 14.	Anno Cycli 2. Hiao pim ti veneno perimitur à *Vam mam*, qui ſimulatè vota offert & vitam cœlo devovet pro Principis ſalute. Anno 3. à *Vam mam* ſubſtituitur Ju çu ym biennis infans, è ſtirpe ſeptimi Imp. Siuen ti. Anno 5. Ju çu ym Imperio exuitur à *Vam mam*, qui anno 6. depoſitâ jam larvâ palam Imperium uſurpat, & Imperator proclamatur. Plurima renovat: nomen familiæ ſuæ indit *Sin*, id eſt, novum, quod 14. annis duravit. In novem provincias Imperium dividit, & in regiones 125. in quibus urbes 2203. Dynaſtas creat 796. Toparchas 1551.

Anno 13. *Lunâ* 7. *die ult. Eclipſis Solis.*

Anno 16. *Cometes.*

Varii conflantur exercitus confœderatorum, qui *Che muy* dicti, quòd minio tinctis ſuperciliis à reliquis diſtinguerentur, alii exercitus à duobus fratribus *Lieu ſieu* & *Lieu ym* è *Han* familia oriundi. Hinc varia & cruenta bella.

Anno 19. locuſtarum tanta copia, ut ſolem obducerent: hinc fames ingens, adeoque hîc plerumque anſa rebellionum & latrociniorum.

Anno 20. cæſo exercitu, aulâ direptâ & incenſâ, occiditur *Vam mam*, corpus in fruſta diſcerptum & ſale condîtum, caput in foro ſuſpenſum populi telis configitur. Subrogatur eodem anno à victore exercitu

13. HOAI YAM VAM regn. 2.

HOAI YAM VAM, è quarti Imp. KIM TI ſtirpe oriundus.

Anno 21. HOAI YAM VAM, quòd luxui deditus, ab exercitu rejicitur, ſubrogato *Vam lam*, qui ſe filium noni Imp. CHIM TI eſſe mentiebatur; ſed paulò pòſt detectâ fraude obtruncatus.

14. QUAM VU TI regn. 33.

Anno 22. ſuccedit QUAM VU TI (aliàs *Lieu ſieu*) è decimo filio KIM TI quarti Imperatoris oriundus.

Aulam ex Occidente *Xen ſi* in Orientem transfert *Seu lo yam* urbem provinciæ *Ho nan*. Hinc deinceps Orientalis *Han* familia nominatur. Princeps bello & pace clariſſimus, ruri educatus, & plebis labores expertus, ejus miſereri novit; comis, liberalis, & amans litteratorum, quos undique accerſitos evehit. Corporis habitus vulgaris: luſtrans Imperium in natali ſolo cum popularibus agricolis epulatur. Piſcatori *Nien quam* ſodali olim ſuo ad ſe accerſito obviam procedit, primas defert, & in eodem ſecum ſtrato cubare jubet, ubi noctem priſtinæ vitæ res commemorando traducunt. Sub noctem ſemel à venatione redux Regiæ portas occluſas offendit, vigilum Præfectus aperiri vetat; quare ad aliam pergens admittitur: poſtridie eum, à quo admiſſus erat, uno dignitatis gradu dejectum plectit, auget alterum.

Annos 12. impendit rebellibus domandis, & pacando Imperio. Rubris tincti ſuperciliis copias ſuas in 30. cuneos ſeu 300. millia dividunt. Sibi eligunt in Imperatorem *Puen çu* è familiâ *Han*, ad bubulci ſortem redactum, qui victus ultrò ſe dedens, & vitâ & dynaſtiâ à victore donatus.

Dux belli *Ma yuen* Cochinchinæ rebelles domat, deinde in prælio contra boreales barbaros occumbit.

Anno 24. *Lun.* 3. *die ult. Eçlipſis Solis*: *item anno* 27. *Lun.* 9. *die ult.*

Anno Cycli 28. *Imperii verò* 7. *Lun.* 3. *die ultimo memorabilis Eclipſis totalis*, cujus occaſione vetat in codicillis impoſterum uti nomine *Xim*, id eſt ſanctus. Cùm dicant annales Eclipſim præveniſſe tempus; an fuerit

ea, quæ in morte Chriſti contigit, Aſtronomis examinandum relinquitur.

Anno 37. *Lun.* 3. *Eclipſis Solis, item anno* 38. *Lun.* 2. *die ult. item* 43. *Lun.* 5. *item* 46. *Lun.* 1. *die ult.* 51. *Lun.* 2. *item* 52. *Lun.* 5. *die ult. &* 53. *Lun.* 11. *die ult.*

15. MIM TI regn. 18.

Anno 54. QUAM VU TI moritur æt. 61. Anno 55. ſuccedit MIM TI filius ex decem: Princeps prudens, ſagax, clemens. Academiam inſtituit in ipſa Regia pro filiis optimatum etiam barbarorum, quorum exercitationibus intereſt. Heroës bello & pace claros pingi jubet, & in aula appendi. Viſitat ædes *Confucii* Philoſophi. Imperatrix (filia memorati Ducis *Ma yuen*) modeſtiæ ſpeculum fuit in Gynecæo, veſtibus acu pictis conſtanter abſtinet.

Anno 57. *Lun.* 8. *Eclipſis Solis.*

Crebras eluviones fluvii *Hoam ho* operâ centum mille hominum objectis per mille ſtadia aggeribus coërcet.

CYCLUS XLVII. Annus poſt Chr. 64.

Anno Cycli 2. occaſione ſomnii, quo oblata fuerat ſpecies aurata viri gigantæi, & memor dicti, ut putatur, à *Confucio* prolati, *in Occidente exiſtit ſanctus*, quæri jubet Imperator per ſuos legatos veram legem ex Indiis: at enim idoli *Fœ* peſtifera ſecta cum metempſychoſi (proh dolor!) invecta eſt anno imperii ſui 8. Lun. 10. (quâ & Sol defecit) anno poſt Chriſtum 65. Dirè exagitant hoc factum ſcriptores omnes.

Anno 7. *Lun.* 10. *die ult. & anno* 10. *Lun.* 5. *die ult. Eclipſes Solis.*

1. CHAM TI regn. 13.

Anno 12. MIM TI moritur æt. 48. Anno 13. ſuccedit CHAM TI filius, probus & ſapiens, pacis amans & litterarum: vectigalia moderatur, magiſtratibus ſuis elegantiorum veſtium uſum interdicit, veterum parſimoniam imitandam dictitans.

Anno eodem 13. *terræmotus Lun.* 8. *Cometes, anno* 14. *ſterilitas. Lun.* 12. *Cometes.*

Anno 17. *Lun.* 2. *Eclipſis Solis, item* 18. *Lun.* 6. *die ult. item* 24. *Lun.* 8. *die ult.*

17. HO TI regn. 17.

Anno 25. CHAM TI moritur æt. 31. Anno 26. ſuccedit HO TI filius & decennis, ſub tutela Imperatricis.

Anno 27. *Lun.* 2. *Eclipſis Solis.*

Anno 28. *Pan chao* Dux celeberrimus jus Imperii clientelare profert longiſſimè cum victore exercitu terreſtri 200. dierum itinere, 50. amplius regna miſſis obſidibus clientelam profitentur: ad 40. millia ſtadiorum uſque *Ta çin*, id eſt Judæam, refertur progreſſus; 30. anni circiter in his expeditionibus inſumpti.

Anno 29. *Lun.* 6. *Eclipſis Solis.*

Anno Imperii 14. conjugem repudiat ſuſpectam inſidiarum, hæc mœrore contabeſcit, *Tem yu* Ducis neptem Reginam creat, modeſtiæ ſpeculum, litterarum

imprimis perita: ab ei gratulantibus nil munerum accipit præter penicillos, & novum papyri genus tunc inventum.

Ho ti primus Eunuchos publicis muneribus admovet, à quibus postmodum crebrò perturbatum Imperium, creatis etiam ex eorum numero Dynastis ac Regulis à sequenti Imperatore.

Anno 32. *Lun.* 4. *Eclipsis Solis, item* 34. *Lun.* 3. *item* 37. *Lun.* 7. *item* 40. *Lun.* 4.

Anno 42. Ho ti moritur æt. 27. Anno 43. succedit Xam ti, secundus filiolus 100. dierum, qui mox moritur.

18. Xam ti regn. 1.

19. Ngan ti regn. 19.

Anno 44. succedit Ngan ti nepos Cham ti. Tredecennis loco Regina mater Imperium administrat, sed ultra tempus: in publica sterilitate adit ipsa per se carceres. Imperium ne mole sua viribusque fatigetur, arctioribus finibus circumscribitur, multarum gentium & Principum clientelis renuntiatis.

Per hæc tempora grassatur insignis pyrata *Cham pelu*, qui post quinquennium obtruncatur.

Eodem anno 44. *Lun.* 3. *Eclipsis Solis.*

Ngan ti concubinam unam Imperatricem creat; hæc sterilis cùm esset, alterius concubinæ filium (clam veneno sublatâ matre) sibi vendicat.

Singulis propè annis terræmotus; maximè terribilis fuit decimus quintus, qui anno Imperii 8. Lunâ 2. contigit, quando tellus hiatum fecit longum stadiis 182. latum 56. (13. stadia Sinica leucam Germanicam conflant) Amnistia toto Imperio indicitur, missis de more ad singulas provincias legatis Regiis.

Anno 46. *&* 17. *sequentibus annis terræmotus, fames, inundationes.*

Anno 48. *Lun.* 1. *Sol deficit, Anno* 51. *Lun.* 3. *anno* 52. *Lun.* 9. *die ult. & anno* 56. *Lun.* 12. *totalis Eclipsis.*

Cyclus xlviii. Annus post Chr. 124.

Anno Cycli 1. *Lun.* 9. *die ult. Eclipsis Solis.*

Anno 2. Ngan ti lustrans Imperium moritur, æt. 32. Anno 3. succedit Xun ti filius.

20. Xun ti regn. 19.

Imperatrici mortuæ, quòd sciret ab eâ veneno sublatam matrem, vetuit justa fieri.

Alios atque alios Barbaros domat.

Anno 4. *Lun.* 7. *Eclipsis Solis.*

Sancit, ut nemo gerendo Magistratu adhibeatur ante quadragesimum ætatis annum, nisi virtus ætatem superet. Nutricem suam titulo donat heroïnæ, & sigillo more Sinis usitato: sed postmodum eidem veneficii convictæ cum infamiæ notâ sigillum cum titulis eripitur.

Anno 8. *Lun.* 4. *in vico regiæ suburbano terra hiavit cubitis* 850. *in longum in terra* Leam cheu.

Anno 9. latronum cunei 49. urbes Australes vastant Duce *Ma mien*, qui post 12. annos Imperatoris nomen

nomen usurpabit, & proximo pòst anno occidendus.

Anno 12. *Lun.* 18. *mense intercalari Eclipsis Solis, item an.* 15. *Lun.* 12. *& an.* 17. *Lun.* 2. *die ult.*

Anno 18. *terra centies octogies concutitur.*

Bis Amnistia indicitur.

Anno 21. XUN TI moritur æt. 32. Anno 22. succedit CHUM TI biennis filius, qui Lunâ primâ moritur.

21. CHUM TI regn. 1.

Anno 23. succedit CHE TI octennis, è stirpe CHAM TI, prudens suprà ætatem. Visit gymnasium, in quo supra 30. millia Scholasticorum.

22. CHE TI regn. 1.

Cùm in conventu publico fratrem Imperatricis *Leam ki* torvè intuens mussitabundus diceret, *ô ferocem hominem!* ab eo mox veneno sublatus est Lunâ 6.

23. HUON TI regn. 28.

Anno 24. succedit HUON TI frater natu major.

Eodem anno 24. *Lun.* 1. *& anno* 26. *Lun.* 4. *die ult. Eclipses Solis.*

Sub hoc Imperatore venales fiunt magistratus, & sub hujus successore etiam dynastiæ: sectæ *Lao kiun* & Eunuchis impensiùs favet: multi litterati muneribus quoque invitati venire detrectant. *Leam ki* ad summa evehitur; ejus uxor titulo heroïnæ & duarum urbium censu, seu 500. aureorum millibus donatur. Anni Kalendis de more Regem veneraturus, cùm contra leges accinctus gladio curiam introïisset, gladio per vim mox erepto, veniam tamen tanti criminis impetrat; non multò pòst omnibus exosus, repente ab Eunuchorum turbâ cinctus, desperatâ fugâ, cum uxore sibi manus infert. Amici & propinqui ejus suprà 300. magistratu privantur; tanta vis opum ejus fisco ad dicta, ut mediam partem vectigalium æquaret.

Amnistiâ indictâ *Puon* Præfectus in carcerem innocens detrusus cùm vincti solverentur, solvi renuit: *nam si exiero*, inquit, *ubique circumferam culpæ infamiam, & vivens ero malus Præfectus, & moriens malus dæmon.*

Anno 28. *& 52. tam horrenda extitit fames, ut carne humana homines vescerentur.*

Anno 29. *Lun.* 7. *anno* 31. *Lun.* 9. *anno* 34. *Lun.* 4. *intercalari, die ult. & anno* 42. *Lun.* 1. *die ult. Eclipses Solis.*

Anno 43. Croceus fluvius semper turbidus, limpidissimis fluxit aquis, quod illis mali ominis instar est.

Anno 44. *Lun.* 5. *die ult. Eclipsis Solis.*

Eodem Anno 44. HUON TI moritur æt. 36. sine prole, cùm tamen suprà sex mille concubinas numeraret.

24. LIM TI regn. 22.

Anno 45. succedit LIM TI è stirpe CHAM TI. Studiosissimus Eunuchorum, moneri impatiens, avarus, jocis deditus: nundinas domesticas instituit, gaudens audire concubinas inter se licitantes & jurgantes. Ipse in rheda quam asinis jungit, obit palatia & gynecæa, unde equi asinis viliores extiterunt, orbe Sinico ad exemplum Regis se componente. Unâ re laudandus, quod Regum documenta quinque libris classicis con-

tenta marmori insculpi, & præ foribus Academiæ erigi jusserit.

Conjuratio contra Eunuchos detegitur. 100. Senatores occiduntur, & ex aliis Præfectis 700.

Emergunt novi latronum cunei à flavo pileo dicti ducibus tribus fratribus *Cham* dictis è sectâ *Lao kiun*: potu lustralis aquæ veneficiis infectæ morbis medentur. Per octo provincias serpit malum, donec duo fratres in prælio victi 80. millibus partim ferro partim flumine pereuntibus, & altero prælio 100. millibus partim cæsis, partim captis, tertius demum frater in obsidione moritur.

Anno 46. *Lun.* 10. *die ult. anno* 48. *Lun.* 3. *anno* 50. *Lun.* 12. *die ult. anno* 54. *Lun.* 10. *anno* 55. *Lun.* 2. *& anno* 58. *Lun.* 9. *Eclipses Solis.*

Cyclus XLIX. Annus post Chr. 184.

Post 80. prælia tandem domiti Barbari ductore *Tuon kium*, de quo memoratur, quòd in decennali expeditione numquam culcitrâ ad somnum fuerit usus.

Anno hujus 21. sanguis pluit in Palatio.

Anno 3. *lun.* 5. *die ult. Eclipsis Solis.*

Anno Cycli 5. rursum emergunt rebellium cunei à flavo pileo dicti.

Anno 6. LIM TI moritur æt. 34. hærede necdum nominato.

Eodem anno 6. *lun.* 4. *Eclipsis Solis.*

25. HIEN TI regn. 31.

Anno 7. succedit HIEN TI filius secundus novennis, fratre *Pien ti* natu majore post menses aliquot abdicato.

Hebes & segnis: hinc bella tam externa quàm intestina. Imperii in tres ac deinde in 4. partes & capita divisio hinc cœpit. Orientalis China penè tota conspirat contra *Tum cho* Imperatoriæ militiæ ductorem. Hic occiso HIEN TI & fratre ejus natu majore, aulam in Occidentem *Xensi* transfert, incenso priùs Palatio, & è Regum sepulchris effossis thesauris; verùm anno sequenti trucidatur, & cadaver in foro cum plausu & ludibrio populi suspenditur.

Ejusdem tricies auri millia, argenti 90. millia fisco addicta. Sub hoc nova secta vulgò *Mi kiao*, sic dicta aborizâ, cujus certa mensura exigebatur ab iis, quorum morbos magicis carminibus curabant.

Recrudescit flavorum pileorum rebellio, 300. militum millia numerantur: paulatim deleti à *çao çao* invasore Imperii: ab hujus deinde filio *çao poi*, anno Cycli 37. è solio dejectus Imperator, & Dynasta *Xan yam* creatus, quatuordecim post annis inglorius obiit ætatis 54.

Anno 11. *lun.* 6. *die ult. & anno* 17. *lun.* 9. *Eclipses Solis.*

Annis 21. 23. *&* 24. *Cometes.*

Anno 25. *lun.* 10. *anno* 27. *lun.* 2. *anno* 29. *lun.* 6. *die ult. & anno* 36. *lun.* 2. *die ult. Eclipses Solis.*

Digitized by Google

Sexta familia.

1. CHAO LIE VAM regn. 3.

Anno 38. ſuccedit CHAO LIE VAM (aliàs *Lieu pi*) ex quarti Imper. KIM TI ſtirpe: fundat familiam Imperialem *Heu han*, id eſt, poſteriorem, *Han* dictam: hæc ſub duobus Principibus ſtetit annis 44. Vir erat procero admodum corpore, magnanimus, parcus verborum, in omni eventu ſui ſimilis: morti jam proximus, *Quiſquis*, inquit, *quinquagenarius moritur, non habet cur de vitæ brevitate expoſtulet cum cœlo; quantò minùs ego quinquagenario major.* Inde filium Imperii hæredem Colao ſuo *Co leam* commendans, *Si conſiliis tuis*, inquit, *non acquieſcit filius meus, eum de ſolio dejice, & tu ipſe regna.* Mox converſus ad filium; *Macte animo*, inquit, *fili mi, peccatum quamvis leve tibi videatur, cave commiſeris: quod rectum eſt, quamvis exile videatur, cave neglexeris. Sola virtus mortales ſubjugat. Noli modicam virtutem meam imitari. In uno* Co leam *patrem invenies.*

Anno 39. *lun.* 11. *die ult. Eclipſis Solis.*

2. HEU TI regn. 41.

Anno 40. CHAO LIE VAM moritur æt. 63. Anno 41. ſuccedit HEU TI filius, paternæ laudis, quamdiu *Co leam* vixit, æmulus. In Occidente aulam habuit *Chim tu* metropolim prov. *Su chuen.* Triarchia tunc erat in Septentrione familiæ *Guei.* In Auſtro familia *V* aulam tenuit in *Kien cam* metropoli, (dein *Nan kim*, nunc *Kiam nhim* dictâ) hæc 4. Reges tenuit per annos 59. donec à familiâ *Cin* extincta.

Familia verò *Guei* borealis & duabus reliquis potentior, Reges per annos 46. numeravit, & extincta à *Sum chao* belli duce, à cujus filio familia ſequens *Cin* ſumet exordium. *Cham fi* & *Quan yu* ſub HEU TI duces belli ſtrenuiſſimi in prælio occumbunt. Poſt aliquot ſecula *Quan yu* in idolorum numerum adoptatus, uti *Mars* Sinicus adoratur.

Laudatur *Co leam*, quòd acceptâ ſæpius clade à Rege boreali *Guei*, ſuos tamen tam ordinatè noſſet reducere, ut non videretur victus eſſe.

Rex borealis cum maximo exercitu Meridiem petit, æmulos Reges *Han* & *V* confœderatos debellaturus, ſed ubi ad ripam magni fluminis *Kiam* tumeſcentes undas conſpicatus, *Ah ideo*, inquit, *cœlum hos limites ſtatuit, ut mortalium cupiditatem limitaret!* quare damnato belli conſilio Boream repetit.

Anno 41. *lun.* 11. *die ult. Eclipſis Solis, item anno* 48. *lun.* 11. *die ult. item anno* 50. *lun.* 5. *intercalari, item anno* 6. *lun.* 5. *totalis Eclipſis.*

CYCLUS I. Annus poſt Chr. 244.

Anno Cycli 1. *lun.* 4. *Eclipſis Solis, item anno* 4. *lun.* 2.

Sum chao Regis *Guei* cliens & copiarum ductor rebellat; in dominum ſuum arma movet cum ſucceſſu.

Filius HEU TI Imperatoris deſperatâ ſalute Imperii, *Moriamur*, inquit, *ô Pater, gloriosè in bello, ut patres noſtros videamus.* Detrectat prælium pater, quare filius in funebri majorum aulâ, occiſâ priùs uxore ſe perimit.

Digitized by Google

Anno 17. *lun.* 1. *Eclipſis Solis.*

Anno Imperii ſui 40. Cycli hujus vigeſimo, cœſo exercitu & direptâ aulâ HEU TI dedit ſe victori, à quo creatur Dynaſta *Nganlo*, ubi privatus poſt ſeptennium moritur æt. 65.

Septima familia.

1. XI ÇU VU TI reg. 25.

Anno Cycli 21. XI ÇU VU TI belli Ducis *Sun chao* filius fundat familiam *Cin* dictam (ſed diverſo ab quartâ familiâ *Cin* & charactere & accentu.) Habuit hæc quindecim Imperatores per annos 155. Aulam in *Loyam* urbe prov. *Ho nan* conſtituit ad Occidentem. Princeps magnanimus, ſagax, verique amans.

Hac familiâ imperante 18. Reguli inter ſe pro Imperio decertant: Meridionales plerumque à Borealibus victi, quos & fœdus cum Tartaris & nativum robur armabat.

Anno 23. *lun.* 6. *die ult. Eclipſis Solis.*

Anno 25. *lun.* 7. *ingens numerus ſtellarum cum fragore verſus Occidentem ruit, & ut pluvia diſſolvitur.*

Pacato Septentrione Imperator cum 200. millibus Regis *V* Auſtralem regionem aggreditur, ſpatioſum flumen *Kiam* catenis quæ verubus ferreis connexæ ſpatioſum *Kiam* flumen jungebant, perruptis, regia *Nankim* invaditur. Rex portis egreſſus victori ſe dedit, à quo ditionis *Vam* dominus creatur.

Anno Imperii 17. totius Imperii jam dominus milites & arma improvidus dimittit, otio interim & luxui indulgens, cum gregibus feminarum hortos ſuos curru obiens, quem oves trahebant.

Anno 28. *lun.* 10. *Eclipſis Solis, item anno* 31. *lun.* 1. & 3. *item anno* 34. *lun.* 1. *item anno* 40. *lun.* 3. *item anno* 42. *lun.* 8.

Anno 45. XI ÇU VU TI moritur æt. 55. relictâ prole numeroſiſſimâ, poſt hujus obitum novæ rebelliones & bella.

2. HOEI TI regn. 17.

Anno 46. ſuccedit HOEI TI primogenitus, ſtupidus & hebes. Initio operâ quatuor optimatum ſatis feliciter rexit; poſtmodum ex occaſione ſecundæ Reginæ, quæ primam ejecerat, & unicum ejus filium veneno ſuſtulerat, occiſis ejuſdem fautoribus, multa prælia & cædes conſecutæ: occisâ ſecundâ Reginâ & ejus factionis ſociis fugit Imperator. Regulus regni *Ci* victoriis tumidus Imperium affectans in prælio occiditur. Alter Regulus è familiâ *Han* in Septentrione rebellans decimo poſt anno extinguitur. Alter in Occidentali prov. *Su chuen* regium uſurpat titulum.

Invaluit hoc tempore nova ſecta ex *Lao kiun* orta, dicitur *Vu quei kiao*. Doctrina de nihilo & inani: Sectatores ſtatum quemdam quietis immotæ affectant, quo functiones animæ velut in extaſi ad tempus ſuſpendantur.

Anno 56. *lun.* 11. *Eclipſis Solis, item anno* 57. *lun.* 4. *item anno* 54. *lun.* 8. *intercalari.*

Anno

Cyclus LI. Annus post Chr. 304.		*Anno* 3. *lun.* 1. *Eclipsis Solis.*
	3. Hoai ti regn. 6.	Eodem anno 3. Hoei ti veneno sublatus moritur absque liberis, æt. 48. Anno 4. succedit Hoai ti vigesimusquintus filius Conditoris à primoribus electus. Speciem præbet boni Principis.
		Regulus *Lieu yuen* occiso fratre, affectat Imperium, & biennio pòst moritur: hujus filius *Lieu çum* aulâ captâ filium Imperatoris interficit, & dein patrem ipsum, quem priùs jusserat servili habitu in convivio ministrare.
		Anno 5. *lun.* 1. *& anno* 9. *lun.* 2. *Eclipses Solis.*
	4. Min ti regn. 4.	Anno 10. Hoai ti occisus æt 30. Anno 11 succedit Minti nepos conditoris, à primoribus electus; anno 13. aulâ direptâ se dedit *Lieu yao* victori, à quo creatur Dynasta in *Xan si.*
		Anno 13. *lun.* 6. *eclipsis Solis.*
	5. Yuen ti regn. 6.	Anno 14. Min ti à Regulo *Han* occisus æt. 48. succedit Yuen ti conditoris nepos, gravis, modestus, sapientum fautor. Cùm trium Imperatorum Colaum *Vam tao* in eodem secum subsellio sedere vellet, hic modestè recusans, *Si sol*, inquit, *se demittat ad inferiora quæ collustrat, jam hæc non habebunt quod suspiciant.* Aulam ex Occidente in Orientem seu *Nan kim* transfert. Hinc Orientalis *Cin* familia dicta.
		Anno 15. *lun.* 4. *Eclipsis Solis.*
	6. Mim ti regn. 3.	Anno 19. Yuen ti mœrore confectus moritur ætat. 46. Anno 20. scccedit Mim ti filius decessoris.
	7. Chim ti regn. 17.	Anno 22. Mim ti moritur æt. 27. Anno 23. succedit Chim ti filius; pro quinquenni puero Regina mater regit. Quidam Reguli inter se pro Imperio decertant.
		Anno 22. *lun.* 11. *anno* 24. *lun.* 5. *anno* 28. *lun.* 3. *& anno* 32. *lun.* 10. *Eclipses Solis.*
		Anno 33. *Cometes, & anno* 38. *lun.* 2. *Eclipsis Solis.*
	8. Cam ti regn. 2.	Anno 39. Chim ti moritur æt. 21. Anno 40. succedit Cam ti frater.
	9. Mo ti regn. 17.	Anno 41. Cam ti moritur Anno 42. succedit Mo ti primogenitus; biennis tutelæ Imperatricis committitur; adolescens virtute & prudentiâ, & suorum consiliis aliquas provincias recuperat.
		A *Huon ven* Imperialium copiarum ductore borealis aula familiæ *Han* rebellis diripitur & incenditur. Varia inter Regulos bella.
		Anno 43. *lun.* 4. *anno* 48. *lun.* 1. *anno* 53. *lun.* 10. *Eclipses Solis, item anno* 57. *lun.* 8. *totalis eclipsis.*
	10. Ngai ti regn. 4.	Anno 58. Mo ti moritur æt. 19. Anno 59. succedit Ngai ti, Chim ti septimi Imperatoris filius, ab Imperii primoribus electus.
Cyclus LII. Annus post Chr. 364.	11. Ti ye regn. 5.	Anno 2. Ngai ti moritur ætatis anno 25. Anno 3. succedit Ti ye frater minor, à primoribus electus.
		Anno 5. *lun.* 3. *& anno* 7. *lun.* 7. *eclipses Solis.*

Digitized by Google

Colaus *Huon ven* prælio vincit Regulum *Yen* in Septentrione; sed hic auctus copiis Reguli *Cin* aggreditur *Huon cum*, cæditque ad 30. millia.

Anno 7. TI YE à Colao *Huon ven* dejectus è solio, creatusque Dominus arcis *Haisi*, ubi 15. post annis moritur æt. 43. Anno 8. succedit KIEN VEN TI filius minor YUEN TI quinti Imperatoris, à primoribus electus.

12. KIEN VEN TI regn. 1.

Anno 9. KIEN VEN TI moritur ætat. 53. Anno 10. succedit VU TI filius.

13. VU TI regn. 24.

Fu kien Borealis Imperator meditatur Austrum bello petere; dissuadetur, quòd familia *Cin* ex cœli mandato imperet, neque ita peccavit ut ejusdem gratiam amisisset. Spretis consiliis cum 600. equitum millibus, peditum 270. millibus Austrum petisse scribitur, 700, & stadia agmine perpetuo occupasse. Imperator Australis priusquam tota vis hostium confluëret, repente cum selectioribus aliquot millibus ex 80. quos habebat millibus armatorum castra aggreditur tantâ vi & fortitudine, & panico terrore correptos hostes adeo fregit, ut ex tanto exercitu vix 30. millia evaserint. Postmodum à ductoribus suis metipse *Fu kien* Imperator debellatur, capitur, ac tandem captus in fano proximo strangulatur.

Alia deinde ex aliis regna in Septentrione rebellant. Imperator Australis vino luxuique se dedit, omnia facturus ditionis suæ, si victoriam prosequi voluisset.

Anno 12. *lun.* 10. *anno* 18. *lun.* 6. *anno* 21. *lun.* 10. *& anno* 28. *lun.* 5. *Eclipses Solis.*

Anno Imperii 20. *Cometes apparet*, eî propinat alter belli Imperator Borealis, ut omen sinistrum à se avertat.

Anno 33. VU TI clam suffocatus in lecto moritur. Ansam dedit jocus quidam, quo secundæ Reginæ 30. annos agenti sibi vetulam videri dixisset.

14. NGAN TI regn. 22.

Anno 34. succedit NGAN TI filius hebes & obtusus. Rebellant regna tam minora quàm majora omninò septem.

Topa quei Reguli regni *Tai* post sextam stirpem abolitam nepos residuus debellat funditus Regem regni *Yen* Borealis, direptâ aulâ ubi familiæ suæ per annos 149. sub 13. Principibus duraturæ nova rursus fundamenta jacit.

Lieu yu è circumforaneo calceorum venditore miles, dein Dux belli, multis clarus victoriis gradum sibi sternit ad Imperium, mox futurus sequentis familiæ conditor.

Anno 37. *lun.* 6. *anno* 40. *lun.* 4. *anno* 44. *lun.* 7. *anno* 51. *lun.* 9. *& anno* 54. *lun.* 1. *Eclipses Solis.*

Anno 55. NGAN TI à *Lieu yu* occiditur æt. 37. *quo anno Cometes.*

15. CUM TI regn. 2.

Anno 56. substituitur CUM TI decessoris frater uterinus.

Digitized by Google

Eodem anno 56. *lun.* 11. *Eclipſis Solis.*

Anno 58. CUM TI ſuffocatus æt. 37. familia *Cin* extinguitur. Eundem annum ſibi attribuit regicida *Cao çu vu ti.*

Octava familia.
1. CAO ÇU VU TI regn. 2.

CAO ÇU VU TI (alias *Lieu yu*) octavæ familiæ *Sum* fundator, quæ ſub 8. Principibus ſtetit annis 59. è gregario milite Dux, ac dein Imperator, proceritate, & formâ corporis Imperio dignâ, magnanimus & gravis, in veſtitu & epulis moderatus, aulam habuit *Nan kim* è quâ erat oriundus.

Imperiales quinque familiæ quæ ordine ſequuntur, dicuntur *V tai.* Fuit autem per hæc tempora diarchia ſeu duumviratus dictus *Nan pe chao*, hoc eſt Auſtrale & Boreale Imperium.

2. XAO TI regn. 1.

Anno 59. moritur CAO ÇU VU TI æt. 67. Anno 60. ſuccedit XAO TI, aliàs *Im yam vam* dictus primogenitus deceſſoris, jocis & oblectamentis immodicè deditus.

CYCLUS LIII. Annus poſt Chr. 424.

Anno 1. XAO TI è ſolio dejectus à Colao *Tan tao ci*, ac paulò pòſt occiſus æt. 18.

3. VEN TI regn. 30.

Eundem annum ſibi vindicat ſucceſſor VEN TI filius natu tertius conditoris.

VEN TI Princeps pius, rectus, modeſtus, at Bonziorum fautor. Publicos magiſtratus ultra ſexennium prorogari vetat. Arma movet in Borealem Imperatorem, cui 16. Dynaſtiæ ſe ſubjecerant: primo prælio vincitur, at deinde triginta præliis victor duce *Tan tao ci* Colao: at hic in præmium mortem tulit, ob nimiam potentiam ſuſpectus: quo audito, Boreales animos rurſum & arma movent. Non uno prælio victi Auſtrales. Anno Imperii 26. tanta utrimque cædes extitit, ut campi ſanguine ſtagnarent, aveſque aliò migrarent. *Tai vu ti* Borealis Imperator jubet omnes Bonzios regnorum ſuorum interfici, fanis idoliſque cremari juſſis, quod aliàs deinde non ſemel factitatum.

Anno Cycli 4. *Lun.* 6. *anno* 12. *Lun.* 1. *anno* 15. *Lun.* 11. *anno* 17. *Lun.* 4. *& anno* 23. *Lun.* 6. *Eclipſes Solis.*

4. VŪ TĪ regn. 11.

Anno 30. VEN TI à primogenito ſuo occiditur æt. 47. Anno 31. ſuccedit VU TI filius natu tertius, occiſo fratre primogenito & parricidâ. Princeps litteratus, equitandi & ſagittandi peritus imprimis, adeoque venationi immodicè deditus; prodigus tamen & oris ſoluti, nec ſuos, ut par erat, tractans.

Anno 31. *Lun.* 7. *Eclipſis Solis, item anno* 38. *Lun.* 9.

5. FI TI regn. 1.

Anno 41. VU TI moritur æt. 35. Anno 42. ſuccedit FI TI filius natu major, moxque ob crudelem indolem quam fœdavit innocentium ſanguine, occiditur. Succedit MIM TI undecimus filius VEN TI, ingenii ferocis. Tredecim juvenes regios, fratrum ſuorum filios (fuerunt ei 28.) jubet interfici: ipſe liberis carens, certos homines ad pellices ſuas ſubmittit, quæ ſi maſculum pa-

6. MIM TI regn. 8.

riant, matre interemptâ, sterili Imperatrici educandum tradit.

Anno Imperii 3. memorandam cladem accipit.

Promovet *Siao tao chim* ad primam dignitatem, hic per duplex regicidium ad proximæ familiæ solium viam sternet.

Anno 46. *Lun.* 10. *Eclipsis Solis.*

7. ÇAM NGU VAM regn. 4.

Anno 49. MIM TI moritur æt. 34. Anno 50. succedit ÇAM NGU VAM filius primogenitus, immorigerus. Imperator Borealis à justitia laudatus, quòd carceri mancipatos diù retineret, ut longâ pœnitudine ducti ad frugem redirent.

Eodem anno 50. *Lun.* 12. *Eclipsis Solis.*

8. XUN TI regn. 2.

Anno 54. ÇAM NGU VAM occisus anno æt. 15. à *Siao tao chim*. Anno 55. succedit XUN TI filius tertius MIM TI.

Eodem anno 55. *Lun.* 9. *Eclipsis Solis.*

Nona familia. 1. CAO TI regn. 4.

Anno 56. XUN TI à *Siao tao chim* perfidè obtruncatus æt. 14. Anno 57. succedit CAO TI duplex regicida, Colai *Siao ho* ex stirpe vigesimaquarta nepos: familiam *Ci* fundat, quæ sub quinque Imperatoribus tenuit annos 23. Aula *Nan kim.* Princeps litteris quàm bello clarior, dicere solebat, si per decem annos gubernaret, se effecturum, ut idem esset auri quod glebæ pretium: indutus aliquando vestem fulgentem auro & rari pretii lapillis, repente jussit omnes comminui, dicens, ex illis morbum gigni cupiditatis insaturatæ.

2. VU TI regn. 11.

Anno 59. CAO TI moritur æt. 54. Anno 60. succedit VU TI filius natu maximus. Magistratus non nisi ad triennium vult prorogari: connubia vetat inter ejusdem cognominis familias, juxta priscorum leges.

CYCLUS LIV. Annus post Chr. 484.

Fan chin conatur persuadere mero casu fortuitoque omnia agi, animam item cum corpore interire, nec quidquam post hanc vitam superesse. Fuit qui novam & impiam sectam scripto refelleret.

Siao yen bello & pace clarus, Colaus creatur: usurpabit proximè Imperium.

Borealis Imp. translaturus aulam in *Lo yam* prov. *Hó nan*, cùm suos abhorrere sciret, expeditionem fingit in Austrum, quò florem Imperii cum exercitu ducit. Transeundum erat per *Lo yam*, percunctatur ibi suos malint-ne belli aleam tentare, an ibi sedem figere; at memores cladium præteritarum, volentes ac læti sua castra in aulam commutarunt.

3. MIM TI regn. 5.

Anno 10. VU TI obiit æt. 45. Anno 11. succedit MIM TI frater conditoris. Hujus fidei ac tutelæ binos suos filiolos commiserat conditor: at *Mim ti* ambos in Imperio ad breve tempus collocatos intra quadrimestre è medio sustulit.

In Septentrione alta pax. Borealis Imperator adeò litteris deditus, ut sive equitans, sive vectus rhedâ, nunquam

nunquam libros è manu dimitteret.

Anno 11. *Lun.* 5. *Eclipſis Solis.*

Anno 15. MIN TI obiit ætat. 40. Anno 16. ſuccedit

4. HOEN HEU regn. 2. HOEN HEU filius deceſſoris tertius, crudelis & laſcivus, monitorum impatiens, Eunuchorum fautor. *Siao yen* Colaus & unà Regulus regni *Leam* aulam *Nan kim* invadit: ejicitur Imperator. Incenſo palatio novum extruit longè magnificentiſſimum, ſic ut pavimentum auratis floribus inſterneretur.

Anno 17. HOEN HEU occiditur æt. 19. à Colao *Siao yen*, cujus fratrem HOEN HEU priùs occiderat.

5. HO TI regn. 1. Anno 18. ſuccedit HO TI frater, à *Siao yen* poſitus in ſolio, & mox depoſitus, ac dein occiſus æt. 15.

Nona familia *Ci* extinguitur.

Decima familia. CAO ÇU VU TI regn. 48. Anno 19. ſuccedit CAO ÇU VU TI (aliàs *Siao yen*) duorum Impp. & ſex Regulorum parricida: fundat decimam familiam *Leam*, quæ ſub quatuor Regibus tenuit annos 55. Fuit hic ex pervetuſta familia *Siao ho* oriundus. Princeps impigerrimus, negotia per ſe omnia expedit, exçultus diſciplinis propè omnibus, etiam militari, adeò parcus, ut eodem lectulo & pileo ad triennium uſus ſcribatur; cæterùm Pythagoricis Bonziorum ſomniis adeò addictus, ut abjectis curis publicis ipſe factus ſit Bonzius. Edicto vetuit mactari boves & oves tam in ſacrificiis quàm civilibus oblationibus, victimarum loco farinam offerri jubet.

Anno Imperii ſui 15. obſidet urbem *Xeu yam* provinciæ *Xan ſi*. Decennio tenuit obſidio, quo tempore aliquot centum hominum millia partim aquis, partim fame & ferro periere. Sub hoc corruit Imperium Boreale *Guei* dictum, quod annis 149. ſub 13. Regulis ſteterat, atque in duos dein diviſum dominos, duplex quoque nomen ſortitur Orientalis & Occidentalis, quæ deinde ad Reges tranſiit regnorum *Ci* & *Cheu*. Imperatrix Borealis *Hu* dicta Monaſterium mille Bonziorum, quale Sina haud unquam vidit, extruit cum turri 180. orgyarum altitudine. *Yum nhim* ſeu æternæ pacis ſpecioſum nomen cœnobio inditum.

Anno Imperii 26. ſe venundans idolo *Fe* in mancipium, relictâ aulâ, in fano Bonziorum degit, raſo capite & vili habitu, ſoliſque herbis & orizâ contentus, donec à primoribus mille myriadibus nummorum cupreorum redemptus, ad aulam reluctans reducitur, ubi quoque Bonziorum lege rituque degit; erant tum 13. fanorum millia in Imperio.

Colaus *Kien quen* cùm ſervire nollet uſurpatori, ſpontaneâ fame (non infrequenti apud Sinas lethi genere) ſe necat. Re cognitâ Imperator: *A cœlo*, inquit, *mihi venit, non à Dynaſtis Imperium, quorſum perimit ſe miſer?* Cùm non auderet criminum noxios ad mortem damnare, hac ſpe impunitatis paſſim aucta latrocinia & cædes.

Heu kim hujus cliens & Regulus *Ho nan* rebellat. *Nan kim* invaditur. Ipſe Imperator captus & productus in conſpectum victoris, nullum turbati animi ſignum dedit. Rebellis autem, quamvis ferocis ingenii, hic tamen non ſuſtinens vel intueri os Imperatoris & domini ſui, adeò commotus eſt animo, ut ſudor ei ex vultu manaret, *Ah*, inquiens, *quàm difficile eſt collatæ à cælo majeſtati reſiſtere!* Tandem non auſus ſenem perimere, juſſit, quæ ad victum petebat, parcè malignèque ſuppeditari.

Celebratur pietas adoleſcentis *Kie fuen* 15. annos nati, erga patrem capitis damnatum ob enormia crimina in magiſtratu ſuo patrata: re cognitâ puer principem adit, & pro vitâ patris ſuam offert: multis tentata pueri pietas fuit, an ſponte, an aliorum impulſu, ſeriòne, an ſpecie tenus id faceret. Ubi pietas diù explorata conſtitit, huic donatur vita patris, ipſique filio eximii cujuſdam honoris donatur inſigne: at ille conſtanter recuſans, *Abſit*, inquit, *ut ego id geram, quod rei quondam patris aſſiduè memoriam renovet.*

Anno 23. *Lun.* 3. *Eclipſis Solis*, *item anno* 33. *Lun.* 2. *item anno* 39. *Lun.* 5. *totalis*, *item anno* 40. *Lun.* 11.

Anno 47. *Lun.* 9. *Cometes.*

Anno 51. *Lun.* 4. *& anno* 57. *Lun.* 5. *intercalari Eclipſes Solis.*

Cyclus LV. Annus poſt Chr. 544.

Anno Cycli 4. *Lun.* 1. *Eclipſis Solis.*

Anno 6. Cao çu vu ti flagitans pauxillum mellis, quo oris amaritudini mederetur, cùm id negatum fuiſſet, repente moritur anno æt. 86. Anno 7. Kien venti ſuccedit, filius natu tertius, captus, & anno 8. occiſus æt. 49. ab eodem *Heu kim*, qui titulum Imperatoris ſibi vindicat, mox cum vitâ amittendum.

2. Kien venti regn. 2.

3. Yuen ti reg. 3.

Anno 9. ſuccedit Yuen ti ſeptimus filius conditoris. Stultè improbèque addictus ſectæ *Lao kiun*. Colaus & Regulus R. *Chin*, *Pa ſien* dictus, invaſorem *Heu kim* deleto exercitu capit, & capite truncari jubet. Mox etiam rebellans, *Nan kim* aulam obſidet. Imperator muros urbis armatus circumit. Re tandem deſperatâ enſem diffringit pretioſiſſimum, & Bibliothecam 140. millium voluminum concremari imperat, dicens: *Ars omnis proh! interiit tam militaris quàm litteraria.* Urbe captâ, vectus equo albo habituque vulgari victori ſe dedit, à quo anno 11. occiditur æt. 47.

4. Kim ti reg. 2.

Anno interim 12. ſubſtituitur Kim ti nonus filius deceſſoris.

Anno 13. Kim ti occiditur ætat. 16. & cum eo familia *Leam* extinguitur. Borealis *Cheu* Imperator idola omnia & fana cremari jubet.

Undecima familia 1. Cao çu vu ti regn. 3.

Anno 14. Cao çu vu ti (aliàs *Chin pa ſien*, regicida, undecimam familiam *Chin* fundat, quæ quinque

Digitized by Google

Principes tenuit per annos 33. Fuit is è ſtirpe Ducis *Chin xe* ſub *Han* quintâ familiâ bello inclyti oriundus. Litterarum & Bonziorum amans.

Anno 16. CAO ÇU VU TI moritur æt. 59.

Eodem anno 16. *Lun.* 5. *Eclipſis Solis.*

2. VEN TI reg. 7.

Anno 17. ſuccedit VEN TI frater, qui diù privatus vixerat, ſubditorum amans, quorum lites per ſe decidit. Sæpe noctu obit ac luſtrat palatium. In aula noctium horas & quadrantes diſtingui jubet tympanorum pulſu, qui mos toto imperio hodieque obſervatur. Fratrem Regulum *Ngan Chim* imperii hæredem declarare ſtatuit, quòd filius imbecillior eſſet. Reſiſtente Colao & Senatu, ab incepto deſtitit. Borealis *Cheu* Imperator renovat priſcum morem, quo viri grandes natu ac bene meriti alebantur expenſis regiis in domiciliis ad id deſtinatis.

Anno 20. *Lun.* 3. *& anno* 23. *Lun.* 1. *Eclipſes Solis.*

Anno 23. moritur VEN TI æt. 45.

3. LIM HAY VAM, aliàs *Fi ti.* regn. 2.

Anno 24. ſuccedit LIM HAY VAM filius deceſſoris, à Regulo *Ngan chim* depoſitus.

Anno 25. LIM HAY VAM moritur ætat. 19.

4. SIUEN TI regn. 14.

Anno 26. ſuccedit per vim SIUEN TI Conditoris ex fratre nepos, naturâ feſtivus & hilaris. Muſices imprimis & pacis, & ſapientum ſtudioſus. *Chin tao* clientum unus pretioſa munera offert Imperatori; at hic, ut ſpes ejus ambitioſas eluderet, palam & coram ſe cremari jubet omnia.

Borealis Imperator Colaum creat *Yam kien*, cujus filio filiam ſuam nuptui dat; Colaus dein auctus dynaſtiâ regni *Suy*, imperium brevi invadet.

Anno 27. *lun.* 10. *anno* 31. *lun.* 2. *anno* 34. *lun.* 11. *die ult. & anno* 37. *lun.* 10. *Eclipſes Solis.*

Anno 39. SIUEN TI moritur æt. 42.

5. CHAM CHIM CUM, aliàs *Heu chu.* regn. 7.

Anno 40. ſuccedit CHAM CHIM CUM filius deceſſoris. Baccho & veneri jociſque immodicè indulget. *Yam kien* in Septentrione Imperatoris titulum uſurpat. Cum 500. millibus Auſtrum petit, fluvium *Kiam* impunè trajicit, aulam occupat. Ipſe Auſtralis Imperator ſe in in puteum præcipitat, unde vivus extractus.

Anno 46. CHAM CHIM CUM è ſolio dejicitur, & 24. poſt annis privatus moritur æt. 52.

Duodecima familia.

Anno 42. *Lun.* 1. *Eclipſis Solis.*

1. CAO ÇU VEN TI. regn. 15.

Anno 47. CAO ÇU VEN TI, aliàs *Yam kien*, fundat duodecimam familiam *Suy* dictam, quæ numeravit tres Imperatores per annos 29. Imperium Auſtrale, quod à Boreali per 300. annos fluvius *Kiam* diviſerat ceu limes, anno Cycli 54. Imperii nono, uni domino parere cœpit. Quod ipſum ab Aſtrologo prædictum fuerat. Erat is ex illuſtri domo, de quinta *Han* familia optimè merita oriundus. Aulam tenuit *Cham ngan* in prov. *Xen ſi.* Princeps rudis quidem litterarum, ſed ingenii ſagacis & profundi, temperans ciborum, populi amans,

muſicam veterem & leges reformat. Compoſitiones floribus verborum adulatoriis comptas prohibet. Horrea publica per imperii totius urbes extrui jubens, vult ut quæque familia pro ſtatu & conditione certam orizæ & tritici menſuram inferat, ut tempore ſterilitatis ſuccurri poſſit pauperibus, & ita tollatur anſa latrociniis.

Sanxerat ut furtum 8. aſſium capite plecteretur, ſed hortatu ſuorum legem antiquat. At in judices muneribus corruptos inexorabiliter ſeverus. Ad publica munia promoveri vetat eos qui mercimonia & artes alias exercent.

Anno 48. *Lun.* 2. *die ult. Eclipſis Solis.*
Anno 57. *motus terræ univerſalis.*
Anno 58. *Lun.* 2. *Eclipſis Solis.*

CYCLUS LVI. Annus poſt Chr. 604.

2. YAM TI regn. 13.

Anno 1. CAO ÇU VEN TI, eò quòd deſtinaſſet primogenitum, etſi inutilem, hæredem imperii, occiſus in aula à filio ſecundo, æt. 64.

Anno 2. ſuccedit YAM TI filius natu ſecundus, parricida & fratricida: vir magnis dotibus inclytus, prodigus, luxui immodicè deditus. Aulam paternam ex prov. *Xenſi* in provinciam *Honan* transfert. Duo excitat horrea prodigioſæ magnitudinis, alterum caveis ter mille & ambitu leucarum duarum. Septum curat extrui 15. leucarum ambitu, palatia & hortos, ubi obequitantem numeroſi pellicum equitantium greges ſequuntur cum cantu & muſicis inſtrumentis. Fluvium *Hoam ho* trajicere parantem, claſſis ornatiſſima per 40. & ampliùs ſtadia ſeu 4. leucas diſpoſita deducit.

44. Satrapiæ & regna Barbarorum Occidentalium & Borealium clientelam deferunt. Armorum uſum plebi interdicit, qui mos hodieque viget. Ad muri Sinenſis reſtaurationem millio hominum adhibitus ſcribitur.

Operâ 100. litteratorum libros de re militari, politicâ, medicâ, ruſticâ caſtigari, & denuò recudi jubet: de ſortilegiis verò & ſacris Bonziorum 7. millia voluminum prodierunt. Gradum doctoratus inſtituit, qui huc uſque perſeverat tam in civilibus quàm militaribus. Luſtrans per ſe ditiones comitatum habet 80. millium. Coreanos 12. centenis millibus tam mari quàm terrâ domare fruſtra tentat, deſideratis ferè omnibus & reſiduis dumtaxat bis mille 700. Renovatâ in Coreanos expeditione, hi tandem clientelare obſequium miſſis legatis deferunt. Præfectum in prov. *Xan ſi* creat. Hic ſequentis familiæ erit conditor.

Anno 13. YAM TI dum luſtrat Auſtrum occiditur, æt. 39. à plebeio *Hoa kie* dicto, in urbe *Yam cheu* prov. *Nan kim. Li yuen* Dynaſta exercitu 120. millium comparato imperium uſurpat votis communibus.

3. CUM TI regn. 1.

Anno 14. ſuccedit CUM TI nepos CAO ÇU VEN TI à *Li yuen*

Li yuen in ſolio collocatus, & paulò pòſt depoſitus. *Suy* duodecima familia extinguitur. *Li yuen* filius natu ſecundus paternis auſpiciis bellum gerens, aulam capit. Ibi contemplatus ædes regias inuſitati ſplendoris & majeſtatis, ingemiſcens, ait: *Opus, quod hominis animum diſſolvit ac peſſumdat, & exhauſiſſe videtur cupiditatem cordis humani, utique nefas eſt diutius perſiſtere.* Sine morâ igitur totum in favillas redigi jubet.

XIII. Familia.

1. XIN YAO TI regn. 9.

Anno 15. XIN YAO TI (aliàs *Li yuen*) è Reguli *Sileam* nepos ordine ſeptimus fundat, familiam decimamtertiam *Tam*, cujus ditionis erat Dynaſta; hæc tenuit 20. Imperatores per annos 289. Suppliciorum acerbitatem & vectigalium onera moderatur. Erigit templum *Lao kiun* tanquam idolo.

Anno Imperii 6. debellatis rebellibus, totius Monarchiæ dominus evadit. Ex unâ æris unciâ decem nummos cudi jubet, cum binis litteris *tum pao:* hæc moneta unica hodieque in uſu eſt. *Fu ye* Colaus auctor eſt, ut 100. Bonziorum millia cogat uxores dicere ad militiæ ſobolem: annuit Imperator.

2. TAI ÇUM regn. 23.

Anno Cycli 23. XIN YAO TI Imperium filio reſignat, novem poſt annis moritur æt. 70. Anno 24. ſuccedit TAI ÇUM filius natu ſecundus, de quo plura hîc afferimus, quòd ipſo imperante lex Chriſtiana Sinam ſit ingreſſa. Princeps fuit omnibus numeris abſolutus, pius, prudens, amans moneri, frugalis. Octo tantùm edulia menſæ adhibet. Tria millia fœminarum è palatio dimittit.

Libros undique conquiri jubet. Academiam in aulâ reſtaurat, in quâ octo mille diſcipuli, & hos inter exterorum Principum filii numerati ſunt. Magiſtros inter eminebant *Xe pa hio ſu*, id eſt, octodecim ſtudiorum Præfecti: imò & militarem Academiam, jam ante ab Rege Boreali introductam, inſtituit. Quin & militare Gymnaſium, ubi ars jaculandi exerceretur, ibidem extrui & ipſe frequentare voluit; verùm cùm non probaretur id Colais, quòd dicerent inuſitatum eſſe, & alienum videri à tanta Majeſtate, necnon cum periculo conjunctum: *Ego*, inquit, *hoc Imperium meum conſidero, ſicut pater quiſpiam familiam ſuam; ſubditos verò omnes, velut tenellos infantes ex me progenitos ſinu meo complector; quid igitur, pertimeſcam?* Ad latrocinia impedienda volebat populo omnia affatim eſſe ad vitam: *Regnorum ſalus*, inquiebat, *pendet à populo, hunc deglubere & exhaurire ut Rex abundet, tantumdem eſt ac ſi quis ſuam ipſius carnem in fruſta conſcindat, ut eâ ventrem impleat: venter augeſcit, ac impletur; at corpus minuitur, marceſcit, perit.* Quam deinde ſententiam declarans, *Multi Regum*, inquiebat, *à ſe non ab aliis pereunt: cupiditas exitio eſt; etenim dum huic ſaturandæ ſumptus ſunt immenſi, protinus oritur augendorum vectigalium neceſſitas; ex hac populi totius afflictio: afflicto vexatoque populo, quis neget periclitari*

Regnum? periclitante Regno, quid pronius quàm perire Regem? caput unà cum ſuo corpore: hæc ego dum conſidero, non audeo laxare fræna cupiditatibus meis. Conſtitutos ab ſe Judices ac Magiſtratus munera vetuerat accipere, pœnâ capitis propoſitâ; exploraturus ergo ſuorum fidem, hominem adornat, qui munus Præfecto offerat. Hic admittit, fit ipſe certior, jubet interfici; verùm Colaus, *Eſt ille quidem nocens*, inquit, *ô Rex, ſed neque tu innocens, qui eum per inſidias ad violandam Legem pellexiſti.* Pepercit reo Imperator.

Altero poſt anno cùm Præfectus militum ſupremus, munus è veſte ſerica accepiſſet, cognitâ re Imperator ei magnam vim miſit veſtis ſericæ, mirantibus verò aliis, & ad ſupplicium depoſcentibus hominem: *Supplicium*, inquit, *acerbius ipſa morte ſuus illi rubor erit, hoc eum lentè cruciari volo.* De minimis quibuſque rebus vult commonefieri dicens, *Ab his ad majora gradum fieri, adeoque à minimis pendere Imperii conſervationem.* De argenti fodinis factus certior, illas vetat aperiri, dicens, *Auro & argento cariora mihi ſunt meorum verba & conſilia, quæ ad Reipublicæ emolumentum ſuggeruntur.*

Quotieſcumque vel cœli ſiccitas, vel imbrium copia famem & vaſtitatem minabatur, exemplo priſcorum Regum edicto jubet enuntiari quid abs ſe, quibuſve in rebus peccetur: auguriis interim nullam dat fidem; itaque cùm fortè ciconiæ nidificantes coram ipſo, alâ roſtroque plauſiſſent, quibuſdam procerum felicitatem ei inde augurantibus, ſubridens ipſe, *Xui çai te hien*, inquit, id eſt, *Auguriorum felicitas in hoc ſita, ut ſapientes habeam;* quo dicto protinus juſſit nidum dejici. Audiens laudari armamentarium ſuum, & ei, quod præcedens familia *Suy* inſtruxerat, anteponi, *Mihi*, inquit, *ſubditi mei pro armis ſunt, quandiu ſuo Principe & pace gaudent; ubi hæc duo familiæ* Suy *defuerunt, nec arma fuerunt uſui.* Cùm præceps & inconſideratior fuiſſet in uno clientum ſuorum ad mortem condemnando, legem condidit, ne quis antè plecteretur quàm datis ter codicillis cauſa rei iterum atque iterum fuiſſet cognita.

Secundo Imperii anno cùm locuſtæ graſſarentur, jamque fames timeretur, ingemiſcens Imperator, *Ex meſſe*, inquit, *quam vos abſumitis pendet vita meorum? Ah! quantò malim conſumi à vobis viſcera mea.* Hæc fatus unam locuſtarum vivam deglutivit. Narrant locuſtas eo anno ſtragem vix ullam meſſi intuliſſe. Audierat *Li hium* clientem ſuum ægrotare, & morbo curando pilos barbæ redactos in pulverem præſcriptos à Medico, Imperator ex ſuâ ipſius barbâ pharmacum parari jubet, & ægroto offerri, qui illo uſus convaleſcit. Didicerat ex libris medicis HOAMTI Imperatoris, quòd læſis humeris ac dorſo nobiliores quoque partes ex interioribus facilè offenderentur; itaque Legem

tulit, ut qui rei essent, non in dorso, sed in femoribus vapularent, quæ Lex hodie viget.

Anno quarto &c. cùm floreret ubique messis, & magna quies à finitimis barbaris, *Hæc duo*, inquit, *magnæ quidem mihi sunt voluptati, sed angit me res una, quòd diuturna felicitas negligentiæ superbiæque mater sit.* Eum qui capesseret Imperium, docebat *similem esse ædificanti domum, quam ruinæ periculo expones, si jam fundatam & bene constitutam denuo velis immutare: ita Imperio jam constituto, bonisque firmato legibus, à novitatibus abstinendum.* Aliàs, *Rex*, inquit, *morbo medentis est instar: discordia, perturbatio, bellum, Imperii est morbus, qui tametsi jam sit depulsus ab Imperio meo, magna tamen populi convalescentis habenda est cura, ne relabatur in pristinum morbum, & cui deinde nullâ queat mederi industriâ: pax alta nunc terras obtinet; parent nobis Barbari, nec tamen sollicitus esse desino ut primis ultima respondeant, quocirca vos docete me, monete, reprehendite.* Ad hæc Colaus *Guei chim, Ego quidem, ô Rex, non tam gaudeo de pace florentis Imperii, quàm quod* Kiu ngan su guei, hoc est, *pacis tempore, periculi vivas memor.*

Aliàs item, *Vulgò*, inquit, *dicitur Imperatorem maximè verendum esse, nec habere quod pertimescat: at ego sanè vereor providentiam Imperatoris Cœli, quæ ad nos usque pertingit, & simul vereor oculos omnium subditorum ad me unum conversos: itaque sic angor, & sic invigilo mihi ipse, ut qui nec Cœli voluntati, nec desiderio populi adhuc responderim.* Aliàs rursus, *Audivi*, inquit, *in Occidente reperiri Barbaros, qui si gemmam pretii majoris invenerint, haud dubitent eam convulnerato corpore intra cutem recondere, nos autem ridemus illos & meritò: verùm si nos ipsi dum servivimus cupiditatibus nostris, regnum amittimus, si clientes nostri dum fidem justitiamque vendunt muneribus, in ultimum vitæ discrimen se conjiciunt, nonne majori jure vel ab ipsis Barbaris ridemur?* Siccitatis tempore solaturus afflictum populum, recludi jubet carceres, & communem noxarum veniam promulgari: docet tamen rariùs hoc clementiæ genere utendum esse Principi, ne cùm proborum damno foveatur, & invalescat improbitas: zizania, segeti ne noceant, utique eradicanda.

Anno septimo custodias adit publicas & per se lustrat; è vinctis trecenta & nonagìnta, qui omnes capitalis noxæ rei erant, ad tempus dimittit, jussos, ubi messem collegissent, ad statum reverti: revertuntur ad unum omnes præstituto tempore; admirabundus ac lætus Princeps vitam omnibus cum libertate donat.

Tredecim viros idoneos ad cuncta coram inspicienda per omnes Regni partes amplissima cum potestate dimittit, mandans ut severè in Præfectos Urbium & Provinciarum inquirant.

Memorant Chronica anno Imp. octavo pervenisse ex longinquis regionibus variarum gentium legatos,

oris habitu corporisque admodum peregrino, & nunquam antea Sinis viso: quin adeo gloriatum fuisse Imperatorem, quòd suis primùm temporibus homines capillo rufi, oculisque viridibus (glaucos interpretor) Ditionem Sinicam adiissent. Certum videtur eos ipsos fuisse, quos lapideum in provinciâ *Xensi* monumentum effossum anno 1625. ætati nostræ prodidit, disertè referens & annum eundem, & imaginem S. Crucis, & legis Christianæ compendium charactere Sinico, & nomina 72. præconum Syriacis litteris insculpta lapidi. De hoc consule Kircheri Sinam illustratam, & vetus Manuscriptum Arabicum quod asservatur in Regiâ Galliarum Bibliothecâ, ubi disertè scribitur circa idem tempus missos esse Evangelii præcones in Sinam à Catholico Patriarcha Indiæ & Sinæ, qui in urbe *Mosue* degebat.

Anno 9. dicti legati in urbem Regiam *Chamngan* hospitum ritu deducti sunt à Colao *fan Hiuenlim*, de quo & in Chronicis & in dicto Lapide fit mentio honorifica.

Anno 10. obiit Regina *Cham sun*, litterarum peritiâ, pietate ac prudentiâ celebris; itaque dum vixit, in nullum ex domesticis regiis gravius animadversum est, raro prorsus exemplo. Offenderat aliquando Principis animum Colaus *Guei chim*, crebriùs importuniùsque eum monens, jamque ab illius aditu & conspectu arcebatur; inaudiit Regina, adit extemplo conjugem, sed inusitato cultu ornatuque corporis, & instar gratulabundæ. *Audivi*, inquit, *sæpenumero, mi Rex, quod ubi datur Imperii gubernator sapiens atque perspicax, subditi quoque dentur veraces & recti: rectus & verax est Colaus tuus, nimirum quia tuipse tam eximiâ es sapientiâ & perspicacitate, hunc ego tibi gratulatura venio.* Placavit offensum opportuna dilectæ conjugis gratulatio. Librum ipsa conscripserat de recta Gynecæi institutione triginta constantem capitibus; hunc postquam extincta est, lacrymabundus Imperator coram suis accipiens in manus: *Norma*, inquit, *centum sæculorum continetur hoc Volumine; scio quidem luctum hunc tam acerbum cœli natu mihi eveniisse, neque jam esse quo illi medear; sed enim dum reminiscor adjutricis tam fidæ, cujus præclara monita consiliaque nunquam posthac auditurus sim, an ego ferre desiderium, an temperare lacrymis possim?* Amoris interim ac doloris magnitudinem Mausolæum declaravit ipso illo, quod extruxerat suo patri, magnificentius (uno quippe antè anno pater decesserat.) Cùm itaque die quodam Colaum *Guei chim* in editiorem ducens locum, Mausolæum conjugis eminùs conspicuum digito monstravisset, Colaus dissimulans ab se visum esse: *Existimabam*, inquit, *ô Rex, contemplari te & indicare sepulchrum patris: nam conjugis quidem dia est quod vidi.* Lacrymas elicuit Principi vox ista, qui non ignarus quid illâ carperet, destrui jussit Reginæ Mausolæum.

Mauſolæum. Uſque adeo filiorum pietas vincit apud Sinas amorem conjugalem!

Anno Imp. 11. puellam familiæ *Vu xi* quatuordecim annos natam, quòd admodum præſtantis eſſet formæ & ingenii, in Aulam admittit, & titulo de more donat honorifico. Poſt annos aliquot tyrannidem exercebit hæc puella imperandi jure contra fas ſibi vindicato.

Anno 12. menſe ſeptimo, Imperator (uti conſtat ex monumento ſupradicto) dato diplomate Divinam Legem per Imperium totum promulgari permittit; fundum largitur extruendo Templo in urbe regia.

Anno 17. moritur Colaus *Guei chim*. Elogium fidiſſimi Clientis ſcribit ipſemet Imperator, & ſepulchro jubet incidi; converſus deinde ad ſuos, *Tria ſunt*, ait, *ſpecula mortalibus, unum ex ære, ad quod pileum ſuum veſtemque ſuam aptè componunt; alterum ex veterum libris & monumentis, in quo contemplantur ortus Regnorum & incrementum, & occaſus; tertium ſunt mortales ipſi, quos ſi conſideres attentiùs, facilè diſces quid ipſe pecces, quid te fugere, quid proſequi par ſit: & ego tribus hiſce ſpeculis adhuc quidem ſum uſus, & nunc (proh dolor) amiſi tertium functum vitâ*; Colaum deſignans. Aliàs, *Eſt*, inquit, *Principi cor unicum. Sed qui hoc oppugnant plurimi: & alii quidem ſtudio quodam fortitudinis gloriæque bellicæ id oppugnant; alii deliciis & cupiditatibus; hi doctis contentionibus & cavillationibus; adulatione & blanditiis; illi dolis item mendaciiſque non pauci; tam variis artibus machiniſque pugnantium una ferè cura eſt, ut gratiam Principis acquirant, adeoque opibus & honore augeantur: quiſquis ergo de perpetua quadam cordis vigilantia paulum remiſerit, quàm pronum erit à ſe vinci & perire!*

Anno 19. contra Coreanos qui defecerant, expeditionem ſuſcipit, ſed conatu irrito. De via ſepulchrum vidit Colai *Pi can*, qui olim tuendæ veritatis cauſâ ab impio *Kie* fuerat occiſus: ornat ipſum perhonorifico titulo *Yn tai ſu*, id eſt, Magni Magiſtri familiæ *Yn*.

Anno 21. puellam *Sin hoei* dictam, Colai filiam, litteris & ingenio claram, in conſortium thori ſui admittit, & ſapientis titulo exornat. Narrant eam quinto poſt ortum menſe cœpiſſe fari; quarto ætatis anno libros *Confucii* tenuiſſe memoriâ; octavo ſcripſiſſe appoſitè variis de rebus: hoc certum, in legendis libris fuiſſe aſſiduam. Eodem anno trecenta millia militum rurſus in Coream deſtinat, verùm cùm ipſe paulò pòſt diem obiret, optimatum conſilio intermiſſa expeditio eſt. Rara fuit hujus Principis & cura & induſtria in liberis inſtituendis, ex obviis quibuſque rebus appoſita petens ipſis documenta. Cùm orizâ veſcebatur, meminiſſe jubebat quanto ſudore illa colono conſtitiſſet,

sic enim fore ut nunquam eis deesset. Cùm navigabat, *Aqua, ut videtis*, inquit, *sustentat naves, & ea potest navem submergere: aqua populus est, Rex navis.* Aliaque his similia.

Uno ante mortem anno duodecim monita, quæ litteris viginti-quatuor continebantur, filio dedit; monita hæc erant: *Tutè, Fili, fac regas*, inquit; *honores quos conferre par est, in propinquos confer; accerse sapientes; examina Magistratus; audi monentes; repelle detractores; fastu abstine; moderatio parsimoniaque cordi sit; præmia supplicia-que meritis respondeant; curæ sint res agraria, res militaris, civilis & litteraria. Tu, ô Fili, petes à priscis Regibus exempla gubernandi; nam ego is non sum qui tibi ad exemplum sufficiam: medium ut attingas, summum pete; excides medio, si collimaris dumtaxat in medium. Multis in rebus à me peccatum est ex quo imperare cœpi: sed tu vires contende, ut quæ ages, agas rectè, & constabit Imperio pax sua: quòd si fueris superbus, si iners, si prodigus & dissolutus, non Imperii modò, sed tuipsius jacturam facies.*

Anno 23. mense quarto, cùm morbus ingravesceret, hæres Imperii filius diu noctuque assidebat patri, cibo etiam aliquot per dies abstinens & canescens præ cura & mœrore, quod observans pater, lacrymas tenere non potuit, filiumque intuens: *Quorsum*, inquit, *mori me pigeat, Fili mi, quando tanta est erga me pietas tua?*

Eodem anno qui fuit Cycli 46. TAI ÇUM moritur ætat. 53. Anno 47. succedit CAO ÇUM decessoris filius nonus. Anno Imperii 5. ardet Imperator studio visendæ *Vu xi* puellæ, quam pater in concubinam admiserat: illo autem mortuo cœnobiticam Bonziorum vitam cum aliis ejusdem sexûs professa degebat in fano: fanum adit, puellam reducit ad palatium; & quòd prole masculâ careret, repudiat reginarum alteram, & ipsam Imperatricem, frustra obnitentibus Colais, etiam propositâ capitis & fortunarum jacturâ, & officii sui abjectis insignibus. Publicè ad solium evecta cùm observasset Imperatorem earum adhuc meminisse quas repudiarat, præcidi jubet ambabus & manus & pedes, & aliquot post diebus utriusque caput, quo facto feralibus umbrarum manibus, furiarum prope ritu quocumque se verteret terrorem noctu diuque ingeminantibus, loci mutatione remedium petere cogitur: transactis interim sex annis, Imperii regimen, suis Imperator committit amoribus, eò quoque insaniæ deveniens, ut ei *Tien heu*, hoc est reginæ cœli, hactenus inauditum nomen contulerit. Ad solium evecta, filium ex se primogenitum veneno sustulit, id unum agens, ut fratris filios adeoque familiam suam ad Imperium si posset eveheret, quod secus accidit.

3. CAO ÇUM regn. 34.

Anno 13. Lun. 5. anno 17. Lun. 8. anno 24. Lun. 3. intercalari, anno 27. Lun. 7. anno 31. Lun. 5. anno 35. Lun. 2.

Digitized by Google

intercalari, anno 40. *Lun.* 6. *anno* 45. *Lun.* 8. *& anno* 54. *Lun.* 5. *die ult. Eclipſes Solis.*

Cyclus LVII. Annus poſt Chr. 664.

Anno Cycli 6. à Coreanis tandem defertur clientelare obſequium. Ex monumento lapideo conſtat fuiſſe hunc Principem legis Chriſtianæ fautorem, pluribus locis exſtructa templa vero Numini; per decem item provincias fides propagata; confertur quoque titulus honorificus cuidam *Olo puen* dicto.

Vu heu intruſa, regn. 21.

Anno 20. Cao çum moritur æt. 56. Anno 21. ſuccedit per vim *Vu heu* Regina, vafra, crudelis, litterarum tamen ſtudioſa; filium ſuum eundemque hæredem deſignatum repudiat, creatque Regulum in prov. *Hu quam*, tertio filiolo in jus locumque fratris nomine tenus ſubrogato. Crudeliter ſævit in præcipuas quaſque familias, quòd ſuſpicaretur ſibi non favere: fuit dies quo 850. neci dati.

Annọ hujus 15. impium cœpit bellum contra legem Chriſti, uti conſtat ex lapideo monumento; duravit 15. circiter annis perſecutio. Eodem anno *Tie* Colaus gravibus verbis Reginam monet, ut à 14. annorum exilio revocet filium à Cao çum Imperatore nominatum hæredem, cauſam afferens, quòd inauditum ſit ut in aulâ parentali majorum, ex aliena proſapia oriundi Imperatoris nomen inferatur à poſteris non agnoſcendum: ex prov. *Hu quam* revocatur itaque, & per 7. annos in palatio Orientali reſidet, donec defunctâ matre ſolium conſcendat.

4. Chum çum regn. 5.

Anno 41. *Vu heu* moritur æt. 81. Anno 42. ſuccedit Chum çum filius Cao çum, otio & veneri deditus. Imperatrici *Guei* exilii ſui ſociæ fideli regimen committit; hæc autem auctore *San ſu* aulæ Præfecto, cum quo turpiter vivebat, filium ſuum *Xam* dictum molitur ſubrogare. Non tulerunt hoc Reguli & Principes, ſumuntur arma.

Anno Cycli 46. Imperii 6. Chum çum veneno ſublatus moritur æt. 55.

Xam in ſolio collocatur. Regulus patruus aulam invadit. Regina *Guei* cum filiâ obtruncatur. *Xam* adoleſcens ultro ſe dedit, & patruo cedit Imperium, à quo Dynaſta ditionis *Ven* creatur.

5. Juy çum regn. 2.

Anno 47. ſuccedit Juy çum filius Cao çum, deceſſoris frater ex *Vu heu* Reginâ.

6. Hiuen çum regn. 44.

Anno 48. Juy çum moritur æt. 55. Anno 49. ſuccedit Hiuen çum deceſſoris filius natu tertius, bonæ indolis Princeps, rara moderatione animi, publicique boni ſtudioſus, valde item religioſus. Familiam ſuam *Tam* propè collapſam quadantenus reſtaurat, hinc magna pax per 30. ferè annos. Eunuchorum unum *Cao lie ſu* palatii Præfectum primus creat, ignarus ſcilicet quanta & ſuæ & aliis Imperialibus familiis mala pareret tot Eunuchorum ad publica munia evectorum potentia.

Digitized by Google

Divina quoque lex denuo vigere cœpit, & frui pace per tres deinde, qui ſucceſſere Principes continuata, uti teſtatur monumentum lapideum, quo inſuper Præfectum *Cao lie ſu* cum muneribus miſſum (inter quæ imagines erant quinque Philoſophorum Regum) ut ea in templo quod Evangelici præcones vero Numini conſecrarant, offerrentur.

Anno 2. *Lun.* 3. *intercalari*, *die ult. anno* 6. *Lun.* 6. *anno* 11. *Lun.* 3. *anno* 17. *Lun.* 11. *anno* 22. *Lun.* 2. *anno* 28. *Lun.* 4. *anno* 31. *Lun.* 9. *anno* 37. *Lun.* 5. *anno* 40. *Lun.* 9. *totalis*, *anno* 44. *Lun.* 12. *anno* 49. *Lun.* 9. & *anno* 56. *Lun.* 5. *Eclipſes Solis.*

CYCLUS LVIII. Annus poſt Chr 724.

Aurea argenteaque vaſa, veſtes auro textas & alia ejuſmodi nimium luxum præferentia, ante fores palatii flammis aboleri jubet, ut creſcentem in dies cupiditatem extingueret, exin Imperatrix & Reginæ vulgari veſtis uſu tunc uſæ, unionum piſcationem interdicit, uſque adeò fidens & amans quatuor fratrum Regulorum, ut in eodem ſecum ſtrato dormiret, noctesque confabulando tranſigeret. Hinc lectus ille ſtratum quinque Regum dictus. Ægrotante fratre potionem medicam coquebat ipſe, & dum fortè ad foculum barba amburetur, adſtantibus, *ſinite*, inquit, *dummodo convaleſcat frater, jactura barbæ quid refert?* Regium Collegium *Han lin yuen* dictum eminentium Scholæ Doctorum 40. inſtituit, qui veluti Magiſtri Regii in aulâ reſideant, & è quibus ſeliguntur Hiſtoriographi Regii, Viſitatores provinciarum, Prætores & Proreges, &c. Libros veteres de militari ſcientia conquiri jubet, & novos edi. Viſit natalem domum *Confucii*, cui titulum *Ven ſiuen vam*, id eſt, *rei litterariæ illuſtris Regis*, impertitur. Diſcipulos ejuſdem Philoſophi nec non heroes inclytos variis honorum titulis ornat.

Colaus *Yuen chao* monita Regi offert, quæ inter erant, ut Eunuchos à publicis muneribus removeat, ut conſanguineos ad dignitates cum poteſtate conjunctos non evehat, ut duas ſectas *Fœ* & *Tao* idololatricas prorſus extinguat, &c. Imperator non audit.

Duces bello claros & optimè de Imperio meritos, etſi non eſſent è ſanguine regio, primus titulo Reguli donat. Luſtrat Imperium quod *Tai cum* in decem diviſerat, ipſe in 15. provincias vult diviſum. Præcipui Præfecti è toto numerati 17686. minoris verò notæ Præfecti 57416. *Van yu* Regulus auctor eſt fratri, ut pro veſtibus panniſque ſericis & maſſis argenti in exequiis idololatricis pro alterâ vitâ conſumi ſolitis, deinceps è papyro factæ crementur, qui uſus à Bonziis & ſectariis *Lao kiun* (cujus ſtatuam ſolenni pompâ in palatium introduxerat) hodieque obſervatur.

Sub finem omnia in pejus ruunt, fuerunt cum uno prælio 40. altero 70. item altero 200. (ſi fas eſt credere) Sinarum

Sinarum millia desiderata, nec erat qui tantæ cladis certiorem faceret Imperatorem, Eunuchis aditus omnes occupantibus. Præ aliis rebellat *Ngan lo xan* exterus Princeps, ab Imperatore ad summa quæque & armorum quoque præfecturam evectus. Hic victoriis insolens, partem magnam Septentrionis occupat, titulo Imperatoris per nefas usurpato.

Anno 33. magna latronum vis emergit, à quibus stragem accipit Imperator, desideratis suorum 40. millibus. Unde compulsus fugere in *Su chuen* provinciam.

Damnatur Imperator, quòd uxorem repudiaverit, & nurum nuptam suam fecerit, occisis etiam levi de causâ filiis tribus.

7. So çum regn. 6.

Anno 34. So çum decessoris filius, vivo etiamnum patre capessit Imperium: Princeps bellicosus & sæpius victor, delevit latronum exercitus duce *Co çuy* Colao. Patrem è *Su chuen* ad aulam magno cum honore reducit, qui anno Cycli 38. moritur æt. 78. *Ngan lo xan* diripit aulam *Cham ngan*, & regios thesauros in *Lo yam* deportari jubet: elephantes quoque & equos centum, ad numeros musicos saltare edoctos, & craterem, quem buccâ præferebant, Imperatori quondam offerre solitos inter convivia: quod cùm coram se ut faterent, adduci non possent, jussit omnes interfici: sed ipsemet non diu pòst à filio interfectus in lecto, perfidiæ suæ pœnas dedit. Parricida mox à belli Duce *Su mum* occisus, sed & hic, quòd minorem natu hæredem dynastiæ suæ nominare vellet, à primogenito obtruncatur.

Anno 39. So çum moritur æt. 52. Anno 40. succedit Tai çum filius, indolis liberalis. Initia sub hoc prospera, sed postmodum quinque Dynastæ contra jus suam sibi vindicant & tuentur ditionem. Fana mille Bonziorum & totidem Bonziarum visit Imperator.

8. Tai çum regn. 17.

Fu hu cien Præfectus morti proximus caput radi jubet, more Bonziorum & habitu sepeliri volens: quod exemplum alii dein sunt secuti sub familiâ *Sum* decimânonâ. Fuit qui offerret Imperatori glirem simul cùm felicula, ambo sugentes lac ex eadem fele. Gratulantur munus adulatores, ad quæ *Yen fu* Colaus: *quæ res*, inquit, *ô Rex, naturæ ordinem haud sequuntur, justum gratulandi argumentum non præbent. Hoc age ut cum barbaris & latronibus clàm non ineatur commercium; adulteria cæteraque flagitia non sint impunita, tollantur monstra, tunc gratulandi erit locus.*

Anno Imperii 8. supra 200. millia Tartarorum Borealem Chinam invadunt, ac tandem onusti spoliis domum redeunt. Imperator è fuga in aulam reducitur à *Co çuy*.

In monumento lapideo fit honorifica mentio *Co çuy* belli Ducis. Refertur ibidem Imperatorem pretiosa odoramenta in natali Salvatoris obtulisse, simul etiam

dapes ad templi miniſtros miſiſſe.

9. TE ÇUM regn. 25.

Anno 56. TAI ÇUM moritur æt. 53. Anno 57. ſuccedit TE ÇUM filius, minutiis intentus, naturâ timidus, ſuis diffidens, adulatione gaudens. Peregrina munera quibus felix omen captabatur, admitti vetat, dicens, *optima peti augurta ex viris ſapientibus.*

Anno Imperii ſecundo ſculptum erectumque monumentum lapideum, de quo ſuprà.

Anno 1. *Lun.* 12. *intercalari*, *anno* 6. *Lun.* 10. *anno* 9. *Lun.* 8. *anno* 15. *Lun.* 9. *anno* 19. *Lun.* 7. *anno* 23. *Lun.* 5. *anno* 33. *Lun.* 10. *totalis*, *anno* 36. *Lun. totalis*, *anno* 45. *Lun.* 3. *& anno* 52. *Lun.* 10. *Eclipſes Solis.*

CYCLUS LIX. Annus poſt Chr. 784.

Coçuy belli Dux natus annos 85. diem obit. Quatuor Imperatoribus ſervivit, adeo bene meritus de Imperio, ut ſcribant per annos 1300. paris fidei nullum extitiſſe. Evectus ad ſumma, nullius ſenſit invidiam, inter ſummas opes non fuit qui in eo crimen notaret. Has opes liberaliſſimè expendebat. Habebat tria millia famulorum. Octo filios reliquit geſto magiſtratu claros. Mortuum luxit China per triennium.

Ob nimiam tot Eunuchorum potentiam & inſolentiam rebelliones inſurgunt. *Li hoai quam* belli Dux ab Imperatore deficit, qui mox fugere compulſus eſt in *Han chum* urbem prov. *Xenſi*: ſed tandem domiti rebelles & barbari cis & ultra Croceum fluvium. Cùm Imperator tot bella & calamitates fatis attribueret, diceretque à judiciariis multa ſibi prænuntiata, Colaus *Limie*: *Alii*, inquit, *ô Rex, de fato diſſerant licet, at te certè noſque ipſos haud par eſt ſermones hujuſmodi uſurpare: etenim prout nos reipublicam vel juſtè rectèque vel perperam adminiſtramus, ita fabricamus ipſi nobis ac populo fatum vel fortunatum vel infortunatum.*

10. XUN ÇUM regn. 8.

Anno 21. TE ÇUM moritur æt. 64. Anno 22. ſuccedit XUN ÇUM filius, qui ſpecimen boni Principis dedit; ſed quòd morbo immedicabili & ſordido laboraret, filio committit Imperium.

11. HIEN ÇUM regn. 15.

Anno 23. XUN ÇUM moritur æt. 46. Eodem anno ſuccedit HIEN ÇUM filius, prudens, & prompti conſilii. Fame laboranti populo liberaliter opitulatur, in hunc finem varios per Imperium miniſtros legans. Conquiri jubet vitæ immortalis herbam per ſectatores *Laokiun*.

Anno 36. excipit regio apparatu os digitale idoli *Fœ* è *Xenſi* allatum, nequidquam adverſante Senatu Rituum ſupremo & ad flammas depoſcente; quod dum tuetur pervicaciùs, indignabundus Princeps aliquos ad inferiorem dignitatis gradum dejicit, pœnâ Sinas inter uſitatiſſimâ.

Anno 37. HIEN ÇUM repente moritur æt. 43. ab Eunuchis, ut creditur, veneno ſublatus.

12. MO ÇUM regn. 4.

Anno 38. ſuccedit Mo ÇUM filius. Amniſtiâ indictâ incautè militem dimittit, qui ad latrones tranſit.

Digitized by Google

Paulatim Imperium vergit in ruinam.

13. KIM ÇUM regn. 2.

Anno 41. MO ÇUM auream potans medicinam moritur æt. 30. Anno 42. succedit KIM ÇUM filius, ab Eunuchis electus, dissolutis moribus, & totus effusus in jocos: quare Reginæ matri ab Eunuchis commissa Imperii cura.

Anno 44. KIM ÇUM à venatione redux, dum mutandæ vestis causâ in conclave se recipit, extinctis repente luminibus occiditur ab Eunuchis æt. 18.

14. VEN ÇUM regn. 14.

Anno 45. succedit VEN ÇUM filius MO ÇUM, electus ab Eunuchis. Litterarum & sapientum amans. Eunuchi subodorati insidias contra se, ferociter invehuntur in ministros militesque Regios. Ex his ceciderunt amplius mille, & familiæ complures stirpitus extinctæ.

15. VU ÇUM regn. 6.

Anno 57. VEN ÇUM mœrore contabescens moritur æt. 33. Anno 58. succedit VU ÇUM filius MO ÇUM, natu quintus, ab Eunuchis electus, relicto decessoris filio. Bellicosissimus Princeps ac prudens. Latrones & Barbaros domat. In seligendis idoneis ministris perquam vigil & accuratus. Sub hoc instituta aut renovata videtur lex, quæ hodieque viget, ut singulis quinquenniis aut septenniis jussu Regio inquiratur in mores & vitia Mandarinorum qui in aulâ degunt: quin in more jam positum est, ut quotquot in aulâ munus aliquod gerunt, cum omni humilitate & veniæ deprecatione debeant scripto confiteri quæcumque toto illo officii sui tempore delicta commiserunt, & hac occasione contingit, ut vel quia quid celarunt, aut ob asperitatem aut rusticitatem, ab officio aut gradu, dejiciantur aliqui; dissimulatis interim quandoque peccatis aliorum gravissimis, dum vel aurum & gratia vincit jus & æquitatem, & indulgentiam regiam provocat.

Anno 4 *Lun.* 8. *die* 1. *anno* 9. *Lun.* 11. *anno* 13. *Lun.* 8. *anno* 18. *Lun.* 5. *anno* 24. *Lun.* 7. *anno* 32. *Lun.* 8. *anno* 39. *Lun.* 4. *anno* 53. *Lun.* 1. *& anno* 60. *Lun* 2. *Eclipses Solis.*

CYCLUS LX. Annus post Chr. 844.

16. SIUEN ÇUM regn. 13.

Anno 3. moritur VU ÇUM æt. 33. Anno 4. succedit SIUEN ÇUM undecimi Imperatoris HIEN ÇUM nepos, præterito decessoris filio electus ab Eunuchis, fortè quia à puero stupidus audiebat: at suscepto Imperio rara enituit in eo prudentia, consilium, moderatio, & quòd æmularetur virtutes secundi Imperatoris, dictus passim Parvus TAI ÇUM. Clam consulit de Eunuchis extinguendis. *Hu tao* Colaus oblato libello suadet primò ut noxios gravioris culpæ inexorabiliter plectat, deinde verò neminem in locum mortuorum substituat, sic paulatim extingui posse eunuchos: verùm non multò post res fit palam, inde dissensiones inter eos & Præfectos Regios.

Anno 16. SIUEN ÇUM haustâ ambrosiâ immortalitatis & vermibus scatens moritur æt. 50. Anno 17. suc-

17. Y çum regn. 14.

cedit Y çum deceſſoris filius, ab Eunuchis electus, ſuperbus, prodigus, veneri luxuique deditus.

Anno Imperii 14. Cycli autem 30. reliquias *Fœ* idoli in palatium deferri curat menſe quarto: mox ejuſdem anni menſe ſeptimo Y çum moritur æt. 31.

18. Hi çum regn. 15.

Anno 31. ſuccedit Hi çum filius deceſſoris duodennis; ab Eunuchis electus, penes quos ſumma rerum eſt. Crebræ defectiones Borealium, & latronum undique eruptiones, quæ omnia ſcriptores iſti accepta referunt reliquiis iſtis: offendit enim graviter litteratos, cùm intelligunt oſſa demortui vel membra inter ſe ſeparari aut diſſociari, & hinc inde per partes diſtrahi, quod idem eſt ac violari corpora mortuorum: quæ etiam ratio eſt, quod honoratiùs nobiliùſque reputent laqueo vitam finire, quàm capite minui.

Hoam ciao latronum dux aulam *Cham ngan* invadit, ferro & flammâ ubique ſæviens. Fugit Imperator.

Anno 45. *Like yum*, dictus *To yen lum*, id eſt, monoculus draco, 28. annorum juvenis & Dux copiarum Imperialium, cum latronum Duce confligit: primò victus, tandem eodem die tribus præliis victor evadit. Ad aulam reducit Imperatorem: idem poſtmodùm alios rebelles armis feliciter domat, unde dynaſtiâ donatus regni *Cin*. Hujus filius fundabit familiam decimam-quintam *Heu tam* dictam.

19. Chao çum regn. 16.

Eodem anno 45. tertio poſt reditum in aulam menſe Hi çum moritur æt. 27. Anno 46. ſuccedit Chao çum filius ſextus Hi çum, ab Eunuchis in ſolio poſitus, ingenio non mediocri & fortitudine. Conatur Imperii res reſtituere, ſed irrito conatu.

Cùm deliberat de tollendis è medio Eunuchis, ab his in conclavi includitur Imperator, ſcriptis humi ejuſdem peccatis: à Colao *çu yu* clam ſubmiſſis armatis cæduntur Eunuchi, qui *alio priùs* Imperatorem abduxerant. Reducitur hic in aulam: edicto Regio jubentur omnes interfici, triginta duntaxat pueris ad officia viliora reſervatis. *Chu uen* Dux perfidus fidiſſimum Colaum *çu yu* perimit. Cogit Imperatorem aulam mutare in *Ho nan*, & aulam *Xen ſi* æquari ſolo.

Anno 1. *lun.* 3. *anno* 5. *lun.* 5. *anno* 11. *lun.* 1. *anno* 20. *lun.* 7. *anno* 33. *lun.* 9. *anno* 36. *lun.* 4. *anno* 45. *lun.* 3. *Eclipſes Solis.*

Cyclus lxi. Annus poſt Chr. 904.

20. Chao siuen çum regn. 2.

Anno Cycli 1. Chao çum à perduelli *Chu uen* occiditur æt. 38. Anno 2. ſubſtituitur Chao siuen çum filius, qui ſe ultrò & Imperium uſurpatori defert, à quo dynaſtiâ donatur, & anno 3. occiditur æt. 17. & cum eo decimatertia *Tam* familiâ extinguitur.

Sequuntur poſteriores quinque familiæ Imperiales *Heu u tai* dictæ, bellis, rebellionibus, parricidiis non diſſimiles quinque familiis quæ *Tam* familiam anteceſſerant, diſſimiles verò annorum Principumque numero,

numero: priores namque annos 198. Principes verò 24. posteriores verò numerarunt sub 13. Principibus annos dumtaxat 53. quinque regna majora pro suo quæque arbitrio dominantur. Gens *Sie tan* dicta, coloniis Coreanorum quondam aucta, nunc *Leao tum* dicta, præ reliquis bello acris, sequentibus Principibus faceſſet negotium.

XIV. Familia.

1. TAI ÇU regn. 6.

Anno 4. TAI ÇU, aliàs *Chuuen*, fundat decimamquartam familiam *Heu leam*, quæ duos Imperatores & 16. annos tenet. Aula *Pien leam* metropolis prov. *Ho nan.*

Anno 9. TAI ÇU à filio primogenito occisus æt. 62. Anno 10. succedit MO TI filius, natu tertius, postquam patricidam fratrem in prælio vicit & interfecit.

2. MO TI, aliàs KIUN TI regn. 10.

Ab anno Cycli 13. ordiuntur annos dominationis Boreales barbari, mutato nomine *Leao* dicti. Novem Principes successivè numerarunt per annos 209.

Anno 19. MO TI (cæso exercitu ab sequenti Imperatore) rebus desperatis se sponte perimit æt. 36. & cum eo perit familia. Eodem anno succedit CHUAM ÇUM filius monoculi, de quo suprà. Fundat decimamquintam familiam *Heu tam*, quæ habuit 4. Imperatores per annos 13.

XV. Familia.

1. CHUAM ÇUM regn. 3.

Aulam transfert in *Lo yam* prov. *Ho nan.*

Princeps bellicosus, & qui ad ærumnas bellicas jam callum obduxerat, otii & somni adeò impatiens, ut humi cubans campanam excitatricem è collo suspensam gestaret; at deinde comœdiis ludisque se dedit, factus ipse quandoque comœdus, ut Reginas & neptes suas oblectaret, unde quod multa committeret indigna majestate Sinicâ, suis odio & contemptui fuit: tandem cùm orta esset inter milites seditio, anno Cycli 22. sagittâ ictus interiit æt. 35. casune, an industriâ, incertum.

2. MIM ÇUM regn. 8.

Anno 23. succedit MIM ÇUM, extra fines Imperii natus, & à patre decessoris adoptatus, & à Satrapis electus. Princeps admodum religiosus, amans pacis, & cùm litteras ignoraret, tamen fautor litteratorum. Sub hoc Typographia cœpit. Vespertinis horis quotidie cœli opem implorat his verbis: *Ego barbaros inter & ipse barbarus sum natus. Turbatis temporibus mihi collatum Imperium: unum desidero, ut cœlestis Majestas cor applicet huic administrationi, & submittat viros sapientes & sanctos, qui monitis suis atque consiliis mecum hoc moderentur Imperium.* Eunuchos vetat ad officia publica evehi. Pax sub hoc Principe, & magna agrorum ubertas.

3. MIN ÇUM regn. 1.

Anno 30. MIM ÇUM moritur æt. 67. Anno 31. succedit MIN ÇUM filius decessoris. *Xe kim tam* gener Imperatoris MIM ÇUM convocatis auxiliaribus copiis *Sie tan* barbarorum 50. millium, aulam occupat, è solio dejicit Imperatorem, ac deinde occidit anno æt. suæ 45.

4. FI TI, aliàs LO VAM, regn. 1.

Anno 32. ſuccedit FI TI deceſſoris filius adoptivus, qui rebus deſperatis mox fugiens in oppidum *Gueicheu*, inibi eodem incendio & gazas & ſeſe cum familiâ abſumpſit.

XVI. Familia.

1. CAO ÇU regn. 7.

Anno 33. CAO ÇU gener MIM ÇUM, uſurpato Imperio fundat familiam decimamſextam *Heu cin* dictam, quæ ſub duobus Principibus annis 11. ſtetit. *Sie tan* barbarorum ductor victori CAO ÇU Imperium non defert, ſed ſibi titulum aſſumit Imperatoris, quare CAO ÇU pacis amantior 16. civitates regionis Pekinenſis *Leao tum* finitimas barbaris cedit præter annuum munus 300. millium ſericorum voluminum. Ex hac barbarorum potentia conſecutâ 400. & amplius annorum bella & ſtrages in Imperio.

2. CI VAM regn. 4.

Anno 39. CAO ÇU moritur æt. 51. Anno 40. ſuccedit CI VAM è fratre nepos, electus à Satrapis. Anno 43. rupto fœdere barbari irrumpunt: mittitur belli Dux *Lieu chi yuen* cum exercitu, quo ſiſtat irrumpentes. Hic moras nectens capi finit Imperatorem, qui dynaſtiâ donatur, atque ita familia extinguitur.

XVII. Familia.

1. CAO ÇU regn. 2.

Anno 44. uſurpat ſolium CAO ÇU, aliàs *Lieu chi yuen*. Fundat familiam 17. *Heu han* dictam, quæ per quatuor annos duos principes numerat. Boreales barbari inſolentiores facti, vaſtato Septentrione Auſtrum invadunt, ſed cùm ubique occurrerent frequentes latronum cunei, *non putabam*, inquit Dux ipſorum, *tam difficile eſſe domare Sinas:* quare ſpoliis onuſti, in *Leao tum* redeunt.

2. YN TI regn. 2.

Anno 45. CAO ÇU obiit æt. 54. Anno 46. ſuccedit YN TI filius deceſſoris. Mittitur *Co guei* Dux belli cum exercitu contra barbaros, quos prælio non uno fundit.

Anno 47. YN TI in ſeditione à militibus occiſus anno æt. 20. familia perit. Regina fratrem interfecti nominat, ſed ductores exercitus victorem *Coguei* è Septentrione reducem, Imperatorem proclamant, & vexillis regiis flavi coloris, qui ſolius Imperatoris eſt proprius, Principem cooperiunt, & in aulam adducunt, ubi à Reginâ, abdicato eo quem nominaverat, mox agnoſcitur, cui deinceps veluti matri obedit & ſervit Imperator.

XVIII. Familia.

1. TAI ÇU regn. 3.

Anno 48. TAI ÇU, aliàs *Co guei*, belli Dux Imperator è familiâ tertiâ *Cheu* oriundus, fundat 18. familiam, quam *Heu cheu* dictam voluit. Tenuit hæc 9. annos ſub tribus Imperatoribus. Adit *Confucii* ſepulchrum, regios ei titulos delaturus, quibuſdam negantibus deberi hujuſmodi honores homini, qui etiam reguli fuiſſet ſubditus, *imò verò*, inquit, *non alio ritu celebrandus, qui & Regum & Imperatorum Magiſter eſt.* Sub hac, aut, ut alii multo ante, ſub familiâ *Tam* 13. ingreſſi ſcribuntur Sinam Mahometani.

Anno 50. TAI ÇU moritur æt. 53. abſque liberis.

Digitized by Google

2. XI ÇUM regn. 6.

Anno 51. ſuccedit XI ÇUM filius adoptitius, progenitus autem è fratre Imperatoris. Laudatur à virtute militari & ſtudiis litterarum. In palatio ſuo vult exponi aratrum & machinam textoriam, ne ſudoris ſuorum oblivio ſubeat. Cùm ingens eſſet ſterilitas & annonæ penuria, jubet vendi orizam regiam vili pretio, nec niſi poſtea perſolvendo: dicentibus præfectis numquam adeo pauperes fore ſolvendo: *at*, inquit Imperator, *neſcitis me patrem eſſe, ipſos verò mihi filios? quis autem vidit patrem, qui filio fame laboranti opitulari nolit, niſi cum onere pretii rependendi?* Dynaſtæ aliquot illi ſe ſubdunt; ſtatuas æneas idolorum comminui jubet, ut nummi, quorum penuria tunc erat, cudantur.

3. CUM TI regn. aliquot menſibus.

Anno 56. XI ÇUM moritur æt. 39. ſuccedit CUM TI filius ſeptennis, à patre commiſſus tutelæ *Chao quam yu* viri bello inclyti, optimeque de Imperio meriti. Proceres & belli Duces cùm duos ſoles in cœlo obſervaſſent, omen & anſam hinc petunt, jacentem in lecto tutorem, & nihil minus cogitantem ſalutant Imperatorem, veſtemque flavam corpori circumdant.

Anno 57. CUM TI è ſolio depoſitus, dynaſtiâ donatur. Familia Imperatoria *Heu chen* deſinit.

XIX. Familia.

1. TAI ÇU regn. 17.

Eodem anno TAI ÇU ſuſcepit Imperium eâ conditione, ut mater ſua primas ubique obtineat. Numeravit 18 Imperatores, ann. 319. primò in Septentrione per annos 167. ſub 9. Principibus, & ſub totidem in Auſtro per annos 152. Familia hæc tot præcedentibus familiis adeo infauſtis & turbulentis ſucceſſit multo felicior ac magis pacata, unde poſt tot turbines & viciſſitudines ſecuta ſerenitas diuturna, ac multò diutius quoque duratura, ſi æquè amaſſet armatam ac togatam palladem.

TAI ÇU ex *Lo yam* aulâ & urbe provinciæ *Honan* oriundus erat. Hoc naſcente ferunt reſulſiſſe cubiculum purpureo lumine, unde ex armorum præfecto factus Imperator, inſignia ſua voluit eſſe coloris purpurei. Regiam conſtituit in *Pien leam* Metropoli prov. *Honan*. Princeps prudentiâ, liberalitate, clementiâ erga victos & pietate erga ſubditos ſingulari.

Anno 1. Lun. 10. anno 9. Lun. 1. anno 20. Lun. 10. anno 24. Lun. 8. anno 27. Lun. 6. anno 34. Lun. 1. anno 40. Lun. 4. anno 43. Lun. 2. anno 47. Lun. 11. anno 57. Lun. 5. & anno 58. Lun. 4. Eclipſes Solis.

CYCLUS LXII. Annus poſt Chr. 964.

Decem regna inter ſe diſcordia cum Imperio conciliat. Quatuor valvas palatii quatuor mundi partibus obverſas patere jubet aſſiduè, dictitans *velle ſe ſuas ædes cordi ſuo eſſe conſimiles, quod pateret oculis omnium ſubditorum.* Faſtum veſtium ſuis vetat, uſu gemmarum filiabus etiam ſuis interdicto, exemplo præit ipſe habitu veſtium modeſto ac propè vulgari contentus.

Patrem, avum, atavum, tritavum titulis imperatoriis donat, uti & matrem prudentiâ & modeſtiâ celebrem. Huic cùm gratularentur omnes, & mirarentur quòd nullum lætitiæ ſenſum proderet: *audivi*, inquit ipſa, *quod regnare ſit perdifficile. Filius ſi rectè ſe ſuoſque regat, erit quòd gratulemini; ſi ſecus, non erit mihi tunc integrum, ne ad priorem quidem vulgaris fœminæ conditionem revertì. Hinc angor ac mœreo.* Uno poſt anno moriens filio præſcripſit, ut nullâ filiorum habitâ ratione hæredem Imperii nominaret fratrem natu proximum, & ab hoc tertium, & deinde quartum: *quod enim*, inquit, *Imperio potiaris ò fili, non tam tuis meritis debetur, quàm quòd familia ſuperior Principem infantem reliquerit.*

Cùm in hyeme ſubiret memoria ac miſeratio ſuorum, qui in Septentrione contra barbaros dimicabant, miſit Præfecto armorũ veſtem regiam ſuam pelliceam, optare ſe dictitans ad ſingulos mittere. Dici non poteſt quantum animorum caſtris attulerit hæc una veſtis. Viros militares litteris operam dare jubet, & antequam ad gradum evehat, examini ſiſti, ubi de arte militari ſcribant, ac deinde etiam curſu, equitatuque & jaculo ſeſe exerceant, qui mos hodieque viget. Obſidebat *Cao pin* belli Dux urbem *Nan kim*, videnſque non diu poſſe reſiſtere, morbum ſimulat. Anxii præfecti viſunt decumbentem. Ibi remedia, ut fit, alii alia coram ſuggerunt. *Non aliud*, inquit, *morbo meo remedium magis præſens, quàm ut juramento vos obſtringatis, à civium cæde prorſus abſtinere.* Juratum eſt. Convaleſcit, urbs capitur, nec ſine vi & cæde, tametſi modicâ; ſed hæc ipſa Imperatori quoque elicuit lachrymas & hanc ſimul vocem: *miſeranda conditio bellorum, quæ numquam vacant cædibus etiam innocentium!* Juſſit extemplò diſpertiri in cives, 100. mille modios orizæ. Ad litterarum acuendum ſtudium, *Confucii* natale ſolum adit Imperator, ejuſdem conſcribit panegyrim. Nepotem *Cum y* dictum ex ſtirpe jam quinta & 40. titulo dynaſtæ donat. Convivio ſæpe ſuos bene meritos excipit. Cùm die quadam *Lieu* Dynaſtæ jam ſupplici facto poculum vini offerret Imperator, adverteretque vultu prodi ſuſpicionem veneni, *quid trepidas*, inquit, *ego, ſi neſcis, cor meum intra viſcera meorum collocatum habeo, quo pacto igitur illud obruam veneno?* quæ dicens ipſemet prior exhauſit.

2. TAI ÇUM regn. 21.

Anno 13. TAI ÇU moritur æt. 50. Anno 14. ſuccedit TAI ÇUM frater à matre moriente commendatus. Princeps pius, moderatus, amans litterarum. Bibliothecam 80000. voluminum conſtituit. *Leao tum* barbaros armis aggreditur vario eventu. Obſidionem urbis præcipuæ ſtratagemate ſolvit *Cham ci chien* Colaus militaris. Noctu trecentos milites unâ ſingulos ~~cedâ inſtructos appropinquare juſſit caſtris hoſtium,~~ &

tædâ inſtructos appropinquare juſſit caſtris hoſtium, & repentino iſto lumine ſpeciem præbere magni exercitus eminùs adventantis, ingens pavor barbaros occupat, fit fuga, & cædes penè ad internecionem.

Anno Imperii 14. cùm pluviarum defectus eſſet, cœlum ſupplex deprecatur, ſeſeque reum calamitatis profitetur, jubet dimitti incarceratos, & ecce ipſo die pluit. Lun. 8. Cometes apparet. Jubet dapes imminui, publico abſtinet, amniſtiam indicit, & mox diſparet Cometes. *Ecquis hic dicat*, (inquit Ethnicus interpres) *cœli voluntatem & decretum eſſe irrevocabile?*

3. CHIN ÇUM regn. 25.

Anno 34. TAI ÇUM moritur æt. 59. Anno 35. ſuccedit CHIN ÇUM filius natu tertius. Boni Principis ſpecimen initio præbet; cùm Cometes appareret, vult de more moneri ſi quid peccet. Decem milliones aureorum remittit de vectigalibus, efflagitat identidem filium à *Xam ti* ſeu ſupremo cœli Imperatore, à quo tandem fuit exauditus.

Leao tum Barbari urbem obſident in prov. *Pe kim.* ſolvitur obſidio, ſuadetur proſequi victoriam, maluit populi pacem, & fœdus cum victis, haud ſecus ac ſi viciſſent, eâ ſcilicet conditione, ut quotannis 100. millia aureorum, & 200. millia ſericorum voluminum dono mitterentur.

Anno Imperii 11. nuntiatur librum è cœlo delapſum eſſe ad portam urbis regiæ; pedes Imperator illum excipit venerabundus: erat is ex ſectâ *Tao*, ſortilegiis plenus; credulus Imperator fanum ibidem exſtruxit, fruſtra obnitentibus Præfectis, qui cremandum ſuadebant. *Ab hoc tempore*, inquit interpres, *nihil fuit præter illudere ſupremo cœli Domino.*

Anno Imperii 16. recenſita ſunt virorum capita, ad quos agricultura ſpectat, unde vectigal petitur, 21. milliones 976. mill. & 965. in hoc numero non ſunt fœminæ, pueri uſque ad annum 20. Magiſtratus, Literati, Eunuchi, milites, Bonzii, nec qui in navigiis degunt, quorum numerus incredibilis.

Recudi jubet libros veterum, & per Imperium diſpergi.

4. GIN ÇUM regn. 41.

Anno 69. CHIN ÇUM moritur æt. 55. Anno 60. ſuccedit GIN ÇUM deceſſoris filius ſextus è ſecundâ Reginâ. Imperatrix pro tredecenni adminiſtrat regnum, nec illud ante mortem, quæ undecim poſt annos ſecuta eſt, dimittere voluit.

Anno 2. Lun. 5. prænuntiata Eclipſis Solis non apparuit: hinc adulatoria gratulatio principi: id quia aliàs factum notant, hinc meritò ſuſpectæ Eclipſes quædam. Anno 5. Lun. 12. anno 11. Lun. 2. anno 14. Lun. 11. totalis, anno 18. Lun. 9. anno 28. Lun. 2. intercal. anno 39. Lun. 6. anno 43. Lun. 5. anno 46. Lun. 3. anno 49. Lun. 8. anno 51. Lun. 12. anno 52. Lun. 6. anno 56. Lun. 3. Eclipſes Solis.

Digitized by Google

Cyclus LXIII. Annus post Chr. 1024.

Princeps pius & re & nomine, pacis & populi quàm belli amantior, unde animi additi Barbaris renovandi bella. Cum iis pacem indignam suâ majestate init. E palatio ejicit idola omnia. Vetat sibi offerri munera peregrina, & rari pretii, & bene ominata. Colao *Liu* ægrotanti, cui præscriptus erat pulvis è barbæ pilis, suam abradi jussam submittit.

Cùm inter dapes ferculum esset ex ostreolis 28. quarum singulæ constiterant mille nummis cupreis, re cognitâ, *absit*, inquit, *ut complexu duorum paxillorum in os gulosum ingeram* 8. *&* 20. *nummorum millia.*

Anno Imperii 26. cùm post magnam sterilitatem pluisset tandem, principique gratularentur proceres: *Omni*, inquit, *illo tempore quo aquarum penuriâ laboratum est, ego quotidie succensis ritè odoribus cœlum deprecabar: nocte cùm audirem tonitru, surrexi de strato, cingulumque sumens & pileum, sub dio constiti, & simul atque pluit, procidi in genua, & salutans reverenter cœlum, gratias eidem egi, ac sic demum ausus fui ad cubile meum reverti: nunc rem unam imprimis expeto, ut mihi fidenter significetis, quâ in re fortè peccem: etenim vereor ne inane geram nomen, & pluris quàm par est faciam apparatum exteriorem. O quam præclarum est, & quanti refert vespere & manè afferre animum usquequaque purum, quoties cœlum clam quoque & privatim deprecamur!*

Laudes suas commaculavit pius Princeps repudio uxoris; causa fuit desiderium prolis masculæ. Multi hoc damnant, alii probant, adductis exemplis: sed enim Colaus *Tao fu*, idemque è stirpe *Confucii*, petenda docet exempla à legitimis virtutum magistris *Yao* & *Xun*. Laudatur *Fu pie* Colaus, quòd operâ & consilio suo vitam servasset plusquam 500. hominum millibus fame contabescentibus.

Hien çum septimus Barbarorum *Leao tum* Rex per legatos repetit ditionis Pekinensis urbes decem, quas 18. familiæ conditor vi & armis recuperaverat: mittitur *Fu pie* legatus; tandem Imperator pacis studiosior, quotannis spondet 200. aureorum millia, & 300. mill. sericorum voluminum, loco urbium, idque, quod probrosissimum fuit, cum littera *na*, quod pensionem tributariam denotat.

5. Ym çum regn. 4.

Anno 40. moritur Gin çum æt. 54. Anno 41. succedit Ym çum è fratre decessoris decimotertio natus loco. Principem cum Imperatrice moderante Imperii habenas dissidentem prudenter reconciliat *Han ki* Colaus.

Floret Colaus *Su ma quam* inter Historiographos celeberrimus, qui ex bis mille voluminibus corpus confecit: orditur autem annales à Hoam ti Sinensis Monarchiæ conditore.

6. Xin çum regn. 18.

Anno 44. Ym çum moritur æt. 36. Anno 45. succedit Xin çum filius, Princeps majoris animi quàm

Digitized by Google

prudentiæ. Favet litteris impensè: *Memcium* ſecundum Sinarum Philoſophum poſthumo Ducis titulo condecorat.

Floruere ſub hoc & ſequenti auctores novæ Philoſophiæ, & veterum librorum interpretes *Cheu*, *Chim*, *Cham*, *Xao*, &c. variis honorum titulis tam in vita quàm à morte ornati. Cùm tempore ſterilitatis mœſtus Princeps ſe in conclave reciperet, jejunio & ſolitudini vacans, placando cœlo, *Vam ngan xe* Atheo-politicus, *quid*, inquit, *ô Rex affligeris? non eſt quod cœlum extimeſcas, calamitates caſu, non conſilio accidunt.* Cui *Fu pie* Colaus: *Si Princeps cœlum non extimeſcit & reveretur, ecquid tandem erit quod non perpetret?* Idem *Fu pie* auctor eſt principi, ut ne immodicâ ſeveritate & curâ exquirat quid ab ſuis peccetur. *Majora* inquiens *mala hinc nata exiſtere. Cœli potiùs ſit inſtar contemplantis omnia tam recta quàm prava; maximè cùm hæc ipſa ſerius ociùs prodant ſeſe, ſuumque referant vel præmium, vel pœnam.*

Anno 1. *Lun.* 5. *anno* 5. *Lun.* 3. *anno* 10. *Lun.* 6. *anno* 15. *Lun.* 1. *anno* 19. *Lun.* 6. *anno* 22. *Lun.* 4. *anno* 29. *Lun.* 11. *anno* 31. *Lun.* 4 *anno* 35. *Lun.* 8. *anno* 38. *Lun.* 6. *anno* 43. *Lun.* 9. *anno* 46. *Lun.* 7. *anno* 50. *Lun.* 4 *& anno* 59. *Lun.* 4. *Eclipſes Solis.*

Cyclus LXIV. Annus poſt Chr. 1084.

Vam ngan xe uti vir erat è ſupremâ litteratorum claſſe & verſipellis ingenii, auctor fuit decem vectigalium inſtituendorum, quæ res animos populi multùm exacerbavit. Succedit ſterilitas, revocantur edicta & onera, & ecce profuſis imbribus cœlum remunerat clementiam Principis.

7. Che çum regn. 15.

Anno Cycli 2. moritur Xin çum æt. 38. Anno 3. ſuccedit Che çum ſextus filius. Hujus tutrix avia Imperatrix. A Colao libellus offertur 10. puncta 20. litteris commendans. 1. Cœlum time. 2. Populum ama. 3. Teipſum perfice. 4. Litteris vaca. 5. Sapientes evehe. 6. Monentes audi. 7. Vectigalia contrahe. 8. Supplicia mitiga. 9. Prodigalitatem fuge. 10. Diſſolutionem cave.

Repudiat uxorem legitimam, exemplo ſe tuens anteceſſorum: ad hæc Colaus, *ſatius*, inquit, *foret ô Princeps, imitari virtutes majorum quàm peccata:* Excandeſcens Imperator monentem magiſtratu privat.

8. Hoei çum regn. 25.

Anno 17. moritur Che çum æt. 25. Anno 18. ſuccedit Hoei çum filius Xin çum natu undecimus. Artium liberalium diſciplinis probè inſtructus, at luxui jociſque intentus, aviæ committit regimen. Eunuchis impensè favet, quos regulorum ornat dignitate, ſolis è regio ſanguine principibus dari ſolitâ. Superſtitioni item & ſectæ *Tao* addictiſſimus.

Anno Imperii 16. quendam ejus ſectæ celebrem Cœnobitam *Chamy* nomine, qui floruerat ſub quintâ *Han* familiâ, titulo *Xam ti* ſeu ſupremi Numinis donat,

ſectæque illius ſe Pontificem ſupremum nominari vult. Tot conſecuta deinde mala, & Imperii ruinam attribuunt ſcriptores ſacrilegii hujus atrocitati, quo vera cœli Majeſtas uſque adeò contempta fuit & abjecta.

Societatem init cum *Niu che* ſive Tartaro Orientali contra Barbaros *Leao*, quos aliquot prœliis debellat, extincto regno *Leao*, quod per annos 209. ſub novem Principibus ſteterat. Ejus reliquiæ ad Occidentem profugæ regnum fundant, quod poſt annos 100. ab Occidentali Tartaro prorsùs delebitur. Tartarus Orientalis affectat Imperium. *Kin* nomen dominationi ſuæ tribuit: capit *Pe kim*, *Xen ſi*, &c. Imperator invitatus adit Tartarum, cum eo de limitibus tranſacturus. Imperator re infectâ redit. Pergit iterum infelix rogatu ſuorum; ſed à Tartaro perfidè detentus, cogitur, inſignibus regiis depoſitis, extra regnum & murum Sinenſem migrare.

Anno 42. HOEI ÇUM in Tartariæ deſerto *Xa mo* captivus moritur æt. 54. Anno 43. ſuccedit KIN ÇUM filius natu major, à moriente patre nominatus. Sex miniſtros proditionis reos juſſu patris è medio tollit. Tartarus *Ho nan* provinciæ aulam invadit, Imperatorem & Reginas in Tartariam abducit, relictâ Imperatrice *Mem*, quòd repudiatam ſe diceret. Multi è præcipuis proceribus voluntaria morte probrum barbaræ captivitatis antevertunt. Imperator autem captivus moritur 30. poſt annis, æt. 61.

9. KIN ÇUM regn. 1.

Anno 44. ſuccedit interim CAO ÇUM filius nonus HOEI ÇUM ex repudiata *Mem* uxore. Aulam transfert in Auſtrum in *Nan kim*, unde dein compulſus migrare in urbem *Ham cheu* prov. *Che kiam*. Hinc Auſtralis *Sum* familia deinceps dicta.

10. CAO ÇUM regn. 36.

Princeps fuit amans pacis & litterarum. Primis annis aliquot victorias retulit de Tartaris & latronibus, ſtrenuiſſimo ductore *Cum ye*, qui in Septentrione in 13. prœliis victor evaſerat. Sed idem neglectis ſapientibus, improbos & perverſos in conſilium admittit. Adeò deditus Bonziorum ſectæ, ut Imperii adminiſtrationem filio à ſe adoptato committat, quò vacaret impenſiùs commentationibus ſuperſtitioſis.

Hi çum Rex Tartarorum ut litteratos Imperii baſim & florem ſibi devinciat, *Confucii* Gymnaſium & ædes ipſemet adit, honores poſthumos ei perſoluturus: cùmque eſſent qui dicerent non eſſe cur hominem vulgarem regiis honoribus proſequeretur, reſpondit: *Tametſi Confucius non eâ conditione fuerit, ut hos honores mereatur, attamen ejus doctrina digna eſt, quam ritu Regio veneremur.*

Anno 4. *Lun.* 7. *anno* 8. *Lun.* 5. *anno* 11. *Lun.* 3. *anno* 14. *Lun.* 11. *Eclipſis & Cometes ab Occid. anno* 18. *Lun.* 4. *anno* 24. *Lun.* 11. *anno* 28. *Lun.* 9. *anno* 30. *Lun.* 3. *anno* 34. *Stella inſtar Lunæ in Auſtrum tendens. anno* 35. *Lun.* 5. *anno*

anno 40. *Lun.* 8. *anno* 46. *Lun.* 9. *anno* 52. *Lun.* 1. *anno* 54. *Lun.* 2. *& anno* 60. *Lun.* 12. *Eclipſes Solis.*

Cyclus LXV. Annus poſt Chr. 1144.

Pacem cum Tartaro init, non dubitans Majeſtas Sinica ei ſubſcribere cum nomine *Chin*, id eſt ſubditi, & *Cum*, ſeu tributarii, dummodò ſibi parentum 8. ante annis vitâ functorum corpora, Imperio ipſo chariora pignora, reſtituerentur; quo facto publica lætitia & amniſtia indicta. Mirè extollunt hanc filii erga parentes pietatem ſcriptores.

Anno Imperii 35. rupta pace Tartarorum Rex cum 600. millibus Meridiem petit. Capitur urbs *Yam cheu*. Stricto acinace mortem ſuis Rex minatur, ni victo metu fluvium *Kiam* trajiciant. Oritur in exercitu ſeditio, in quâ Rex ipſe occiditur. Re itaque infectâ reditur in Septentrionem.

Anno Cycli 19. Cao çum reſignat Imperium filio adoptitio: 25. poſt annis moritur abſque liberis, æt. 84.

11. Hiao çum regn. 27.

Anno 20. ſuccedit Hiao çum, qui erat fundatoris hujus familiæ poſt ſextam ſtirpem nepos. Princeps à pietate commendatus: pacificè utcumque regit, quia Rex Tartarus *Xi çum* item pius, ſapiens, & indolis erat pacificæ.

Floruit ſub hoc *Chu hi* veterum librorum interpres celeberrimus. Obiit autem ſeptuagenario major, anno 6. imperantis *Kiim çum*. Variis perfunctus muneribus ſub quatuor Imperatoribus, poſt mortem honoratus titulo *Ven cum*, id eſt, litterarum principis; & cum cæteris *Confucii* diſcipulis conſecutus titulos poſthumos; quorum nomina in tabellis in Gymnaſio *Confucii* exponuntur, qui mos hodieque viget: nam ubi conſtat de viri virtute, ſapientiâ & in geſto magiſtratu integritate, ſolent eos Imperatores in album & ordinem referre condiſcipulorum *Confucii*, ut in partem veniant honorum, qui ſtatis temporibus à Præfectis urbium exhibentur.

Anno 46. Hiao çum moritur æt. 68. Anno 47.

12. Quam çum regn. 5.

ſuccedit Quam çum deceſſoris filius natu tertius.

Anno 51. Quam çum coram procerum ſuorum cœtu correptus apoplexiâ in terram corruit; nec ſibi reſtitui potuit. Moritur poſtmodum æt. 54.

13. Nym çum regn. 30.

Anno 52. Nym çum natu tertius deceſſoris filius, tametſi multùm reluctans evehitur ad ſolium. Princeps re & nomine pacatæ indolis, pius, modeſtus: à ſuis ſe regi, ne dicam decipi, patitur. Edicto vetat, ne quis pro arbitrio ſuo annales edat.

Anno Imperii 8. incendium Palatii quatuor dies tenuit. Poſt 36. item annos in urbe regiâ *Ham cheu* incendium, quo 530. millia domorum abſumpta.

Anno 2. *Lun.* 6. *Cometes anno* 5. *Lun.* 4. *anno* 12. *Lun.* 5. *anno* 15. *Lun.* 3. *anno* 21. *Lun.* 6. *anno* 30. *Lun.* 5. *anno* 33. *Lun.* 3. *anno* 40. *Lun.* 11. *anno* 43. *Lun.* 5. *Planeta*

simul visæ sub unâ constellatione. anno 45. *Lun.* 8. *anno* 52. *Lun.* 3. *anno* 57. *Lun.* 6. *& anno* 60. *Lun.* 4. *Eclipses Solis.*

CYCLUS LXVI. Annus post Chr. 1204.

Tartari *Kin* seu Orientales rupto iterum fœdere invadunt Sinam.

Tartari Occidentales, qui sub quintæ *Han* familiæ sexto Imperatore *Vuti* multis cladibus ad internecionem deleti, per 1300. circiter annos nil dignum memoratu contra Sinam egerant, tandem anno *Nym çum* Imp. 12. cœperunt Imperii sui jacere fundamenta. Indunt nomen familiæ *Yuen*, quod principium sonat. Ab anno primo nascentis Imperii usque ad decimumquartum occisæ ferunt 1847. myriades ab hoc familiæ Tartaricæ conditore tyranno. Quintus ab hoc Princeps post annos 32. toti Chinæ dominabitur.

Tartarus Occidentalis à Sinis invitatus bellum auspicatur contra Orientales. Orientalis pacem petit cum Sinis, hi respuunt, quo cognito: *hodie*, inquit, *Occidentales mihi meum Imperium, cras tuum tibi auferent.*

Tartarus Occidentalis memoratur extinxisse regnum Mahometanorum *Metena* dictum, inde ab *Into*, (putà Indorum) & *Samaul han* (putà Samarcandiæ) regna processisse usque ad *Tie muen* (id est ferream portam) arcem sic dictam, inde occasione monstri cujusdam inusitati territus, monituque à tot cædibus quibus cœlum non gaudet, abstinere, ab occasu ad ortum tendens vim totam armorum ad Sinense convertit Imperium.

14. LI ÇUM regn. 40.

Anno 21. NYM ÇUM absque liberis moritur æt. 57. Anno 22. succedit LI ÇUM fundatoris post decimam stirpem nepos. Princeps addictus sectæ *Tao*, & litteris plusquàm ratio temporis & belli *postulabat*. Titulum Ducatus & dignitates confert familiæ *Confucii*, quæ & hodie perseverat ab onere tributi immunis.

Variis immissis exercitibus tam Sina, quàm Tartarus Occidentalis contra Orientales, tandem victor evadit. Aula *Ho nan* diripitur. Dein Metropolis prov. *Xan tum*, ubi tam pertinax fuit obsessorum constantia, ut carnibus jam humanis vescerentur. Postremus Orientalium Rex *Ngay ti* desperatis tandem rebus laqueo vitam finit: atque ita extinctum regnum *Kin* seu Orientalium Tartarorum, quod novem Principes habuerat per annos 117. verùm post annos 419. ex horum reliquiis seu posteris rursus emerget familia vigesima-secunda, totius Chinæ futura domina.

Quo tempore penes Imperatores Sinenses in Austro per 40. annos fuit Imperium, Boreale Imperium fuit penes Tartarorum Occidentalium Principes omninò quinque, quorum postremus *Ho pie lie* multis clarus victoriis imperare cœpit anno Cycli hujus 56. & post

Digitized by Google

annos novemdecim fundabit familiam proximam *Yuen* dictam.

Idem Princeps ut erat in rebus litterisque Sinicis versatissimus, ut Sinensium sibi animos magis conciliet, parentat & ipsi litterarum Principi *Confucio* ritu regio.

Anno 7. Lun. 6. anno 15. Lun. 7. anno 18. Lun. 5. anno 20. Lun. 9. anno 25. Lun. 6. anno 34. Lun. 12. anno 39. Lun. 9. anno 42. Lun. 7. anno 46. Lun. 4. anno 49. Lun. 2. & anno 57. Lun. 3. Eclipses Solis.

Cyclus LXVII. Annus post Chr. 1264.

15. Tu çum regn. 10.

Anno 1. Li çum absque liberis moritur ætat. 62. Anno 2. succedit Tu çum decessoris è fratre nepos. Veneri & Baccho immodicè deditus, regi se sinit à perfidissimo Colao *Hia su tao*. Oblati multi contra eum libelli supplices, sed incassum: quare multorum defectio ad victorem Tartarum consecuta.

Tartarus occupatis priùs provinciis Occidenti finitimis *Yun nan*, *Xen si*, *Su chuen*, (in cujus Metropoli *Chim tu* occisa feruntur quater decies centena civium millia,) tandem in *Hu quam* Australem provinciam tendit. Imperator omnium ignarus, è tribus Imperii partibus vix unam obtinet.

Nobilis viri Marci Pauli, Sereniss. Venetorum Reipublicæ civis inclyti, in Chinam circa hæc tempora introïtus.

16. Cum çum regn. 2.

Anno 11. Tu çum moritur æt. 25. tribus filiolis relictis ad fortunæ ludibrium. Anno 12. succedit Cum çum secundus filius. Pro puero prudens Imperatrix gubernat: pacem petit duris conditionibus, at verò *Pe yen* Ductor supremus Tartarici exercitûs, nullas admittit: *Vestra*, inquit, *familia ob infantiam Principis prioris familiæ, potita fuit Imperio; nunc æquum videtur, ut ob infantiam Principum eodem privetur.*

Tartarus cum 700. armatorum millibus petit Meridiem, & pleraque facit suæ potestatis.

Celebratur Ducis *Pe yen* prudentia, quâ regebat ducenta armatorum millia non aliter quàm si unum regeret militem: alterum, quòd tot victoriis inclytus numquam auditus sit commemorare res suas ac merita.

17. Tuon çum regn. 2.

Anno 13. à *Pe yen* captus Imperator obiit in deserto *Xamo*, æt. 10. Anno 14. succedit Tuon çum frater major natu. Hic mari cum classe 130. millium hostem fugiens primùm ad *Fo kien*, & inde ad prov. *Quam tum* oram maritimam dilabitur.

18. Ti pim regn. 2.

Anno 15. Tuon çum ex morbo moritur æt. 11. Anno 16. succedit Ti pim frater natu minimus, & ultima familiæ scintillula. A Tartarorum classe ingenti clade classis Sinica profligatur. Colaus *Lo sieu su* re desperatâ complexus octennem Principem, se pariter cum illo in mare præcipitat: re cognitâ Imperatrix

cum turbâ plurimâ ruit in præceps. Peracta fuit hæc cataſtrophe Lunâ 2. hujus anni prope inſulam *Tai xan*, quæ paret oppido *Sin hoei* prov. *Quam tum*, *Quam chen* dictæ. Dux alter Sinarum *Xi kie* evaſerat medios per hoſtes cum parte claſſis ad inſulam *Pim cham xan* dictam. Hîc vi ventorum à littore ſpirantium in altum mare provectus, vi turbinum & procellarum obrutus eſt. Periiſſe dicuntur hac die ſupra centum millia mortalium partim ferro, partim fluctibus: & hîc finem habuit funeſtiſſimum familia *Sum*.

Steterat Monarchia Sinica ſub 19. familiis Imperatoriis per annos 4222. quando primâ vice tota parere cœpit exteris, jugumque ſubiit Tartari Occidentalis, ſi jugum dici poteſt, quando Sinas & ſinceritate & fide & amore beneficentiaque ita ſibi conciliavit, ut hodie etiam *Xim chao*, id eſt, dominatio ſancta, vulgò nuncupetur.

XX. Familia.
1. XI ÇU regn. 15.

Anno Cycli 17. init Imperium XI ÇU Tartarus occiduus, filius *Tai çu* natu quartus, fundator familiæ 20. *Yuen* dictæ, quæ ſub novem Imperatoribus annos 89. numeravit.

Aula primùm *Tai yuen fu* Metropolis prov. *Xan ſi*, ac deinde *Pe kim*. Hic poſtquam bellum geſſerat 20. annis, tandem Sinæ toti imperat. Princeps pius, prudens, magnanimus, perſpicax, Mecænas litterarum. Expeditio ſuſcipitur in Japoniam nullo ſucceſſu; nam ex 100. millibus qui partim mari, partim in inſulis perierunt, vix tres quatuorve redierunt. Aquæductum aperit per ſtadia Sinica 3050. ſeu leucas Belgicas 245. circiter: per hunc ſupra novem mille navigia, ſingula 500. oryzæ modiis onuſta, pro ſola aula quotannis ex Auſtro viâ mediterraneâ devehuntur, quæ priùs maritimâ devehèbantur.

2. CHIM ÇUM regn. 13.

Anno 31. moritur XI ÇU æt. 80. Anno 32. ſuccedit CHIM ÇUM nepos, clemens & amans populi: vectigalia & ſupplicia moderatur: fraudi fuit invaletudo propè aſſidua, quo factum, ut nequiverit pro voto res Imperii adminiſtrare.

3. VU ÇUM regn. 4.

Anno 44. CHIM ÇUM moritur æt. 42. Anno 45. ſuccedit VU ÇUM ex fratre nepos, pius & munificus, bene meritos variis dynaſtiis donat. *Confucium* regiis titulis donat. Vetat aurum, argentum, oryzam & ſericum extra Imperium deportari.

4. GIN ÇUM regn. 9.

Anno 48. VU ÇUM moritur æt. 31. Anno 49. ſuccedit GIN ÇUM frater uterinus: pius & re & nomine, moderatus, & cæleſtis, ut aiunt, indolis, gravis, acuti ingenii, moneri gaudens, litterarum ſtudioſus. Regulis interdicit venationes à quinta Luna ad decimam, ne colonis damno ſint. Magna hoc imperante pax. Identidem pluviam à cœlo efflagitat. Fuit cùm diu ceſſante pluviâ cœlum ſuſpiciens: *Ah! ego*, inquit, *ego reus ſum tantæ calamitatis*, & ſequenti

mox

mox die effusi imbres secuti.

Cognito quinque fratres reos mortis, ingemiscens: *Vni saltem*, inquit, *detur vita, ut sit qui parentes alat & soletur.*

5. YM ÇUM regn. 3.

Anno 57. GIN ÇUM moritur æt. 36. Anno 58. succedit YM ÇUM decessoris filius natu major, patri per omnia similis, pro cujus vitâ sæpe cum lachrymis suam cœlo devoverat pius Princeps.

Anno 60. YM ÇUM in ingressu tentorii, cum fido Colao suo occisus æt. 30 à gravium scelerum sibi consciis perfidis. Hos sequens Imperator uno post mense meritis suppliciis plectit, stirpe etiam funditus deletâ.

Hæc una familia præ reliquis prodigiosa dici potest, quod hac imperante, tot terræmotus, ruinæ montium, inundationes, siccitates, incendia, &c. extiterint, quorum pleraque hîc præterimus.

Anno 2. lun. 1. anno 7. lun. 3. anno 12. lun. 7. totalis, anno 13. macula magna instar observatur in Sole, lun. 6. stella visa in mare delabi, quam millenæ consecutæ cum fragore. anno 19. lun. 7. anno 24. lun. 10. anno 27 lun. 8. anno 30. Cometa anno 31. lun. 6. anno 35. lun. 12. Comet. per 76. dies. anno 37. lun. 2. anno 40. lun. 5. intercalari. anno 55. lun. 2. & anno 58. Eclipses Solis.

CYCLUS LXVIII. Annus post Chr. 1324.

6. TAI TIM regn. 5.

Anno 1. succedit TAI TIM filius Reguli *Hien çum*, liberalis, pacis amans. Admitti vetat Bonzios è regno *Tibet* (*Lama* dictos) ne populo oneri sint

Anno 5. TAI TIM moritur æt. 36. Comitia celebrantur, eligitur filius natu minor, hic verò recusat, eò quod fratri natu majori deberetur; evocatur hic itaque è Tartaria, & salutatur Imperator.

7. MIM ÇUM regn. 1.

Anno 6. succedit MIM ÇUM decessoris filius natu major, qui in convivio, sexto post mense repentè moritur; non defuit veneni suspicio.

8. VEN ÇUM regn. 3.

Anno 7. succedit VEN ÇUM frater minor. Peccat unâ re, quòd Antistitem Bonziorum *Lama* regiè excipiat, & in aulam introducat, qui adeò cùm immotus, nullâque vicissim honoris significatione, procerum salutationes curvatis poplitibus exhibitos vino ritè ministrato acceptaret, fuit qui hominis fastum non ferens, *Tu*, inquit, *bone vir, discipulus ei* Fœ, *& Magister Bonziorum: ego verò, si nescis, discipulus sum* Confucii, *idemque magister litterarum Imperii: quo circa supersedeamus obsecro, mutuo venerationis ritu.* Hæc fatus, vinum illi stans obtulit: subrisit Antistes, cyathumque surgens exhausit.

Anno 9. VEN ÇUM moritur æt 29. succedit *Nym çum*, sed quia post bimestre moritur, in serie Regum non ponitur.

9. XUN TI regn. 35.

Anno 10. succedit XUN TI septimi Imperatoris filius natu major, & frater *Nym çum* item natu major, tredecennis evocatus ex Australi prov. *Quam si* ad aulam.

Princeps indolis bonæ, ſed inertis, dein ludis, jocis & veneri deditus, res Imperii negligit, Colao *Pe yeu hama* pro lubitu adminiſtrante omnia. Invitat è Tartaria *Lamas* ſuos & magos; hi chorum inſtituunt 16. puellarum ſaltatricium, dictum tripudium dæmonum cœleſtium.

Anno hujus 23. homo Sina, cui *Chu* nomen, è ſervo Bonziorum, Dux latronum, occupat varia loca, dein & provincias Auſtrales; tandem cædit exercitum Imperatoris, brevì ipſe futurus Imperator.

Anno XUNTI 36. qui fuit primus ſequentis fundatoris, Dux belli *Chu* trajecto croceo fluvio, urbes & loca nullo ferè negotio occupat, cædit exercitum Imperatoris, qui clàm fugâ ſibi conſulit.

Anno 45. XUNTI fugiens in Septentrionem, ibi biennio pòſt moritur. Perit familia *Yuen* Tartari Occidentalis. Anno 46. ſuccedit TAIÇU, aliàs *Chu*. Fundat 21. familiam *Tai mim*, quæ per annos 276. numeravit 16. Imperatores. Aulam in *Nan kim* Metropoli conſtituit.

XXI. Familia.

1. TAIÇU, aliàs ex regnatûs ſui cognomento dictus *Hum vu*, id eſt magnus belliger.

regn. 31.

Anno 47. die uno aula capitur *Pe kim*. Hujus ditionis Regulum creat filium natu quartum.

Patrem, avum, atavum, tritavum titulis poſthumis honorat.

Regulos terris & reditibus contentos, rei publicæ negotiis occupari vetat, Eunuchis item dignitatem civilem aut bellicam conferri. Vetat mulieres Bonzaicam vitam amplecti, quin & viros ante 40. ætatis annum. Leges priſcas & modernas in unum corpus 300. voluminum redigi jubet, quod opus centum viginti poſt annis tandem perficietur & lucem videbit. Menſes 27. in luctu parentum uſitatos, in totidem dies commutari permittit. Quadraginta regnorum legationibus honoratur, inter munera fuit leo in China primùm viſus. Venerunt item legati ex Corea, Japonia, Inſulâ formosâ, & Auſtralibus inſulis, item è regno *Sien lo* ſeu *Siam* cum litteris inſcriptis auro in folium extenuato.

Uxoris ſuæ *Ma xi* etſi deformis, prudentiæ ac pietati debere ſe Imperium fatebatur. Nam cùm naturâ præceps ac ferocior eſſet, illa ut mariti vitio blandè mederetur, affirmabat iis Imperia à cœlo deferri, qui voluntati votoque cœleſti (quod eſt amoris & clementiæ) obtemperarent. Ad Imperatricis dignitatem evecta, numquam gemmas adhibuit, veſte etiam ſæpius lotâ utens. Morti proxima, cùm ei pharmacum offerret Imperator, ſumere recuſavit, ne ſi nihil proficeret, ut erat probabile, medici vitam fortè in diſcrimen vocaret. Obiit anno novæ dominationis decimo quinto. Quantus fuerit mariti luctus, hinc patet, quòd aliam deinceps creare Imperatricem recuſarit.

Anno 4. lun. 9. anno 8. lun. 8. anno 11. lun. 4. anno

Digitized by Google

15. *lun.* 8. *anno* 19. *lun.* 8. *anno* 22. *lun.* 9. *anno* 27. *lun.* 11. *anno* 29. *lun.* 4. *anno* 33. *lun.* 3. *duo item Soles visi. anno* 35. *lun.* 6. *anno* 38. *lun.* 4. *anno* 41. *lun.* 8. *Eclipses Solis. & anno* 45. *Cometes per trimestre.*

CYCLUS LXIX. ANNUS post Chr. 1384.

Gymnasium Regium amplis auget privilegiis; examini, quo Doctorum laurea in aulâ confertur, ipse assistit.

Confucio gentis magistro honores jubet deferri non regios, quos quidam Imperatores soliti erant deferre, sed eos dumtaxat, qui *Sien su*, hoc est magistris vitâ functis conferri soliti, uti viventibus conferebantur. Vetat etiam eo ritu honorare *Confucium* quo reliqui spiritus aut idola coluntur, *cùm enim*, inquit, *litterati, qui diem obierunt, à reliquis spiritibus diversi sint, par est quotannis eorum memoriam diversâ quoque honoris significatione rituque renovare, eoque dumtaxat, qui pristinæ cujusque conditioni, & quam gessit olim, dignitati competat.* Vetat insuper statuas *Confucii*, aut ejusdem discipulorum conflari & erigi. Inter egregia principis documenta, celebriora sunt ista: *In regendo populo turbulento cave sis præceps; in eo, qui jam pacatus sit, regendo, cave sis tetricus, minutus, molestus.* Item, *uti cœlum & terra procreant res omnes ad communem usum victumque hominis, ita sapiens Rex curas suas & contentiones eò dirigit potissimùm, ut diligat suos, foveat ac sustentet; & quamvis ipse contrahat vectigalia, sumptusque publicos ac privatos moderetur, semper tamen angitur ac timet, ut subditis necessaria suppetant; quâ quidem curâ & metu multò magis tunc cruciatur, quando graviora subinde vectigalia imperari necesse est.*

Cùm fortè dies plurimos cessassent pluviæ, Imperator stramineos indutus calceos, ac vestem lugubrem, ad montem contendit, ibidem triduum totum perseverans, opem cœli clementiamque implorat: exacto triduo largi imbres deciderunt.

Lustrans ipse ditiones Imperii comite filio natu maximo, mediis in agris currum jubet consistere, & conversus ad filium: *ideo*, inquit, *te mecum adduxi, ut tuis ipse usurpes oculis pauperum colonorum labores ac sudores, ut discas misereri illos, ac moderari vectigalia.*

Cursum felicitatis interrupit mors insperata filii hæredis, quem contra morem per triennium luxit, & in ejus locum nepotulum hæredem declarat.

Inciderat in latrones cum uxore & patre quidam *Sui* dictus: parantibus senem interficere, filius vitam pro paternâ obtulit; eisdem verò vim nuptæ parantibus inferre, *at*, inquit illa, *nefas hoc marito superstite.* In ignem igitur paratum præcipitant juvenem, quod conspicata mulier, in eundem se præcipitat, ibique maritum complexa abit in cineres. Huic fidei & pietati illustre monumentum erigi curat Imperator,

qui & caſtigat inſanam alterius pietatem, qui ut ægrotanti matri valetudinem ab idolo exoraret, proprium ei filiolum ſacrificaverat.

Anno Cycli 15. *Hum vu* moritur æt. 71. Anno 16. ſuccedit KIEN VEN TI conditoris nepos tredecennis, piæ indolis Princeps, populique amans, cui remittit tertiam partem vectigalium.

2. KIEN VEN TI ſeu *Kien ven*, id eſt, ſtabiliens rem litterariam. regn. 4.

Hujus patrui Reguli ægrè ferunt antepoſitum tot ſanguinis Regii ad Imperium maturis principibus adoleſcentulum. Auxerunt invidiam Colaorum patefacta contra ſe conſilia. His aliiſque rebus cæteros inter exacerbatus Regulus *Pe kim* natu quartus Conditoris filius, arma parat, & periniquæ (ut aiebat) gubernationis hoſtem ſe declarat. Magni contra ipſum exercitus mittuntur, uno 8. horarum conflictu trecenta bellatorum millia feruntur cecidiſſe. Offertur pacis conditio, reſpuit ille, niſi priùs tradantur miniſtri Regii. Tandem Regiam petit Nankinenſem. Proditor *Li kim lum* portas aperit: ingens ſtrages mortalium. Succenditur domus regia. Ambuſtum cadaver adoleſcentis Imperatoris, uti creditum, in conſpectum victoris producitur, illachrymatur ipſe, & Imperatorio ritu humari jubet: ſævitum crudeliter in miniſtros Regios, è quibus uno die variis affecti ſuppliciis ſuprà octingenti, aliis interim fatum ſponte præoccupantibus, aliis raſo capite mentitis Bonziis fugâque elapſis.

Hoc peractum anno Cycli 20. Imperii quarto quo KIEN VEN extinctus æt. 17. Anno Cycli 21. ſuccedit CHIM ÇU ſeu *Yum lo*, filius Conditoris natu quartus, Princeps initio crudelis, & magnanimus & prudens: fratribus ſuis, aliiſque bene meritis reſtituit honores priſtinos ac cenſus.

3. CHIM ÇU, aliàs *Yum lo*, id eſt, æterna lætitia. regn. 23.

Cùm certum ob crimen interfici juberet *Li kim lum*, hic autem diceret haud imperaturum fuiſſe ipſum ſi venienti portas urbis regiæ non aperuiſſet, *imò verò*, inquit alter, *fortunæ meæ fuit veniſſe me: nam ſi veniſſet alius quicumque pari inſtructus robore armorum, non ſecus illi, ac mihi, portas aperuiſſes, proditor.*

Anno Imperii 5. adoleſcentes 1800. quòd ante annum æt. 40. contra legem à patre latam ſectæ Bonziorum nomen dediſſent, excedere cœnobio jubet.

Anno Imperii 7. transfert aulam *Nan kim* Auſtralem in Borealem *Pe kim*, relicto hærede filio in aula *Nan kim* cum ſimillimis magiſtratibus qui in *Pe kim*. Multis legationibus honoratus, quas inter erant ex utraque Tartaria, ex Malacâ, è mari Auſtrali & occiduo, item Mahometanorum cum Rhynocerote. Libros Alchimicos de uſu Ambroſiæ immortalis cremari jubet. Cùm offerrentur lapides pretioſi effoſſi in prov. *Xan ſi*, occludi juſſit fodinas, dicens non fatigandum populum vano labore, cùm lapides iſti

nec

Digitized by Google

nec ſterili tempore comedi, nec brumali fovere corpus queant. Quinque æra campana 120. mille librarum ſingula fundi jubet.

Anno Imperii 13. Cycli 32. Aulæ Doctoribus 42. *Han lin* dictis, committit veterum librorum claſſicorum ampliorem explanationem, monens, ut duorum præcipuè interpretum *Chim çu*, & *Chu çu* (qui ſub exitum familiæ *Sum* floruerant) commentis inſiſterent. Ab iiſdem quoque nova quædam fabricata Philoſophia, de quâ conſule procemialem declarationem ad Scientiam Sinicam.

Anno Cycli 41. YUMLO moritur æt. 63. Anno 42. ſuccedit GIN ÇUM deceſſoris filius; clemens & benignus. Audiens in prov. *Xantum* laborari fame, protinus eò deſtinat Colaum *Yam ſu kie*. Dicente autem Colao, quòd concilia duo Regia conſultanda de hoc eſſent, & quid facto opus cenſerent, renuntiandum: *Faceſſant*, inquit, *moræ iſtæ ac deliberationes: populo namque laboranti fame, tanta cum celeritate opitulandum eſt, quantâ concurritur ad commune extinguendum incendium, vel repentinam aquarum illuvionem reprimendam.* Aliis dicentibus rationem habendam eſſe diverſitatis locorum, & hominum magis minuſve egentium: *Habeatur*, inquit, *verumtamen ſic, ut à minutis abſtineamus, & dum opitulandum eſt tantæ calamitati, non vereamur peccare quodammodo largitate.*

4. GIN ÇUM aliàs *Hum hi*, id eſt dilatata concordia. Regn. aliquot menſ.

Admodum ſtudioſus cùm eſſet rei Aſtrologicæ, & nocte quapiam obſervaſſet mutationem neſcio quam in ſtellis, accitis ad ſe Colais, *Actum eſt*, inquit, *de meâ vitâ: meminiſtis autem me paſſum fuiſſe multa ab invidis per annos 20. quando degebam in Palatio Orientali, ſed fides veſtra concordiaque me contutata eſt, &c.* Hæc fatus, duobus ſpectatiſſimæ fidei viris ſigillum donat. Inſculptæ ſigillo litteræ *Chum chin*, id eſt, *miniſter fidelis & integer*: ii cum lachrymis excipiunt pignus honoris extremum, quo deinceps ſigillo epiſtolas ſuas obſignant.

Languere incipit Imperator, accerſunt hæredem filium ex aulâ meridionali, mœſtus advolat, ſerò tamen, jam extincto patre æt. 48. anno, & Cycli 42. qui annus præter morem ſucceſſori tribuitur.

5. SIUEN ÇUM aliàs *Siuen te*, id eſt, manifeſta virtus. Regn. 10.

Anno 42. (*poſt Chriſtum* 1426.) ſuccedit SIUEN ÇUM filius GIN ÇUM, Princeps clemens. Gaudet clàm & incognitus prodire. Edicto vetat promoveri litteratos ad gradum Licentiati ante annum æt. 25.

Patruum rebellem & in prælio captum perpetuo carceri in aulâ mancipat. Tartarorum irruentes copias ipſe ductor exercitus feliciter delet. Cochinchinæ Prætori Regis titulum impertit, ſed tertio poſt anno Rex à rebellibus è familiâ *Li* occiditur. Mittunt hi legatos, qui veniam deprecentur. Imperator audito Senatu, ne gravis populo eſſet, & quòd nullius propè

emolumenti res videretur, à mittendis longè adeo copiis abstinuit, legatos etiam cum titulo dignitatis remittens. Sub hoc arsit Palatium per dies aliquot. Ex incendio tanta vis æris, auri & argenti flammis liquata, ut ex hac massa innumera vasa confecta sint, quæ magno hodie in pretio habentur, qualia olim ex ære Corinthiaco.

6. YM ÇUM, aliàs *Chim tum*, id est, recta administratio. Regnat primò annis 14.

Anno Cycli 52. SIUEN ÇUM moritur æt. 38. Anno 53. (1436.) succedit YM ÇUM filius natu major & novennis, sub tutelâ Imperatricis & Eunuchi præcipui. Novem portas urbis Regiæ restaurat.

Anno Imperii 3. edicto prohibet in fanis idolorum exhiberi honores *Confucio*. Tartari continuis excursionibus latrocinia exercent.

Anno 5. Planetæ simul visi sub unâ constellatione, anno 15. Luna 9. Stella versus ortum cum sonitu desiit.

CYCLUS LXX. Annus post Chr. 1444.

Anno Cycli 6. Imperii 14. ipse Imperator in Tartaros ultra murum ducit exercitum quingentorum millium. Annonæ defectu multi pereunt: dilabuntur plurimi, tandem mense 8. utrimque pugnatur, cæditur Sinensis exercitus, victor Tartarus victum Imperatorem captivumque in interiorem Tartariam abducit. Hinc maxima in aulâ consternatio. Substituitur in solio filiolus biennis, cui tutor assignatus natu minor frater captivi: qui tamen Imperatoris non vices, sed titulum suscipit & auctoritatem: mittitur interim ab Imperatrice ingens vis auri, argenti, serici ad redimendum Imperatorem; acceptat Tartarus, at plura reposcens, quin specie reducendi Imperatoris eum ad confinia Sinarum adducit, iterumque contemptis muneribus tamquam tanto principe indignis, intra fines reducit.

7. KIM TI, aliàs *Kim tai*, id est gloriæ magnitudo. Regn. ann. 7.

Anno Cycli 7. succedit KIM TI frater captivi. Mittuntur, qui reducem excipiunt Imperatorem, sed Tartarus altioris ordinis & dignitatis primates postulat ad tanti principis comitatum. Tandem reducitur multò stipatus milite usque ad Imperii limites prope montem *Tamkia lin*. Unde Imperator in aulam scribit se renunciare Imperio, & quietem meditari, adeoque ne se venientem cum pompâ excipiant: tandem ut eluderet, fugeretque adventantium apparatum, per aliam urbis Regiæ portam ingressus est, ubi sibi mutuò occurrunt fratres, & post fraternos amplexus & lachrymas deductus tandem à fratre & aulâ totâ ad Palatium Australe, uti expetiverat.

Prosequitur interim frater Imperii regimen, imò jam meditabatur filiolum suum Imperii hæredem declarare, quod cùm in diem filii natalem reservaret, ad Colaum die quodam, *Natalis*, inquit, *filii mei hæredis incidit in diem secundam lunæ septimæ*. Colaus post reverentiam de more exhibitam, *Imò verò pace tua*,

Digitized by Google

ô *Rex*, inquit, *natalis hæredis* (denotabat filium fratris natu majoris) *incidit in primam diem lunæ undecimæ.* Conticuit ad hoc Imperator, & de filiolo hærede mentem depoſuit, & verò altero poſt anno vivere deſiit puerulus.

Anno Cycli 13. Imperii 7. in morbum lethalem incidit Imperator. Eo nondum mortuo reducitur ex palatio Auſtrali ad avitum ſolium frater natu major, qui mox anno Imperii 1. qui fuit Cycli 14. (1457.) lunâ 1. amniſtiam publicam per Imperium incidit. Moritur 2. lunâ KIM TI, regnante jam YM ÇUM. Per libellum ſupplicem poſtulatur, ut nomen fratris & memoria, quaſi ambitûs rei, aboleatur: renuit Imperator, qui tamen fratrem ſepeliri noluit ritu Imperatorio, ſed eo dumtaxat, qui eſt fratris natu minoris & ſanguinis regii.

8. YM ÇUM novo cognomento dictus *Tien xun*, id eſt, cœlum proſperum & propitium. denuo reg. an. 8.

Anno Cycli 21. YM ÇUM moritur æt. 31. Anno Cycli 22. (1465.) ſuccedit HIEN ÇUM deceſſoris filius primogenitus, è reginarum ſecundâ, quia ſterilis erat Imperatrix.

9. HIEN ÇUM, aliàs *Chim hoa*, id eſt, perfecta converſio. Reg. an. 23.

Princeps Bonziis impenſè addictus, rerum cupidus peregrinarum.

Anno Cycli 23. cædit exercitum prædonum in prov. *Hu quam.*

Anno Cycli 24. obiit Regina mater.

Anno 28. occaſione Cometes lunâ 11. conſpicui. Monita excipit Imperator.

Anno 29. Tartarorum Cunei in Sinam excurrunt, & prædis onuſti remeant.

Anno 36. Tartarorum exercitus ad internecionem cæſus à Sinenſi exercitu.

Anno 37. Coreæ Rex commodiorem, ſublatis ambagibus, & compendioſiorem viam proponit pro legationibus in aulam clientelæ causâ mittendis, non annuit Imperator. Tartari rurſus erumpunt, & vaſtant ditiones *Leao tum.*

Anno 38. ex regno *Samaul han*, (putà Samarcandiæ) legatio cum duobus leonibus. Alia legatio à Regulo *Fuen chen* poſtulante librorum de obedientiâ & recto regimine monumenta.

Anno 41. in aula terræmotus.

Anno 42. lun. 1. congeries ſtellarum cùm ſonitu & fragore diſſolvitur.

Anno 44. HIEN ÇUM moritur æt. 41. Anno 45. (1488.) ſuccedit HIAO ÇUM deceſſoris primogenitus. Princeps, Bonziorum ſuperſtitionibus & ſupplicationibus impensè favens, aſſentatoribus gaudens, alchimiæ perquam ſtudioſus.

10. HIAO ÇUM, aliàs *Hum chi*, id eſt, amplum regimen. Reg. an. 18.

Anno Imperii 5. hæredem ſolemniter declarat.

Anno Cycli 52. Rex Cochinchinæ per legatos copias petit auxiliares contra rebelles: recuſat mittere Imperator. In prov. *Xen ſi* Bonziorum Coryphæus re-

Digitized by Google

bellium Dux & ductor in prælio victus capitur, & in aula capite plectitur. In ditionibus occidentalibus tanta fames, ut se mutuò vorarent filii & parentes. In provinciis Australibus ad Orientem grassatur pestis ingens, & in Sinis insolita.

Anno 53. Sol solito obscurior. Sonitus item in aëre auditus. Terræmotus adeo terribilis, ut hiatu terræ quingenta hominum millia absorpta ferantur.

Anno 54. in omnibus provinciis terræmotus.

Anno 55. ursus aulam ingreditur: hinc auguria funesta, palatii interioris conflagratio secuta.

Cyclus LXXI. Annus post Chr. 1504.

11. Vu çum, aliàs *Chim te*, id est perfecta virtus. Reg. an. 16.

Anno Cycli 1. moritur Imperatrix. Tartari in Sinam irruentes prædas ingentes reportant.

Anno 2. Hiao çum moritur. Anno 3. (1506.) succedit Vu çum decessoris filius, quo anno Cometa apparuit, stella item cum tonitru in pluviam resolvitur. Terræmotus, ventorum turbines insoliti. Hac occasione à *Tao* Colao monetur Imperator, ut seriò se regimini applicet, refrænet immoderatos iracundiæ impetus, nimiam venandi & equitandi pruriginem, à jocis & ludicris abstineat, exterminet ex aulâ adulatores, & dissolutis moribus juvenculos; accersat sapientes, & publici boni sectatores, &c. ita demum revocari posse irati cœli piam erga se voluntatem.

Anno Cycli 6. Tartari rursus ditiones Sinensium depopulantur. Anno 7. Regulus è regio sanguine rebellat, in prælio capitur, & in aulâ occiditur. Anno 8. latronum Cunei emergunt in ipso territorio *Pe kim*, & provinciis *Xan tum* & *Honan*, partim fame, partim exactionibus miseros ad arma stimulantibus, *Lieu ce* dicti, quòd rapidorum torrentium in morem per terras & provincias grassantes quaquaversum diffluerent. Missi contra eos varii exercitus, à quibus repressi quidem & sopiti, sed non penitus extincti, identidem scilicet cùm occasio & opportunitas favebat, repullulantibus.

Anno Cycli 11. Imperator clàm & mentito habitu prodiens à tigride vulneratus, & ad mensem coactus decumbere.

Anno 15. debellaturus Tartaros ipse Imperator in Septentrionem pergere meditatur, sed clàm scilicet & tacito nomine, sub titulo scilicet Archistrategi; dissuadet totus Senatus, rem novam & periculis obnoxiam esse; sub mentito enim habitu & nomine rebellioni ansam præberi; persistit mordicus in proposito Imperator, quin & excandescens in Colaum acinacem stringit. Hic collum intrepidus præbet, reprimit furorem Imperator, & mutat propositum.

Anno Cycli 16. meditabatur Imperator proficisci in provincias Australes *Nan kim*, *Che kiam*, &c. resistit Senatus, oblatis libellis supplicibus, per hoc scilicet addi

addi animos, & viam Tartaris pandi in provincias Boreales, reputantibus scilicet fugâ sibi consulere voluisse Imperatorem. Hic verò, ut erat propositi tenax, in furorem actus, Senatores jubet ante Palatii valvas flexis genibus sub dio ad totos quinque dies persistere, alios verò in monendo plus æquo severiores carceri mancipat. Successit ingens & insolita pruina & inundatio aquarum ad 4. cubitorum altitudinem, quibus auguriis commotus Imperator, in domum suam quemque remittit, & de excursione in Austrum cogitationem deponit.

Anno Cycli 18. Imperii 16. VU ÇUM coram primoribus Imperatrici commendat tutelam filii hæredis. Malè administrati regni se reum agens, moritur æt. 31.

11. XI ÇUM, aliàs *Kia cim*, id est, eximia tranquillitas. Reg. 45.

Anno Cycli 19. (1522.) succedit XI ÇUM decessoris natu secundus, tredecennis.

Initio specimen dedit boni Principis, pius & prudens. Libellos supplices identidem per se examinat. Immodicè amans Poësios. Tempore sterilitatis moneri postulat siquid à se peccetur, ex ærario interim & annonâ Regiâ subditis providens. Magnum murum reparari jubet. Impense deditus Bonziorum somniis, & supplicationibus, nec non Ambrosiæ immortalitatis, & Alchimicæ artis studiosior, cui conquirendæ per singulas provincias Legatos destinat. Quin anno Imperii sui 18. meditabatur Imperio ad tempus se abdicare, commissâ rerum curâ hæredi filio, nisi primates obstitissent; qui iteratis libellis binas sectas *Fœ* & *Lao kiun* penitus eliminandas, sed in cassum contendebant. Renovat Conditoris Legem circa titulum *Confucii*, quem non alium esse vult quàm *Sien su*, hoc est *Magistri vitâ functi*. Vetat insuper ejusdem statuas conflari, solâ tabellâ memorativâ permissâ. Vir inops duas filias vendere & prostituere cogitabat, quo cognito ambæ in flumen se præcipitarunt: iis mausoleum Imperator erigi jubet, cui titulus, *par Virginum*.

Anno Cycli 47. Imperii 29. Tartari cum exercitu 60. millium, aulæ approximant, sed ab exercitu Sinensi cæsi fugatique, captis 200. & amplius armorum ductoribus. Anno sequenti Tartarus legationem mittit, quâ facti sui veniam postulat, rogans liceat sibi quotannis ad equos vendendos excurrere. Annuit Imperator, sed quia experientiâ docti quod ansa seditionibus & rixis inter Præfectos & Mercatores daretur, & quod sub eo prætextu prædas agerent, interdictum deinde fuit equorum commercium.

Anno Cycli 49. *Imperii* 31. (*qui fuit æræ Christianæ* 1552.) *secundâ Decembris obdormivit in Domino Orientis Apostolus S. Franciscus Xaverius in Sinarum insulâ* Sancheu, *subjectâ provinciæ* Quantum, *ætatis suæ anno* 55.

Digitized by Google

Anno 50. maritimi prædones Duce *Hoam che* cum classe 100. navigiorum littora Sinensia infestant.

Anno 52. Japones, qui priùs ut clientelares ventitare cùm muneribus soliti, jam ut prædones & aperti hostes ad quatuor millè numero ad oram provinciæ *Che kiam* exscendunt: cæduntur ad internecionem 1800. reliquis fugâ dilapsis, & dum naves repetunt, mari hausti. Anno sequenti ad decem mille iterum exscendunt, sed à *Cao lim* militum 900. dumtaxat ductore quatuor præliis cæsi, mox à superveniente milite undequaque cincti prorsus extincti sunt. Post septem rursus annos novæ Japonum copiæ oram maritimam provinciæ *Fo kien* invadunt: imparatos ex improviso Dux belli *Cie* adortus ad internecionem delet. In Septentrione Dux belli *Lieu han* extra murum cum exercitu contra Tartaros pugnaturus progreditur; his autem ad interiora & sylvas suas dilapsis, non aliud operæ pretium tulit præter 28. Tartarica capita & 170. camelos.

Cyclus LXXII. Annus post Chr. 1564.

Anno Cycli 3. Imperatoris 45. & postremo offertur libellus supplex quo severè monetur, sibi & Imperio attendat, sic ut initiis extrema respondeant. A viginti & ampliùs retrò annis statuta & leges majorum pessum ire, & nisi succurrat, Imperium in interitum vergere: rarò filium hæredem Imperii ad colloquium paternum admitti: incorruptæ fidei clientes abjici, aut duriùs haberi, & ob diffidentiam & suspiciones levi de causâ indignè mulctari: Deliciis hortorum & otio cum puellarum gregibus indulgere plùs æquo, neglectâ quodammodo Imperatrice legitimâ conjuge: homines belli ignaros, & auri magis quàm honoris cupidos, exercitibus præfici; ærarium exhauriri in Palatiis & hortis extruendis, & Bonziorum næniis & supplicationibus, necnon Pharmacis fictæ immortalitatis, quæ ab ipso cœlo delapsa mentiuntur; quasi verò ab ipsis temporibus *Yao* & *Xun* ab eâ moriendi lege quispiam immunis sit repertus, &c. Excanduit ad hæc Imperator, libellumque in terram abjicit, quem rursum arripiens ac relegens suspirat, pœnitudinis ostendens indicia, sed seræ: nam 10. Luna morbo correptus, sumptoque immortalitatis toxico mortalem se sensit extinctus anno æt. 58.

12. Mo çum, aliàs *Lum kim*, id est, augusta gloria. Regn. 6.

Anno Cycli 4. (1567.) succedit Mo çum decessoris filius. A patre in vincula detrusos solvi jubet; alios morte mulctatos ad solatium afflictæ familiæ, posthumis titulis donat. Cæterùm Princeps moneri impatiens, & monentes ad inferiorem dignitatis gradum plerumque abjiciens, multa à patre rectè instituta pro arbitrio suo immutat.

Legitimam conjugem, quòd sterilis & morbida esset, in aliud Palatium migrare jubet; improbantibus rem

proceribus, reſpondet, nihil ad ipſos & regni ſtatum res inter conjuges pertinere, conjugem, cùm convaluerit, à ſe revocandam.

Cùm juxta leges nemo in patriâ provinciâ fungatur magiſtratu civili, obtinuit per libellum ſupplicem *Cao* Colaus, ut minoris notæ præfectis (uti ſunt ii qui præſunt litteratis, aut exactoribus vectigalium) in natali ſolo magiſtratu fungi liceat.

Anno Cycli 9. Imp. 6. in morbum incidit. Imperatricis & Colai *Cham kiu chim* tutelæ committit hæredem decennem, & ſequenti mox die moritur æt. 36.

13. XIN ÇUM, aliàs *Van lie*, id eſt, decem mille annorum ephemerides. Reg. 48.

Anno Cycli 10. (1573.) ſuccedit XIN ÇUM deceſſoris filius, Princeps ſupra ætatem prudens. Tantâ tutorem & magiſtrum ſuum *Cham kiu chim* in veneratione habet, ut quoties docendi gratiâ adveniret, ſi æſtas erat, præmitteret qui flabello regio ſudantem refrigeraret; ſi hiems, tapetes duplicatos juberet inſterni: quin & ægrotantem inviſit, & medicam potionem manu regiâ porrexit; filio quoque ejus, cui primum nomen ſecundi ordinis in examine ad doctoratum obtigerat, in gratiam magiſtri ſui primi ordinis nomen ſecundum conceſſit.

Fuit æquitatis & juſtitiæ amans, & ut erat perſpicacis & prompti ingenii, ita & litterarum librorumque ſtudioſus. Statuit ut licentiati ex 15. provinciis, regiis ſumptibus in aulam ad examen deducantur. Intereſt ipſe Doctorum examini. Libellos ſupplices, quos primo intuitu penetrabat, quotidie ab horâ quartâ matutinâ examinare & decidere ſolebat, rariùs tamen ſe videndum præbebat. Ordinavit ut ſingulorum per Imperium Præfectorum nomina, gradus, patria, per 4. anni tempora typis evulgarentur, qui mos hodieque viget.

Anno Cycli 11. Tartari in *Leao tum* irruentes Duce *Chin* ad internecionem cæduntur. Imperator in gratiam matris, quæ idolis erat addictiſſima, amniſtiam indicere ſtatuerat: impedivit Colaus, allegans eam impunitatis ſpem ad omnia ſcelera viam pandere, cœlum ipſum utique pœnas à ſceleratis exigere, quin & in Bonziorum inferno ſua flagitiis decreta eſſe ſupplicia.

Anno Cycli 16. Imperator poſtquam de more ſolenni ritu pileo virili donatus eſſet, uxorem ducit, quam mox creat Imperatricem.

Siſtendis & aliò derivandis ingentium aquarum eluvionibus 800. millia operariorum adhibet.

Anno Cycli 18. (1581.) primus è Societate Ieſu P. Michael Rogerius Sinam ingreditur.

Anno 19. naſcitur è Gynecæi ſervâ filius primogenitus, futurus unius menſis Imperator, quòd è legitima prolem non ſuſceperit. Cometa apparet. In provinciâ *Xan ſi* tanta ſterilitas, ut innumeri mortales

fame interierint. Excavatæ ſcrobes ſeu foſſæ ingentes variis in locis circiter ſexaginta, *Van gin kem* dictæ, id eſt, *myriadis mortalium foſſæ*, quòd ſingulæ caperent cadaverum myriadem. Fuit mulier quæ conſpicata maritum fame enectum in foſſam projici, in eandem inſiliit, ſed juſſu Præfecti inde extracta, mortuo marito non ſuſtinens ſupereſſe, triduo poſt expiravit.

Eodem anno Tartari excurrentes à, Duce *Li chin* ſupra decem mille cæſi. Moritur hoc anno *Cham kiu chim* Colaus & Magiſter Imperatoris, qui eundem titulo poſthumo *Ven chum*, hoc eſt, *viri litteris & fide præſtantis*, honoravit, juſſitque corpus in patrium ſepulchrum provinciæ *Hu quam* cum pompâ deduci: verùm biennio pòſt graviter ab æmulis accuſatus, ipſe cum poſteris, titulis & dignitatibus exutus, fortunis etiam omnibus fiſco Regio addictis. Hujus filius voluntario ſuſpendio pœnas prævênit.

Anno Cycli 20. (1583.) Tartari viâ factâ per concreta gelu flumina magno numero in Sinâ graſſantur, & tandem penè ad internecionem deleti.

Eodem anno ingreſſus Sinam P. Matthæus Riccius S. I. fundator futurus ingentium Miſſionum.

Anno 22. ingens rurſus ſterilitas. Ipſe Imperator mœſtus & lugens pedes egreditur ad exorandam à cœlo calamitatem. Vectigalium quoque mediam partem remittit. Alio item tempore ſterilitatis, *Nan kin* ſeptem milliones condonat. Mittit per omnes provincias viſitatores qui examinent Præfectos & rerum ſtatum populique ærumnas.

Anno Cycli 29. Cometæ ad ortum conſpicui occaſione libellus ſupplex offertur à Senatore *Fum ngen*, quo oſtendit cometem ſcopæ inſtar eſſe, quâ portenditur everrendos ex Imperio miniſtros adulatores & muneribus corruptos, quos inter, tres præcipuè notabantur: pro monitis carcerem in præmium retulit & mortis ſententiam; at pietas filii pro patre vitam offerentis, Principem movit, ut mors cum exilio permutaretur.

Anno Cycli 30. viſus Cometa. Anno 31. in *Honan* provinciâ tanta fames, ut carnibus humanis veſcerentur. Fami ſubvênit ex ærario Regio pius Imperator. Japones Coream invadunt, ferro & flammâ vaſtant omnia, multaſque urbes ſuæ poteſtatis faciunt: fugit Rex, & mittit legatos in Sinam pro copiis auxiliaribus. Mittuntur mox copiæ: fit pugna, & utrimque cædes ingens; tandem deleti penitus Japones: qui deinde legationem mittunt ad Imperatorem, & veniam deprecati titulum ſibi tribui rogant. Sequenti anno titulus eis conceditur *Ge puen vam*, hoc eſt *Iaponiæ Regis*; ſed vetuit in poſterum legationem ab eo in Sinam inſtitui.

Anno

Anno 33. jubet Imperator, nequidquam repugnantibus miniſtris, aperiri auri & argenti fodinas in *Honan*, *Xenſi*, & *Xanſi*. Poſt ſexennium eaſdem occludi jubet.

Anno Cycli 34. *Imp.* 25. (1597.) *primitiæ BB. Martyrum Iaponum, qui pro fide in Cruce transfixi.*

Anno Cycli 38. *Imp.* 28. (1600.) *Lunâ* 12. *quæ reſpondet Ianuario anni* 1601. *P. Matthæus Riccius primùm aulam ingreditur, die autem* 24. *ejuſdem Lunæ Imperatori offert munera, inter quæ Imago Salvatoris ac Deiparæ V.*

Niuche, ſeu Tartari Orientales jam formidabiles, è ſeptem Dynaſtiis ſeu hordis, quibus conſtabant, poſt varia inter ſe bella, tandem ab uno capite in regnum evadunt. *Tan yu*, ſeu Tartari Occidentales, deliniti muneribus Regiis, à bello inferendo ceſſant.

Imperator liberum ſibi ratus è binis, quos habebat, filiis, alterutrum ſucceſſorem eligere, eò quòd neuter (quippe ex illegitimo thoro geniti erant) ad Imperium jus haberet, ſtatuit hæredem declarare ſecundò genitum ex reginarum unâ, quam deperibat. Obſtitit Senatus, allegans id per leges haudquaquam licere. Perſtat tamen in propoſito Imperator, perſtat & Senatus, è quo alii caſtigati, alii ab officio depoſiti, alii rejectis dignitatis inſignibus aulâ exceſſere. Ceſſit tandem legibus Princeps, & è ſerva Gynecæi primogenitum hæredem declarat.

Anno Cycli 41. tanta in aula inundatio, ut muri urbis corruerint.

Anno 44. Lunâ 2. die 1. Eclipſis ſolis. Anno 45. in Auſtro magna inundatio, & in *Xenſi* ſterilitas.

Anno Cycli 47. *Imp.* 38. (1610.) *Lunâ* 4. *moritur Matthæus Riccius, cum fama ſanctitatis, anno æt.* 58. *Miſſionis* 27. *Huic Imperator magnum prædium in ſepulturam aſſignavit.*

Anno Cycli 48. tanta inundatio in urbe regia, ut nec equis, nec curribus utendis locus eſſet.

Anno Cycli 52. *Imp.* 43. (1615.) *prima & ſæviſſima in Chriſti legem perſecutio in* Nan kim *mota à* Xin kio *è præcipuis Præfectis uno. Præcones Legis alii verberibus caſi & in caveis ligneis Macaum avecti, alii huc illuc diſperſi, à Præfectis Chriſtianis clàm ſervati. Poſt* 6. *circiter annos reſpirare & florere cœpit res Chriſtiana, perſecutore dignitatibus ſuis privato & inglorièmortuo.*

Anno Cycli 53. Imp. 44. Tartari multis laceſſiti injuriis, vi jam unitâ fortiores, non jam prædas agere, ſed urbes etiam ſuæ poteſtatis facere tentant. Movebat illos inter alia, quòd mercatores ſui in *Leao tum* barbarè à Præfectis Sinenſibus tractarentur, & facultatibus ſuis per nefas privarentur, ad hæc Regis ſui per ſummam perfidiam capti & obtruncati jactura. Quare hujus filius cum valido exercitu urbem *Cai yuen* in *Leao tum* invadit ac capit. Facti ſui cauſam Impe-

peratori conſcribit, ſolam videlicet miniſtrorum ſuorum inſolentiam. Paratus urbem reſtituere, & arma deponere, ſi modò acceptæ injuriæ fieret ſatis. Epiſtolam improvidè Imperator ſummis Præfectis committit, qui nec reſponſo Regem Tartarum dignati ſunt. Quo contemptu in furias actus, vovet 200. millia capitum Sinenſium parenti ſuo ſe litaturum: mox cum 50. armatorum millibus *Leao yam* Metropolim capit, totamque ferè ditionem, unde progreſſus in provinciam Pekinenſem, omnia fermè ſui juris facit. Ipſam quoque urbem Regiam aggreſſurus, niſi ſupervenientes undique ingentes copiæ eum ad *Leao yam* Metropolim cum ſpoliis remeare coëgiſſent. Hîc ſe Imperatorem Sinarum vocari voluit Tartarus *Tien mim* dictus, hoc eſt *cœli decretum* ſeu voluntas. Princeps planè barbarus & crudelis.

Anno 54. viſæ ſunt myriades glirium & murium tranare magnum fluvium *Kiam* in provincia *Nankim*, res hactenus hîc nunquam viſa.

Anno Cycli 55. Tartarus ſimulatâ legatione Pekinenſes ditiones ingreditur; detectâ fraude, à Sinenſium exercitu invaditur: utrinque cædes ingens. Fugam ſimulat Tartarus, ſed mox Sinenſes copias undique cingit cæditque cum ipſo Duce ad internecionem. Sequenti mox anno ſexcenta millia militum ſubmittit Imperator: Rex Coreanus 12. millia auxiliarium, ac præ Sinis longè fortiſſimorum militum ſociat. Dubio diu marte pugnatum, tandem 50. Sinarum millia cæſa. Victor Tartarus ad Regiæ urbis mœnia appropinquat, in qua 80. millia erant præſidiariorum. Tanta interim in urbe conſternatio, ut Imperator in Auſtralem aulam ſtatueret migrare, niſi obſtitiſſet Colaus, dictitans hac fugâ acriores animos Tartaris addendos, & graviſſimas toto Imperio perturbationes orituras.

QUAM ÇUM, aliàs *Tai cham*, id eſt, magna tranquillitas. Regn. uno menſe.

Anno Cycli 57. Imp. 48. (1620.) Lunâ 7. Imperator VAN LIE moritur æt. 58. ſuccedit filius QUAM ÇUM, Princeps cùm adhuc puer eſſet, litterarum præ viris peritus, & ſupra ætatem prudens, ſed uno poſt menſe, primâ ſcilicet die nonæ Lunæ (errore & incuriâ, uti creditum eſt, Medici) declarato hærede extinctus eſt æt. 38.

15. HI ÇUM, id eſt aliàs *Tien ki*, cœli manifeſtatio. Regn. 7.

Anno Cycli 58. ſuccedit HI ÇUM, aliàs *Tien ki*, filius deceſſoris primogenitus. Princeps naturâ timidus, & pluſquàm par erat Eunuchis fidens, è quibus 12. millia numerantur. Ex toto Imperio nova advocat auxilia. Regi Coreano regia mittit munera, gratias agens de auxiliis ſub avo miſſis, poſtulatque nova & majora. Inter cætera auxilia adfuit cum aliquot millibus mulier, ſeu Amazon Sinica, ex *Su chuen* provinciâ, loco filioli, quem in proprio regno reliquerat (quod Regnum montibus cinctum ſui juris eſt.) Claſſis quoque maritima præparatur. Hac item occaſione ſuadent Imperatori Doctores Paulus & Michaël, ut ex urbe

Digitized by Google

Macao tormenta bellica majora accerſat. Sed antequam perveniſſent, jam Tartari è tota ditione *Leao tum* ejecti, ipſa Metropolis recuperata, incolis ſcilicet crudelitatem Tartari Regis deteſtantibus, quem alia bella in Tartaria retinebant. Sed hic confecto mox bello, rurſus in *Leao tum* irrupit, & Metropolim obſidet, è præſidiariis Sinis 30. millia deſiderata, è Tartaris 20. millia: tandem proditione urbs capta, mox edicto publico jubentur more Tartarico capillos radere, ſiquidem ſalvi eſſe vellent, quod poſteà per totam Sinam obſervatum fuit, tametſi milleni maluerint vitam & caput, quàm capillos amittere. Mittitur cum novis copiis contra Tartarum fortiſſimus Dux *Mao ven lum* è prov. *Quam tum* oriundus: munit arcem *Xam hay* in inſula *Cu* ſitam, locum inacceſſibilem, quo Tartaris aditus intercludebatur in Sinam.

Hoc eodem anno, qui erat Imp. 2. (1622.) *urbs* Macao, *quæ ob præclarâ merita gentis Luſitanæ, & maria à Pyratis purgata, Regio favore iis pridem fuerat conceſſa, & uti olim totius Orientis & Iaponicarum Miſſionum, ita nunc Sinicarum nobiliſſimum eſt emporium, à Batavis terrâ marique obſeſſa, ſed irrito conatu; nàm clade acceptâ navigia repetere compulſi ſunt.*

Cyclus LXXIII. Annus poſt Chr. 1624.

Anno Cycli 1. Imp. 4. funeſta toti Imperio motuum civilium colliſio accidit, increbreſcentibus per 4. provincias *Lieu ce* (de quibus ſupra) hoc eſt graſſantium latronum ingentibus copiis.

Anno Cycli 2. *Imp.* 5. (1625) *prope Metropolim prov.* Xenſi *monumentum lapideum, quo Lex ſancta deſcribitur, &* 70. *Evangelii præconum Syriacis litteris inſculpta nomina, tandem è terrâ cen ſepulchro mille & ampliùs annorum effoſſum in lucem prodiit, magno Neophytorum gaudio, & irrefragabili fidei, quam prædicabat Societas Ieſu, teſtimonio.*

Anno Cycli 4. Imp. 7. moritur Imperator Tienki æt. 32. Tyrannus item Tartarus *Tien mim* dictus moritur, cui ſucceſſit *Tien çum* filius, patri per omnia diſſimilis, mitis indolis, clemens, humanus.

16. Hoai çum, aliàs *çum chim*, id eſt, Auguſtum omen felicitatis. Regn. 17.

Anno Cycli 5. ſuccedit Hoai çum, ſeu *çum chim* frater deceſſoris, & filius Quam çum, natu quintus, litterarum amans, quas elegantiſſimè exarabat. Princeps optimæ indolis, Bonziis apprimè deditus, etſi de Religione Chriſtiana, quam ab avo audierat, ſemper bene ſenſerit, eamque foverit: ſuppliciorum rigorem mitigat in reſolvendo lentus. Fidos miniſtros non audit. Veſtium ſplendorem moderatur, ſerici quoque textrinis inhibitis. Præfectorum cum Eunuchis communicationem interdicit. Milites Palatii ab Eunuchis introductos, viatico inſtructos, ad ædes patrias & amicos viſendos mittit ad menſem, deinde iiſdem reditum interdicit. Cæterùm caſtus paſſim habitus, quique

legitimum thorum inviolatè ſervaverit. Auctor hic fuerat fratri deceſſori, ut Eunuchorum Principem (cui *Guei cum* nomen) longè potentiſſimum & crudeliſſimum è medio tolleret. Ab ejus enim arrogantia & protervia, & Aulæ & Imperii ruinam imminere. *Guei cum* igitur ſibi malè conſcius, hoc imperante mox ſumpto toxico gravius ſupplicium prævenit. Mortui cadaver à furente populo in fruſta diſſectum, ingens vis auri & unionum fiſco addicta, multa fana eidem viventi ad memoriam ab adulatoribus per Imperium erecta, flammis abolita & ſolo æquata ſunt.

Imperator, quòd acre bellum gerendum eſſet contra domeſticos hoſtes, prædones ſcilicet, mittit cum novo exercitu *Yuen* Eunuchum, cum ampla poteſtate paciſcendi cum Tartaro: *Yuen* verò vir ſubdolus & perfidus, auro clàm corruptus, iniquis conditionibus paciſcitur. Imperator pacem reſcindit, *Yuen* ut ad eam admittendam compellat, ſublato primùm æmulo ſuo *Mao ven lum* Duce fidiſſimo per venenum in convivio, auctor fit Tartaro, ut per aliam viam invadat Pekinum. Fit expeditio pro voto uſque ad aulam, quàm & obſidet: advocatur Dux *Yuen* in auxilium: adeſt, & quidem per muros urbis nil ſibi metuens introduci ſe ſinit, moxque quæſtione habita, proditionis convictus jugulatur; quo audito Tartarus ſolutâ obſidione in *Leao tum* ſpoliis onuſtus regreditur: varia poſt hæc anceps belli utrimque fortuna per octennium circiter.

Anno Cycli 8. (1631.) *primi ex S. Ordine Prædicatorum, ac deinde S. Franciſci, Sinam intrant.*

Anno Cycli 10. *Imp.* 6. (1632.) *pie moritur* Siu *Doctor Paulus è ſupremo Præſide tribunalis rituum Colaus, & rei Chriſtianæ columen. Pro hac tuendâ Apologiam in perſecutione obtulit, in quâ & dominia ſua, & facultates & familiam ſeque ipſum in pignus obtulit, ſiquid non ſanctum Lex Chriſtiana continere probaretur. Pro hac autem promovenda firmandaque patres* Terentium, Rho, Adamum, *&c. ad reſtaurandam Aſtronomiam & Kalendarium Imperatori felici cum ſucceſſu propoſuit. Reliquit autem hujus curæ ſucceſſorem* Li *Petrum itidem Colaum. Eunuchorum operâ è Gynecæo præcipuæ puellæ, annuente Imperatrice, fidem & baptiſmum ſuſceperunt.*

Anno Cycli 12. Imp. 8. moritur Rex Tartarus *Tien çum*, cui ſuccedit filius à colenda virtute *çum te* dictus, pater ejus qui proximam fundabit familiam. Princeps prudens, comis, quippe puer inter Sinas occultus vixerat, litteras, linguam, & mores Sinicos egregiè doctus. Unde Duces ac Præfectos Sinenſes plurimos ſua benignitate ſibi conciliavit & attraxit, pertæſos ſcilicet tam pravi regiminis, quoſque Imperatoris auſteritas, ob infauſtos armorum ſucceſſus dirè ſævientis abalienabat.

Hoc

Digitized by Google

Hoc & sequentibus annis nil nisi intestina bella, cædes, rapinæ, à prædonum octo exercitibus, quæ fuit potissima perdendi Imperii causa: nam à Tartarorum irruptionibus satis præmunitum jam videbatur. Octo perduellium capita pro summa rei inter se decertant, donec tandem ad duos perduellium Principes *Li* & *Cham* tota vis armorum devoluta est. Hi, ne alter ab altero consumatur, ab invicem recedunt: *Cham* quidem ad Occidentales provincias *Su chuen* & *Hu quam*, (de quo infrà agetur) *Li* verò ad Boreales animum & exercitum applicant: & hic quidem è provincia *Xen si*, quam ex parte occupaverat, provinciæ *Ho nan* Metropolim obsidione cingit, sed cum clade coactus eam solvere. Repetitur obsidio, quæ sex menses tenuit cum tanta obsessorum constantia, ut caro humana venalis exponeretur: adest tandem Imperatoris exercitus suppetias laturus, cùm extremum nil tale suspicans & metuens, exitium attulerit: nam cum ruptis Crocei fluminis aggeribus latronum exercitum aquis delere moliretur, accidit ut tota urbs cum 300. incolarum millibus aquis hausta fuerit. Contigit miseranda hæc strages nonâ Octob. anni 1642.

Li interim totâ provinciâ & deinde *Xen si* potitus, omnes quotquot erant Præfectos ubique interficit, Expræfectos mulctat pecuniis, populum verò benignè habet, onera etiam & vectigalia remittens. Quo factum, ut multæ copiæ Imperatoriæ ad se diffluerent, & ipse *Li* Dux latronum tantâ auctus potentiâ jam titulum Imperatoris sibi vindicaret. Mox *Xen si* provinciâ subactâ, Pekinensem ingreditur, & ad ipsam urbem Regiam securus contendit, quò jam diu ante millenos clam immiserat subdolus, qui se adventante turbas cierent, & minimè dubius de tradenda urbe, per summam scilicet proditorum perfidiam. & Præfectorum inter se & cum Eunuchis discordias. Præsidiariorum 70. millia urbi tuendæ præerant, & tamen tertio ab adventu die portis ultrò apertis urbem cum 300. millium exercitu intrat, & rectà ad palatium pergit ipsius Imperatoris. Hic jejuniis & Bonzaicis supplicationibus instituendis intentus, & omnium quæ agebantur ignarus, tandem proditum se agnoscens, cum 600. armatis portis egredi tentat & gloriosè occumbere, sed desperatis consiliis & rebus, desertus ab omnibus, in palatium regressus, in hortum secedit, ubi in vestis fimbriâ proprio sanguine scripsit ejusmodi verba; *Mei me prodiderunt, de me fiatur quod placuerit, modò populo meo ne noceas.* Deinde stricto acinace nubilem filiam, ne in latronum manus incideret, dum tentat perimere, illa ictum declinans, brachio mutila exanimis concidit. Ad extremum fasciâ collo involutâ se ipsum Imperator suspendit anno æt. 36. Cum eo nomen Imperiique tota-

proſapia 80. ut fertur, millibus conſtans, paulatim extincta. Ad hujus exemplum ſupremus Colaus ibidem ſe ſuſpendit, quod idem alibi & reginæ & fideliores Eunuchi præſtiterunt. Regium cadaver diu quæſitum, altero tandem die caſu repertum, in conſpectum Tyranni in ſolio ſedentis adducitur, à quo multis injuriis barbarè habitum, binis ejuſdem filiolis (nam primogenitus fugâ evaſerat) capite truncatis, ac Præfectis omnibus crudeliſſimè mactatis. Urbe deinde totâ militum furori libidinique permiſſâ, mox ad debellandum fideliſſimum Ducem *V ſan quei* ſeſe accingit, qui cum ſuprema poteſtate exercitui Sinico contra Tartaros præerat in *Leao tum*: obſidetur urbs & arx validiſſima 70. leucis ab urbe Regiâ diſtans. Ut verò ad deditionem filium impellat latro, patrem ipſum ante urbis muros conſtituit, comminatus acerbiſſimam necem, niſi urbem tradat. Filius *V ſan quei* è muro patrem aſpiciens, flexis genibus ab eo veniam deprecatur, plus ſe Regi & patriæ, quàm patri debere conteſtans, adeoque millies potiùs moriendum, quàm latroni turpiter ſerviendum. Laudavit filium pater, ſeſeque carnificinæ pro eadem patria conſtanter obtulit. At filius ulturus Imperatoris & patris mortem, ad Tartarum Regem cum muneribus legationem mittit, invitans ad arma & auxilia contra Tyrannum pactis conditionibus: adeſt hic alacer cum 60. millibus. Obſidio ſolvitur, fuſis prædonum copiis. *Li* Tyrannus in aulam regreſſus, nec ibi ſecurus conſiſtens, direptis theſauris regiis, urbeque & aulâ flammis traditâ, cum exercitu fugit in *Xenſi* provinciam, Tartaro equis pernicibus fugientem turbam ferro & armis perſequente. Rex interim Tartarus *çum te* in Sinarum ingreſſu moritur, poſtquam filium natu minorem hæredem declaraverat, commiſsâ belli & Imperii curâ *A ma vam* patruo Regulo. Mox puer ſexennis & ſupra ætatem prudens, urbem triumphans ingreditur, & communi totius populi congratulatione & plauſu tanquam Aſſertor patriæ excipitur, & in ſolio collocatus Imperator ſalutatur, omnibus uno ore acclamantibus, *vivat Imperator, vivat* (Van ſuii, Van ſuii) *decem & decem millibus annorum*, & hæc vox populi Imperium illi contulit. XUNCHI dicebatur Imperator, fuitque conditor novæ familiæ Imperialis Tartaro-Sinicæ, *Taicim* dictæ, hoc eſt *magnæ puritatis*. Hic annum Imperii ſui primum velut bene ſibi ominatum, ſtatuit eum, qui fuit decimus ſeptimus & funeſtiſſimus deceſſor *çum chim*. Fuitque Cycli 73. annus 21. poſt Chriſtum verò 1644.

XXII. Familia.
1. XUNCHI, *id eſt* proſperum regimen. Regn. 17.

V ſan quei (à quo creditur in prælio occiſus *Li* Tyrannus) jam ſerò agnoſcens, ad canes arcendos à ſe leones incautè admiſſos, admittit à Tartaro Reguli dignitatem & titulum *Pim ſi*, ſeu *pacificantis occi-*

ſum, aſſignatâ pro ſede ipſius Regiæ Metropoli *Si ngan* provinciæ *Xenſi*, quam latro ferro & igne priùs vaſtaverat. Tartarus ſubactis feliciter provinciis Borealibus, ad Auſtrales animum & arma convertit, anno ſequenti proclamatus jam erat Imperator in *Nan kim* Metropoli, *Hum quam* nepos *Van lie* Imperatoris; at mox captus, & Pekinum abductus, cum primogenito *ſum chim* (vero-ne an ficto, incertum) ſtrangulatur. Itur exinde ad Metropolim prov. *Che kiam*, in qua *Lo vam* Regulus, Imperatoris titulum recuſat, videnſque urbem Tartaro cinctam, ut ſuorum excidium præverteret, è mœnibus flexis genibus ſupplicabundus, *de me*, inquit, *quod vultis ſtatuite, pro meis ſubditis ecce me victimam:* quo dicto ex urbe prodiens, ſe Tartaro tradit: quæ pietas, ſi non Principem, at urbem certè ſervavit & cives. In provincia *Fo kien* alter *Van lie* nepos, *Lum vu* dictus, Imperator proclamatus, ſed à Tartaro provinciâ totâ pacificè occupatâ, mox occiditur. Erat tum Architalaſſus è *Fo kien* oriundus, *Chin chi lum* dictus, qui Macai Luſitanis primùm ſervierat, & ſacro fonte ablutus, Nicolai nomen erat ſortitus. Hic ex parvis initiis, & magnis deinde commerciis cum Hiſpanis & Hollandis, factus ex Pyrata famoſo, ingentium claſſium Ductor, Imperatori primùm *Lum uu*, deinde Tartaro, ſed ſimulatè ſe ſubjecerat, à quo Regulus creatus, & ad ſolemne convivium invitatus, ſpecie honoris majoris in aula adipiſcendi deluſus, ad eam honorificè deducitur. Interim filius *Que ſim* cautior factus, in totius claſſis paternæ Imperium ſuccedit, nullis aut patris adhortationibus, aut Tartari promiſſis à fidei erga Regem & patriam propoſito dimovendus.

Jam ad *Quam tum*, & deinde *Quam ſi* provincias debellandas Tartaricus deſcendit exercitus, obvias quaſque urbes & loca facili negotio capit: verùm in provincia *Quam ſi* victoriarum curſus nonnihil ſtitit. Erat ibi Prorex *Kiu* Thomas, & militiæ totius, quæ ex variis provinciis eò confugerat, Dux ſupremus *Chin* Lucas, ambò Chriſtiani. Pugnatum eſt acriter: tandem Tartari victi cæſique. Mox victores Sinæ Imperatorem eligunt *Yum lie*, dictum è ſtirpe *Van lie*, qui ex Metropoli provinciæ *Quei cheu*, ubi Regulum agebat, deductus, regiam ſedem in *Chao kin* urbe prov. *Quam tum* conſtituit. Huic à conſiliis erat Eunuchus præcipuus *Pan* Achilleus, fidei chriſtianæ zeloſiſſimus, cujus operâ & unà patris Andreæ Coſſler, ipſa Imperatoris mater, uxor & filius Imperii hæres ſacro fonte abluti ſunt. Et hic quidem, ut erat nomine, ita & re ſperabatur futurus Sinarum Conſtantinus. Regina certè, annuente Imperatore, legatum miſit Michaelem Boym ad præſtandam S. Sedi obedientiam, uti Urbs & Orbis agnovit. Percrebrò-

cente igitur famâ tam victoriæ de Tartaro reportatæ, quàm novi Imperatoris, mox in prov. *Fo kien* *Vam* quidam Sacrificulus (olim Dux militiæ) cum latronum undequaque emergentium cuneis, nec non *Que ſim* Architalaſſus, Nicolai filius, captas urbes recuperant, hic maritimas, ille mediteraneas: in prov. *Kiam ſi*, *Kin* Prorex à Tartaro deficit, nec uno prælio de iiſdem victor extitit.

In Septentrione duo belli Duces *Ho* & *Kiam* ſinguli exercitum conflant. Dux *Ho* plurimas urbes provinciæ *Xen ſi* ſui juris facit, ipſamque Metropolim obſidet, ſed irrito ſucceſſu: *Kiam* verò in provinciâ *Xen ſi* cum 140. equitum millibus & numeroſiori peditatu Tartarorum exercitum duobus prælliis ita cædit & fugat, ut jam aperto marte congredi Tartarus non auderet: ſed hic tamen partim aſtu & dolis, nec non auro & promiſſis, partim cunctando, partim proditione natâ ex mutuis inter Sinarum Duces diſcordiis, vi demum & armis tam in Auſtro quàm Septentrione, omnium ferè victor urbium & hoſtium, trium aut quatuor annorum ſpatio tandem evaſit.

Ad Occidentem in prov. *Su chuen* graſſabatur alter latronum Dux *Cham hien chum*, de quo ſuprà; Sinicus Nero, aut potiùs carne humanâ indutus dæmon, etſi in ſpeciem comis ac ſuavis erga milites, quibuſcum, ut miles gregarius, ludebat & epulabatur. Hic poſtquam barbarè ſæviiſſet in provinciis *Hu quam*, *Ho nan*, *Nan kim*, *Kiam ſi*, tandem furorem omnem in prov. *Su chuen* convertit. Primò è familia præterita Regulum, alioſque occidit: non ſemel ob unum ſontem levi de culpa, omnes ejuſdem plateæ, in quâ is habitaverat, jubebat interfici, & ob unius militis crimen, totam legionem duorum *millium*, & ob unius Medici errorem in curando carnifice ſuo, mox centum Medicis vitam ademit. E ſexcentis, quos habebat Præfectis, exacto ſui muneris triennio, vix viginti ſupererant, cæteris vario mortis genere levi de cauſa mactatis. 5. millia Eunuchorum neci dedit, quòd inter eos fuiſſet, qui eum non Regis titulo, ſed proprio *Cham hien chum* nomine compellaſſet. Ob unius ſacrificuli (qui pridem auctor fuerat gravis perſecutionis contra legem Chriſtianam) 20. millia Bonziorum orco ſacrificat. Laudat ſe coram Patribus Ludovico Buglio & Gabriele de Magallanes (quos modò amat, modò neci quater deſtinat) tanquam rem præclaram egiſſet, *Hi*, inquiens, *vobis vitam demere volebant, ſed cœli Dominus me miſit, ut de iis pœnas exigerem.* Sæpe collaudabat legem Chriſti, promittens, à ſe, ubi Imperio potiretur, magnificum Deo Templum extruendum. Ad litterarium examen & gradum ſtudioſos undique edicto convocat. Adſunt 18. millia: hos omnes

nes in urbis gymnasio congregatos ad unum interfici jubet, quod, uti dicebat, suis sophismatis populum ad rebelliones sollicitarent. Anno (1646.) Imperatoris *Xun chi* tertio, profecturus in *Xen si* contra Tartaros, totius Metropolis *Chim tu* cives vinculis constrictos extra urbis mœnia jubet consistere; ipse obequitans in medio populi, qui flexis genibus cum ejulatu & lacrymis vitam deprecabatur, stans tantisper quasi dubius quid ageret, mox, *Occidite*, inquit, *occidite hos perduelles*. Quare omnes Tyranno inspectante sunt trucidati. Feruntur fuisse sexcenta capitum millia, è quibus innumeri parvuli, operâ Patrum baptismatis aquâ abluti, è carnificum manibus ad cœlos evolarunt. Deinde militibus congregatis edicit, ut exemplo suo quisque uxores suas, velut expeditionis bellicæ onera & impedimenta, è medio tollat; ipse ex 300 quas habebat, 20. dumtaxat ad trium Reginarum obsequium puellas sibi reservat. Totus exercitus Ducis imperium secutus, omnes, quotquot erant, mulieres interficit; mox incensis urbibus & Metropoli amplissimâ, *Xen si* provinciam ingreditur. Cùmque ei jam tertiò nuntiaretur, quinque exploratores Tartaros jam comparere, ipse è tentorio sine lorica & galea prodit extra castra rem exploraturus. Mox prima sagitta à Tartaro emissa cor Tyranni transfixit, unde in terram ex equo mortuus corruit: quo prostrato, & deinde cæso & dissipato exercitu, populi *Suchuen* residui Tartaros velut servatores suos lætè excipiunt. Debellatis jam fermè 11. provinciis supererant quatuor Australes, quæ *Yum lie* Imperatori parebant: mittuntur igitur ex aula tres Reguli trium exercituum Ductores. Obsidetur Metropolis provinciæ *Quam tum*. Annum ferè tenuit obsidio cum magna utrimque strage, donec tandem 24. Novemb. 1650. Cycli anno 28. Imperatoris verò 7. urbs capta furori militum & deprædationi ad decem dies concessa, ubi 100. ferè millia trucidata sunt. Inde ad Regiam sedem *Chao kin* movet exercitus; sed *Yum lie* Imperator suis diffisus viribus, in *Quam si* provinciam, & deinde in *Yun nan* fugere compulsus. Anno sequenti moritur *A mavam* tutor & patruus Imperatoris, vir prudens, comis, & ab ipsis Sinis amatus, & cui præcipuè Imperium Tartarus debet. Hujus frater Regulus tutelam sibi vindicabat, sed cùm primates omnes *Xun chi* 14. annos agentem, & cum filia Regis Tartarorum *Tan yu* Occidentalium jam uxoratum, parem Imperio per se administrando esse contenderent, adeo ut suspensis ad Palatii fores Præfecturæ suæ insignibus, negarent se illa ab alio quàm à *Xun chi* recepturos, tandem Regulus acquievit. Cæterùm *Xun chi* præclaris naturæ dotibus instructus Princeps, ut sibi Sinas devinciret, aditus primùm ad se faciles præter morem Regum Sinensium facit.

Leges, litteras, & ſtatuta politicæ Sinicæ, paucis mutatis, intacta voluit, ne quidem permittens, niſi ex ſingulari diſpenſatione, ut litteras & linguam Tartaricam addiſcerent. Sex Concilia ſuprema, à quatuor mille annis inſtituta retinuit, ſic tamen, ut tam Præfectis Tartaris, quàm Sinis totidem conſtarent ſingula; ea verò, in aula ſola, uti & è ſanguine regio Principum ſedes, ſtabilivit, abolitis ſex ſupremis conciliis, quæ in aula Auſtrali ſub familia præterita, & unà in Boreali floruerant. Palladem armatam cum togata egregiè conſocians, Philoſophis Sinicis, ut anteà, regendas urbes & provincias conceſſit. Quia verò ſagaciſſimi ingenii & magni judicii Princeps probè intelligebat, ab ſincero & incorrupto Litteratorum in examine ad gradus delectu pendere ſalutem & ruinam Imperii; cùm fortè comperiſſet auro emptum cenſorum & examinatorum favorem, ex his ſex & triginta inexorabiliter capite plecti juſſit, candidati autem, quotquot uſi muneribus fuerant, juſſi denuò in certamen deſcendere, victoribus veniam & gradum indulgens, victos verò cum tota eorum familia in Tartariam ſuam voluit relegari, quo ſupplicii genere hodieque plurimi toto Imperio criminum rei quotannis mulctantur ut Tartariæ deſerta repleant, gentemque multiplicent, filiis ſaltem & nepotibus Tartaricum genium paulatim ſuſcepturis.

P. Joannem Adamum Schall, vulgò *Tam jo vam*, ſingulari proſequitur amore, quem proinde non alio, quàm *Ma fa*, quod Tartaris *ſeniorem patrem* ſignificat, nomine compellat. Europeam Aſtronomiam introducit præfecturâ ſupremâ tribunalis Matheſeos ei commiſsâ, nequidquam frendentibus æmulis & præcipuè Mahometanis, qui omnes à 300. jam annorum poſſeſſione deturbati ſunt. Raro *privilegio* eidem concedit, ut quovis tempore abſque ullius tribunalis interventu immediatè libellos ſupplices offerret, quos ferè centum obtulit: quæ res in magnum ceſſit Imperii & religionis emolumentum. Hinc Religio Chriſtiana, quæ hactenus quaſi ſub modio latuerat, jam ſuper tecta ubique prædicabatur, templo novo cum regia auctoritate, & publica ſolemnitate erecto, anno jubilari 1650. altero deinde ad ortum templo, regio item favore exædificato, templum & ædes Adami ipſe Imperator adire dignatus eſt, & quidem intra biennii ſpatium circiter vigeſies.

Anno Cycli 33. (1656.) prima legatio à magno Moſcoviæ Duce, quæ quòd honores more & ritu Sinico exhibere renueret, optato ſucceſſu caruit ſecus quàm altera legatio decennio pòſt inſtituta Fuit & alia magnifica ab Hollandis legatio, ſpe etiam ſuâ & ſucceſſu fruſtrata.

Anno Cycli 36. Imperatoris 15. (1659.) Archita-

laſſus *Que ſim*, Nicolai filius, qui hactenus ad littora maritima continuis excurſionibus cum magna ſtrage prædas egerat, cùm anno præterito 500. navigia in oræ Nankinenſis ſcopulos & ſyrtes alliſa amiſiſſet, tandem cum ter mille navigiis, variis oppidis toto itinere occupatis, *Nankim* metropolim obſidet. Urbis & provinciæ ſupremum Prætorem agebat *Lam*, adhuc adoleſcens & Sinenſis. In Concilio bellico Tartarorum Ductor negat urbem defendi poſſe, quando à tanta civium multitudine nulla poſſit ſperari ſecuritas, quare omnes ante omnia trucidandos. Cohorruit ad barbari conſilium Prætor, &, *ſi quidem*, inquit, *non aliter urbi & ſecuritati ſit conſulendum, me ante omnes trucidate*. Repreſſit hæc vox barbarum pectus, ſimulque civibus vitam ſervavit. Vix viginti ab obſidione dies effluxerant, quando incidit dies natalis Architalaſſi, quem à toto exercitu ſolitis ludis & ſympoſiis ad triduum celebrari geſtiebat. Obſeſſi interim, in noctis ſilentio nil tale opinantes, & ſomno vinoque ſemiſepultos adeò cautè fortiterque aggrediuntur, ut tribus hoſtium millibus deſideratis, ſoluta obſidione, repetere navigia ſint compulſi, relictis omnibus impedimentis in prædam victorum. *Que ſim* cladem tantam, & recèns illatam patri fratribuſque necem, quà poſſet, ulturus, non multò pòſt cum bellica Tartarorum claſſe confligit: poſt acre certamen, tandem Tartarorum navigia partim in fundum dejecta, partim fugâ elapſa, partim capta cum quatuor circiter mille Tartaris, quos omnes, occiſis eorum ductoribus, naribus & auribus truncatos, in continentem remiſit. Cùm verò tam probroſa ſpectacula in aulæ conſpectu diutius intueri non ſuſtinerent commilitones, regio juſſu ad unum omnes contrucidati ſunt, quippe qui aut vincere, aut pro patria gloriosè mori debuerant.

Anno Cycli 38. (1661.) *Que ſim* Architalaſſus urbem & arcem munitiſſimam Inſulæ Formoſæ à Batavis munitam terrâ marique obſidet. Tandem poſt quatuor menſium obſidionem, fame obſeſſos premente, & deſperatis, quæ expectabantur auxiliis, cum tota inſula pactis conditionibus, in poteſtatem Sinenſium ceſſit; ibique ſuæ dominationis ſedem *Que ſim* conſtituit, ſed minimè diuturnam; quippe anno mox ſequenti, cùm accepiſſet, fœdus Batavos inter & Tartaros contra ſe initum, ad hæc ab Hiſpano Milite in Philippinis detectâ conjuratione, multa Sinenſium millia contrucidata, recens denique à filio admiſſum inceſtûs flagitium, in tantam actus eſt rabiem, ut digitos dentibus ſuis dilanians, furibundi inſtar expiraverit.

Sed & hoc anno 1661. extincta, quæ reſidua erat familiæ *Mim* præteritæ ſcintilla, *Yum lie* ſcilicet

Imperator, de quo ſuprà. Confugerat ipſe in Regnum *Mien que* (vulgò *Pegu*) provinciæ *Yun nan* contiguum, quando Tartarus cum novis copiis adeſt. Datis ad Regem minacibus litteris profugum repoſcit: traditur abſque morâ cum tota familia, & in Metropolim infelix *Yum lie* adductus, eliſis laqueo faucibus ſtrangulatur. Duæ Reginæ mater & conjux aliæque Pekinum abductæ, & cum honore in Palatio ſeparato hodieque ſervantur, & uti conſtat, fidem olim Chriſto datam conſtanter ſervant.

Fatalis quoque hic annus fuit *Yun chi* Imperatori Tartaro-Sinico, qui meliùs cœperat quàm deſiit. Cauſam mortis immaturæ præbuit impotens amor mulierculæ, quam miſer deperibat. Ut autem eâ potiretur, marisum ad ſe vocatum, quaſi de munere ſuo malè adminiſtrato increpitum, alapâ inflictâ à ſe repulit: hic domum reverſus, poſt triduum mœrore conſumptus obiit. Quo cognito conjugem in aulam vocat, & Reginam à legitima ſecundam præter morem creat. Filiolum ei parit nova nupta. Natalis regiâ ſolemnitate celebratur. Poſt trimeſtre moritur infans, & natum mox ſecuta mater. Quàm Regi luctuoſa acciderit utriuſque mors, vel inde patet, quòd præ furore ac dolore amens, arrepto gladio ſibi necem inculiſſet, niſi Regina mater & Eunuchi impetum cohibuiſſent. Voluit tamen 30. hominum ſpontanea morte placari manes concubinæ, ritu apud Sinas execrando, quem barbarum morem ſucceſſor deinde ſuſtulit. Indixit etiam non ſolùm aulæ proceribus, ſed totius Imperii præfectis per menſem, ipſique plebi per tridui ſpatium, luctum habitumque funebrem, tanquam pro Imperatrice, quo eam titulo à morte honoraverat. Modus verò in funebri apparatu ſuprà dignitatem fuit & decorum. *Pellicis* cadaver ſacrophago rari pretii incluſum, & unionibus inſtratum, more Tartarico rogo imponitur, in quem magna vis auri & argenti, nec non ſerici, & regiæ ſupellectilis injecta, & flammis abſumpta, ducentis quoque aureorum millibus in milites & egenos diſtributis: defunctæ cineres, ipſe Rex muliebriter ejulans, in urna argentea ſuis manibus collocat, quorum amorem Regina moriens unicè commendaverat. Bonziorum autem greges ad duo millia cantibus ſuis & næniis & inſulſis ſuperſtitionibus miſerum Regem adeò jam dementaverant, ut & Gynecæi Virgines & Eunuchos ad aſſumendum ſacrificulorum habitum invitaret, atque ipſe inſuper jam in reprobum ſenſum declinans, raſo capite, victu, & veſtitu Bonziorum indutus, tribus etiam erectis in ipſo Palatio delubris, ad Idola, quæ antea vilipenderat, adoranda, nunc hoc nunc illud per urbem fanum adiret.

Non defuit hîc muneri ſuo Adamus per libellos ſupplices

ſupplices ad priſtinam frugem conatus miſerum revocare; ſed qui monentem plerumque erat ſecutus, moriturus jam non audit: admiſſus tamen aliquot ante obitum diebus, vetanſque coram ſe genua flecteret, poſtquàm loquentem audiiſſet, propinari jubet hoſpiti potum *cha*: nec plura collocutus, domum dimiſit. Auditus interim à ſuis incuſare ſuam negligentiam, & ut daret ſeriæ, etſi jam ſeræ pœnitudinis ſpecimen, accepto penicillo, 12. puncta amniſtiæ per Imperium indicendæ conſcribit: demùm ſentiens ſibi jam abeundum, vocatis ad ſe quatuor magnatibus, fatetur culpâ ſuâ malè adminiſtratum Imperium; quòd patri & avo, nec non regulis & bene meritis minus ſit patrocinatus; quòd matris conſilia contempſerit; quòd ex auri cupidine ſtipendiis proceres defraudarit; quòd rebus curioſis addictus multa inutiliter prodegerit, quòd populum non ut filios habuerit; quòd eunuchos admiſerit ac foverit; quòd denique Reginam nuper defunctam inordinatè amaverit, in eaque deflenda tam ſibi quàm ſubditis moleſtus fuerit. Poſtremò filiolum octennem quatrumvirûm tutelæ commendans, viſurus jam patres ſuos veſtem petiit, quam cùm induiſſet, continuò valefaciens collectis cruribus ac brachiis, *ecce*, inquit, *abeo*, ac mox ex variolis deceſſit ſub medium noctis, ætatis anno 24.

Manè inſequenti Bonzii omnes è Palatio ejecti. Sub meridiem loculo cadaver includitur, centum poſt dies (quod iis fit qui ex variolis obierunt) rogo imponendum. Poſtridie octennis hæres in ſolio collocatur, & ab omnibus ritè ſalutatur Imperator. *Conſulat lector librum cui titulus, De initio & progreſſu Miſſionis Sinenſis, & alium de hiſtoriâ novâ Tartaro-Sinicâ P. Frau. de Rougemont, qui de tetâ* Xun chi *imperantis ſerie conſcripſerunt.*

2. Cam hi, *id eſt* firma tranquillitas. Regnat hodie.

Anno Cycli 39. (1662.) ſuccedit *Cam hi* filius natu minor octennis, quem, relicto primogenito, pater elegerat more inter Tartaros uſitato, ubi ſola patris voluntas tamquam à cœlo delapſa inviolabiliter ſervatur.

Initio ſub tutoribus quatrumviris res publica moderatè pacificèque adminiſtratur. Eunuchorum princeps tamquam tot malorum fax & incentor capite plectitur. 4. millia Eunuchorum è palatio proſcripta, mille reliquis ad infima & viliſſima miniſteria reſervatis. Edictum promulgatur, quo ſub pœna capitali jubentur incolæ totius oræ maritimæ per ſex provincias, mutare ſolum, & per trium ferè leucarum ſpatium ad interiora continentis commigrare, pagis, arcibus & oppidis maritimis ſolo æquatis, omnique prorſus navis commercio interdicto; quo factum eſt ut plurima hominum millia, quæ piſcatu vitam ægre

trahebant, ærumnis & fame interierint, templa etiam non pauca Christianorum cum idolorum delubris abolita sint: quin & civitas Macaensis eandem ruinam erat subitura, jussis Lusitanis mutare sedes, nisi Adamus in primis periclitanti urbi succurrisset: hinc maritimi hostis potentia adeò tandem debilitata est, ut post 20. circiter annos *Formosa* Insula ultrò ventura sit in potestatem Tartarorum.

Anno Cycli 41. *Cam hi* Imp. 3. (1664.) gravissima & universalis persecutio mota contra præcones Legis Christianæ, *de qua consule Relationes PP. Gabiani, Rougemont & Grelon.* Promulgatur edictum Regis contra Religionem tanquam rebellionis & pravæ doctrinæ magistram, cujus caput Joan. Adamus & tres socii acti rei 9. catenis onusti, è carcere ad varia trahuntur tribunalia. Citati in aulam omnes Europæi sacerdotes. Libri christiani, numismata, &c. velut rebellionis tesseræ, flammis tradi jubentur: Ecclesias tamen & sacras imagines violari, & Christianos divexari prohibetur.

Anno 1665. 16. Aprilis, in generali omnium Ordinum consessu damnatur Adamus primò ad laqueum, deinde ad crudelissimi supplicii genus, quo per minutissimas dissectiones corpus spirantis mutilatur. Sententia à cœtu Regulorum & Quatuorvirûm confirmanda defertur, cùm derepente urbs tota contremiscit, & iteratis motibus concutitur. Indicitur publica amnistia, solvuntur è carceribus rei, uno Adamo excepto, qui post mensem, cùm pridie natalis Regis palatium conflagrasset, à vinculis liber dimittitur: relegantur (quatuor exceptis) qui in aulam venerant Sacerdotes Europæi (tres è D. Dominici, unicus è Seraphica familia, & 21. è Societate) in prov. *Quam tum* metropolim. 15. Aug. piè & pacificè P. Adamus moritur, declarandus deinde innocens, & magno prædio in sepulturam, nec non pristinis titulis & elogio donandus ab Imperatore.

Anno Cycli 43. (1666.) moritur *Sony* Quatrumvirûm natu major. *Cam hi* solenni ritu adit Imperii regimen, quod magnâ cum laude prudentiæ & æquitatis hodieque moderatur. Justitiæ certè mox suæ, aut potiùs divinæ specimen initiò dedit in Quatrumvirûm altero *Su ca ma* nominato. Hic ut erat consilio & authoritate præ cæteris eminens, ita & hostis Christiani nominis eò acerbior, quò dissimulatior. De 20. defectibus accusatus in vincula abripitur, bonisque fisco addictis damnatur ad mortem acerbissimam: Rex sententiæ subscribit, mitigatâ ægri hominis pœnâ, & in laquei supplicium commutatâ. Palàm ergò pridie Nonas Septembris septem filii & nepotes capite plexi, filius natu tertius minutatim concisus, patri denique fauces nervo elisæ.

Anno Cycli 45. Legatio Lusitanica singulari fa-

Digitized by Google

vore ab Imperatore excipitur, quæ res urbi Macaensi firmandæ profuit.

Anno Cycli 46. (1669.) jussu Imperatoris examinantur ac deteguntur errores novi Kalendarii Sinici à Ferdinando Verbiest, qui à *Xun chi* decessore è prov. *Xensi* in aulam fuerat evocatus. Ediderat illud *Yam quam sien*, qui loco Adami Mathematicæ præsidebat, & blasphemo & pestifero suo libro aulæ proceres, Bonzios, Mahometanos contra Christi legem & Europæ Astronomiam concitarat; sed hæc cum Kalendario è tenebris in lucem pristinam revocata. Quin & Religio Christiana in comitiis Imperii generalibus post 7. dierum examen declaratur, *Nihil pravi, aut quod seditionem redoleat, continere*: revocantur ab exilio ad pristinas Ecclesias Sacerdotes Europæi diplomate regio, quamvis eodem novæ Ecclesiæ vetentur extrui, & indigenæ Christi legem amplecti. *Yam quam sien* præfecturâ exuitur, & ad plebeiorum sortem, ac dein ad mortem damnatur: sed ab hac absolutus, & in patriam remissus, paucis post mensibus in itinere pestilenti ulcere à Deo percussus interiit. Noster verò Ferdinandus Ephemeridum præfectura donatur, plurimis deinde titulis ac favoribus hodieque auctus ab Imperatore quem etiam ad 5. menses magistrum habuit in Matheſi. *Consule librum, cui titulus*: Innocentia Victrix; *& alterum P. Ferdinandi, cui titulus*: Astronomia Europæa ex umbrâ in lucem revocata.

Anno Cycli 50 (1673.) novus turbo ac procella Imperium concutit. *V san quei* (de quo suprà) potentissimus regulus in Prov. *Yun nan*, qui Tartaros malè providus in Sinam introduxerat, in aulam vocatus ire renuit, nisi cum 80. millium comitatu. Mox dimissis legatis Tartaricum jugum excutit. Sinicum conflat Kalendarium quod ad vicinos & clientelares Reges mittit. Hoc Rex Tunkinensis aliique admittere renuunt, mittuntque ad Imperatorem. *V san quei* interim tres Provincias *Yun nan*, *Su chuen*, *Quei cheu*, suæ potestatis facit, & insuper mediam ferè partem prov. *Hu quam*: major hujus filius in aulâ capite plectitur. Detegitur conjuratio, trucidantur rei omnes. Biennio post rebellant Reguli *Fo kien* & *Quam tum*, patre utriusque pridem defuncto, habitumque & pileum Sinicum induunt. Accessit his Insulæ Formosæ aliarumque Dynasta maritimus. Actum erat de Tartaro, si quidem junctis animis & armis pro patria libertate decertassent: sed Dynasta cùm à Regulo *Fo kien* velut inferior tractaretur, mox arma in ipsum convertit. Multa utrimque commissa prælia, cladem utplurimùm referente Regulo. Ex aulâ interim cum exercitibus mittuntur Reguli Tartari; in *Hu quam* ipse patruus Imperatoris, alius in *Che kiam* & *Fo kien*, alius in *Quam*

tum & *Quam ſi.* Regulus *Fo kien* tot cladibus fractus, ſuiſque diffiſus, raſo rurſus capite ſe Tartaro dedit, à quo benignè habitus, legioni tantiſper præficitur. Regulus verò *Quam tum*, quòd item ab *V ſan quei* inferiore, quàm par erat, titulo donatus eſſet, rupto fœdere, totam rurſus ad Tartarum reduxit provinciam. Eodem anno (qui erat 1675.) 12. Julii Imperator adit templum & ædes noſtras, ubi penicillo regio binos cubitales exarat characteres *Kim tien*, hoc eſt, venerare cœlum, ſeu cœli dominum, eoſque ſigillo regio munitos noſtris conſignat. Hujus exemplaria trium Ordinum Religioſorum templis & ædibus per Imperium præfixa vim hîc obtinent tacitæ approbationis legis Chriſtianæ.

Anno Cycli 56. Imp. 18. (1679.) *V ſan quei* ſenio confectus moritur, acclamatur Imperator hujus filiolus *Hum hoa* dictus. Eodem anno, 2. Septembris, ſub 10. horam matutinam, regiam urbem & loca vicina tam horribilis terræ motus concuſſit, ut innumera palatia, deorum fana, turres & urbis mœnia corruerint, & ſub ruinis ſepulti ſupra 400. & in proximo aulæ oppido *Tum cheu* dicto ſupra triginta hominum millia ſub ædium ruinis oppreſſa. Quia verò ad trimeſtre ferè terræmotus tametſi languidior, per intervalla repetebatur, ipſe Imperator, principes & proceres palatiis ſuis relictis ſub tentoriis habitabant, & ſub dio vitam trahebat miſera plebs, quam pius Imperator ſolatus eſt, ex ærario depromens, quo & pauperes ſub ruinis oppreſſi, ſuo ſarcophago conderentur, & ædes collapſæ reſtaurarentur.

Ejuſdem anni menſe poſtremo, qui jam erat 4. Januarii (1680.) Imperatoris palatium, orto repentè incendio, paucis horis abſumptum eſt. Damnum exceſſit duos milliones 850000. aureorum. Quarto ab incendio die Imperator ad ſaltum ſuburbanum venationis gratiâ, quam amabat impensè, profectus eſt. Liceat hîc obiter in laudem imperantis Principis afferre pietatis ejus & juſtitiæ ſpecimen, quod inter venandum, aliquando præbuit. Fuit, cùm eminus conſpicaretur monumentum magnificum, quod eſſe audiens poſtremi è familiâ præteritâ Imperatoris *çum chim*, quem *Xun chi* pater honorificè ſepeliendum curaverat, eò properè divertit, flexiſque ante tumulum genibus illachrymans, exclamavit, *O*, inquit, *çum chim Imperator, tu noſti, quod mortis tuæ adeò miſerandæ nos cauſam non dederimus, tui te ſubditi perduelles ad hanc te impulerunt.* Tum accenſis de more ſuffitibus, vultuque in terram proſtrato, eidem ritè parentavit. Aliàs cùm inter venandum procul à turbâ incidiſſet incognitus in ſenem amarè deflentem unicum filium à Præfecto Tartaro vi abreptum, princeps rei motus indignitate, ſenem jubet equo ſuo à tergo inſidere, & ad ædes

raptoris

IMPERII SINARUM
ET RERUM IN EO NOTABILIUM
SYNOPSIS.

IMPERIUM SINARUM DIVIDITUR IN XV. ampliſſimas Provincias, quarum ſingulæ ob magnitudinem, opulentiam, fertilitatem, magna regna verius appellari poſſunt, quam Provinciæ: his addi debet *Leaotum* regio uni Provinciæ non multò inferior. Hæc regio cum aliis 6. Provinciis *Eoo*, & Auſtrali Oceano adjacent; ſex Mediterraneæ ſunt; reliquæ tres ad Occidentem à reliqua Aſia montium ferè jugis ſeparantur.

Imperii amplitudinem, Urbiumque, & Populorum multitudinem, & rerum abundantiam, velut in nucleo iliadem, hîc ſubjicio, prout in Atlante Sinico ex Sinenſium libris expoſuit P. Martinus Martinius, ac deinde P. Gabriel de Magalhanes, in deſcriptione Sinicæ Monarchiæ è manuſcripto Luſitanico Gallicè traductâ.

Urbes Metropolitanæ (quas inter una eſt primaria) quæ Imperatori cum Civitatibus & Oppidis ſibi ſubjectis vectigal pendunt, numerantur CLV, quæ rectius totidem Provinciæ vocari poſſunt, quippe ſingulæ ſub ſe continent non paucas civitates, Oppida, Villas, Municipia, &c.

	Provinciæ	*Metropoles*	*Civitates.*	*Familiæ.*	*Viri.*
I.	*Pekim.*	8.	135.	418989.	3452254.
II.	*Xanſi.*	5.	92.	589659.	5084015.
III.	*Xenſi.*	8.	107.	831051.	3934176.
IV.	*Xantum.*	6.	92.	770555.	6759685.
V.	*Honan.*	8.	100.	589296.	5106270.
VI.	*Suchuen.*	8.	124.	464129.	2204570.
VII.	*Huquam.*	15.	108.	531686.	4833590.
VIII.	*Kiamſi.*	13.	67.	1363629.	6549800.
IX.	*Nankim.* nunc *Kiamnan.*	14.	110.	1969816.	9967429.
X.	*Chekiam.*	11.	63.	1242135.	4525470.
XI.	*Fokien.*	8.	48.	509200.	1802677.
XII.	*Quamtum*	10.	73.	483360.	1978022.
XIII.	*Quamſi.*	11.	99.	186719.	1054760.
XIV.	*Yunnan.*	22.	84.	132958.	1433100.
XV.	*Queicheu.*	8.	10.	45305.	231365.
	Summ.	155.	1312.	10128789.	58916783.

P. de Magalhanes, qui 36. annis in aulâ moratus, ibidem obiit anno 1677. poſthumo elogio ab Imperatore donatus, ſic ſcribit:

In toto Imperio loca partim civica partim militaria muris cincta ſunt 4402. loca civica recenſentur 2045. nimirum Urbes Metropolitanæ primi ordinis *Fu* dictæ 175. Civitates ſecundi ordinis *Cheu* dictæ 274. Civitates tertii ordinis *Hien*

Digitized by Google

dictæ 1388. Hoſpitia Regia cum excubiis *Ye* dictæ 205. & inferioris ordinis *Chum chin* dicta 103.

Ratio verò ob quam P. de Magalhanes majorem Urbium, ac Civitatum numerum ponit, quam P. Martinius, hæc eſt; quod ille annumeret quaſdam particularium Principum, qui Imperatori Sinarum non parent & à quo titulum dumtaxat accipiunt, ſitas tamen inter montes, in quatuor ipſius Imperii Provinciis, *Sucbuen*, *Queicheu*, *Yunnan*, *Quamſi*; annumeret etiam Urbes, & Oppida regionis *Leaotum*, quæ Sinæ in particularibus tantum Catalogis ſolent recenſere: P. verò Martinius eas ſolum ſcripſit, ex quorum diſtrictu Imperatori vectigal penditur.

Hoſpitia Regia abſque muris pro Præfectis, Curſoribus, aliiſque ex aulâ regio ſumptu iter facientibus *Ye*, vel *Chin*, vel *Yechin* dicta, ſunt, 1145.

Familiæ in toto Imperio recenſentur, 11502872.

Virorum numerus pertingit ad capita 59788364.

Non ingrediuntur hunc numerum, mulieres, parvuli ante annum ætatis 20. necnon è Regio nati ſanguine, Miniſtri Regii, nec Præfecti & Expræfecti, neque milites, Baccalaurei, Licentiati, Doctores, Bonzii utriuſque ſectæ, mendici, iique qui in navibus innumeris habitant.

Inter loca militaria Arces primi nominis, & ordinis, *Quan* dictæ, ſunt 617. Arces ſecundi ordinis, *Guei* dictæ 567. Arces tertii ordinis, *So* dictæ 311. Arces quarti ordinis, *Chin* dictæ 300. Arces quinti ordinis, *Pao* dictæ 150. Arces ſexti ordinis, *Pu* dictæ 100. Arces ſeptimi ordinis, *Chai* dictæ 300.

Numerantur itaque loca militaria 2357. præter Turres, &c. Caſtella ter mille, *Tai* dicta, intra, & extra famoſum illum murum ſita (quorum nomina in mappis Sinenſibus recenſentur.)

Murus Sinarum Imperium ab utrâque Tartariâ ſeparans, & complectens *Leaotum* cum tribus Provinciis *Pekim*, *Xanſi*, *Xenſi*, ab ortu in occaſum ad 40d. circiter leucas Luſitanas; juxta Martinium verò, ad trecenta milliaria Germanica (quorum 15. uni gradui reſpondent) rectâ protenditur. Si verò muri flexus, & montium circuitus conſiderentur, complectitur leucas ferè 500. hujus altitudo 30. latitudo 12. & alibi 15. cubitorum eſt.

IN toto Sinarum Imperio Flumina navigabilia, & Lacus magis celebres, 1472.

Pontes celebriores, 331.

Montes præ aliis plurimis memorabiliores, 2099.

Turres, & Arcus triumphales, aliave id genus magnifica Ædificia, Regibus, viriſque illuſtribus erecta, 1159.

Bibliothecæ celebres, & Libris inſtructiſſimæ, 272.

Gymnaſia Sapientiæ, ſeu Academiæ Magiſtro Imperii *Confucio* erectæ totidem numerantur, quotquot Urbes ſunt, & Civitates.

Baccalaureorum numerus (nam Studioſorum innumerabilis videtur) aſſurgit circiter ad capita 90000.

Avita Templa, ſeu potius illuſtres aulæ majoribus ſuis aut bene-meritis erectæ ad perpetuam Familiæ memoriam, 709.

Mauſolea architecturâ ſuâ apud poſteros commendata, 688.

Virtute, & Factis Heroïcis illuſtres viri, libris, & metris celebrati, 3636.

Illuſtriores virtutibus Fœminæ, quæque ob conſtantiam, in tuendâ virginitate, aut fide maritali paſſim deprædicantur, 208.

Præter 32. Regulorum Palatia, ſunt ſua ſingulis ubique Præfectis aſſignata, pro cujuſque gradu, & dignitate Palatia. 32167.

Templa vero Deo dedicata, præter Sacella, ſunt circiter 240.

Chriſtianorum numerus anno 1681. erat circiter 260000.

Idolorum Templa præ reliquis magis frequentata ob magnificentiam, aut conficta Idolorum miracula, 480.

Digitized by Google

In his aliisque Templis minoribus, & Deorum fanis, quorum numerus videtur incredibilis) habitant Bonzii diplomate Regio donati 350000.
Multò plures recenſentur abſque diplomate, qui mendicatò vivunt.
In ſola Regia Pekinenſi ſunt Bonzii Cælibes, 10668.
Bonzii uxorati, & diplomate Regio inſtructi, 5022.
Omnium utriuſque ſectæ Bonziorum, ſeu Sacrificulorum numerus paſſim creditur propè accedere ad 1000000.
De numero Mahometanorum, qui 700. ab hinc annis Sinam ingreſſi, ſunt qui credunt millionem excedere.
De numero Pauperum Senum, & invalidorum, quibus olim ſua aſſignabantur domicilia, & quæ ab omni ævo in ſingulis Urbibus, & Civitatibus, annonâ Regiâ aluntur, nildum licuit certi cognoſcere.

ANNI à *Fo hi* primo gentis Conditore uſque ad annum hujus ſæculi 1683. incluſivè, computantur 4635.
Anni computati per 73. cyclos, quorum ſinguli annis 60. conſtant, ſunt 4380.
Familiæ Imperiales longioris durationis decem brevioris duodecim.
Imperatores ab *Hoamti* uſque ad modernum *Cambi* imperantis per Monarchiæ Sinicæ annos 4380. continuati, 235.
His ſi addas duos gentis conditores, Reginas duas contra leges Regni intruſas, & Imperatores 14. qui (vel quod intruſi, vel quod annum regiminis non habuerint) à Scriptoribus excluduntur, erunt 253.
Præfecti Togati, ſeu qui Magiſtratu civili per triennium extra patriam Provinciam de more funguntur, & novem ordinibus ſuiſque volucrum inſignibus aliiſque indiciis diſtinguuntur, conficiunt numerum, 13647.
Singulorum nomina, patria, gradus Litterarius, uti & Præfectorum militarium, ſingulari libro (qui ex mobilibus litteris more Europæo componitur) ſingulis trimeſtribus ex aulâ per totum Imperium circumferuntur: ſimiliter quotannis Kalendarium, nec non futuræ eclypſes Solis & Lunæ, & quæcumque à ſex ſupremis aliiſque Conciliis propoſita, ab Imperatore decernuntur, & ſi quæ in Provinciis portenta & publicæ calamitates contingant, authenticè comprobata, ex ſolâ aulâ, ad omnia Imperii loca per curſores determinatis temporibus diſpenguntur.
Præfecti militares, qui ſex ordinibus ſuiſque belluarum inſignibus & vexillis diſcoloribus inrer ſe diſtinguuntur, numero ſunt 18520.
Liber Sinenſis *Kieu Pien tu* dictus, id eſt, *Novem Confinium Mappa*, à Præſide ſupremi Tribunalis armorum, à 170. jam annis editus, & oblatus Imperatori cum 132. Mappis Coſmographicis majoribus, refert Sinenſis Imperii intra & extra murum confinia contra Tartaros defendi, (excipiuntur thurmæ auxiliares) ad à præſidiariis militibus advolantes. 902054.
Equi præfatis militibus deſtinati, numerantur, 389167.
Stipendia Regia illorum militum præter triticum, aut milium & pabulum equorum tantùm annuè, aſcendunt ad aureos 2517357.
Non hîc agitur de numero Præſidiariorum militum, qui Provinciarum confinia, loca Maritima, Civitates, & Arces tuentur, quorum militum majora ſunt ſtipendia, quàm eorum, qui ad murum vigilant: nam quotannis pro 50. militum millibus, aureorum millionem cum dimidio, hoc eſt ſex milliones florenorum Belgicorum aſſignari volunt.
Tempore pacis, qui Præfectis noctu diuque aſſiſtunt milites, recenſentur 767920.
Equi eiſdem militibus deſtinati affirmantur eſſe 564900.
P. Alvarus ſemedo ad muri cuſtodiam aſſignat milites dumtaxat. 682882
Ad urbium verò & arcium præſidia (exceptis maritimis) milites 594000.

Digitized by Google

EA, ex quibus Imperatori quotannis penditur vectigal (exceptis iis, quæ ex teloniis proveniunt) sunt juxta P. Martinium.

Orizæ, tritici, milii sacci, 120. librarum singuli,	40155490
Serici laborati libræ, 20. unciarum singulæ, ex undecim Provinciis,	191530.
Serici non laborati libræ	409896.
Gossypii, & cannabis laborati, & non laborati libræ	295308.
Salis massæ, 124. librarum singulæ è septem Provinciis,	1994261.
Fasces straminis pro equis Regiis, è septem Provinciis,	34418625.

Magalhanes ex memorato libro *Vpien tu*, sic scribit:

Quotannis in ærarium Imperatoris inferuntur è puro argento aurei	27900000
Reditus item pro Imperatrice assignati sunt aurei,	2823962.

Non hoc loco recensentur reditus pecuniarii, & proventus ex teloniis, domibus, nemoribus, hortis Regiis, bonis Fisco addictis: &c. Martinius scribit reditus Regios universim esse aureorum 150000000

Orizæ pro tributo pendendę sacci, qui ex austro per celebrem aquæ ductum à 9. mille & amplius navigiis (quorum singula 500. saccis onusta) in solam aulam devehuntur, excedunt numerum 4500000.

Orizæ tritici, milii, sacci	43328834.	Salis panes 50. libr. sing.	1315937.
Minii purissimi libræ	258.	Sandaracæ libræ	94737.
Serici densioris panni,	1655432.	Serici rarioris panni	466270.
Serici crudi libræ	272093.	Gossypini panni,	396480.
Gossypii infecti libræ	464217.	E cannabe telæ,	560280.
Fabarum sacci,	210470.	Straminis fasces,	22598583.

Hic numerus postremus sub belligero Tartaro duplo sæpè major est; quam sub Sinarum pacificâ dominatione. Omitto hîc vix credibilem in aulâ copiam quadrupedum altilium, &c. dicere sufficiat singulis diebus aulæ Præfectis singulis, tam civicis quam militaribus (qui ad 5. circiter millia numerantur) necnon Regii Sanguinis Principibus, pro cujusque gradu, & dignitate præter stipendium argenti, assignari ac distribui determinatam mensuram carnium, piscium, leguminum, & coaguli è fabis confecti, & per singulos menses salis, orizæ, ligni, carbonum & pabuli equini, idque adeò accuratè, ordinatèque, ut videatur Imperator Patris instar Familias distribuentis in dies portionem suam filios inter & Domesticos suos. Non referuntur hîc, quæ domus ipsa Regia amplissima quotidiè consumit. Eadem constanter servantur cum omnibus qui in aulam vocantur, & quotquot ex aulâ Magistratûs sui sigillo aut alio negotio instructi, Regiâ auctoritate proficiscuntur, quorum singulis & singulorum comitatui, de commeatu & victu, aut, si malint, de argento æquivalente, de Hospitiis, & equis, aut, si per flumina iter instituunt, de navigiis Regiis, & apparatu, quin & musicorum instrumentorum concentu ad oblectamentum, toto itinere (quod 5. & 6. mensium sæpe est) providetur, donec ad locum officio suo destinatum pervenerint.

Hîc autem præter Palatium & supellectilem, præsto sunt ubique, qui stipendiis Regiis merent curiales, seu Officiales majores & minores, Milites, Excubitores, Tabelliones; cæterique ad pompam (quæ in Regia urbe non est) & comitatûs splendorem, quoties prodit in publicum: cujusmodi sunt præcones & tympaniastæ, & qui dignitatem Præfecti aureis trabalibus litteris exaratam, nec non titulos, aliaque insignia præferunt: vexilli feri item, & Apparitores cum suppliciorum instrumentis, alii qui sericas umbellas majores hastis suffixas erigunt, qui Officii Sigillum Regium arcâ aureâ inclusum, velut rem sacram, humeris gestant, qui auratis flabellis majoribus solem aut imbres arceant; denique cum altero umbellifero, sellæ auratæ bajuli simili pileo togâque, eâque rubeâ, induti 4. 6. aut 8. pluresve, pro cujusque ordine & dignitate, quæque sellam & agmen claudit famulorum aut equitum turba: Eorum namque, qui Provinciarum sunt Prætores, Proreges, Quæstores, Judices, Præsides, necnon urbium Præfecti Primarii, & armorum Duces, apparatus triplo major est, & splendidior; & his insuper assignati sunt sui tubicines, ac tibicines, qui ante Palatii valuas in editiori utrimque ædiculâ certis temporibus concentum musicum edant, quin etiam ante atrii fores tria tormenta bellica, aut falcunculi collocati, qui exonerantur, quoties Præfectus pro Tribunali sedens publicam dat, aut terminat audientiam, quoties Palatio egreditur, & ingreditur, quoties magnum excipit hospitem & abeuntem deducit, aut cursorem cum litteris ad aulam expedit, & Imperatorem: die item solenni natalis sui, & primis Kalendis cujusque Lunæ; quando Præfecti reliqui, necnon jam emeriti, & litterarii ordinis Doctores & Licentiati, ante Thronum & nomen Imperatoris aureis inscriptum litteris, præeunte magistro rituum, in genua provoluti & capite novies in terram inclinato venerabundi, tanquam præsenti Principi (ut in aulâ fit) apprecantur annorum myriades.

Quanta igitur per singulos dies toto Imperio vis pulveris nitrici absumatur, quanta item quotannis annona pro eâ curialium multitudine impendatur, ei judicandum relinquitur, qui consideraverit, in Sinâ numerari Urbes & Oppida, tam Civica, quam militaria 4402. Præfectos verò omnium ordinum 32167.

P. PHILIPPUS COUPLET Societatis JESU. 1687.

Digitized by Google

raptoris properare. Duarum leucarum erat iter. Mox hominem criminis convictum jubet coram proceribus, qui undequaque advenerant, capite plecti, & senem ipsum in ejus præfecturam succedere, addens simili pœnâ mulctandum, si in officio suo similiter deliquisset.

Anno Cycli 57. (1680.) Regulus prov. *Quam tum*, tametsi jam subditus, Tartaro tamen suspectus erat, eò quòd turbulenti genii vir ex commercio maritimo, contra Regis præscriptum, cum Hispanis & Batavis potentissimus evaderet, ad hæc in ruinam Macaensis urbis intentus esset, & magnâ in exercitu 40. millium authoritate polleret. Quare cùm jussus esset ab Imperatore in provinciæ *Quam si* perduelles arma movere, cùm fortè ab exercitu hinc inde distracto in urbem quampiam se contulisset, in provinciam *Quam tum* & palatium suum astu quopiam reductus est, ubi elapsis aliquot mensibus, à duobus magnatibus, qui 17. dierum spatio ex aulâ eò convolarant, die 9. Octobris multò manè, oblato, honoris causâ, laqueo, jussus est sibi fauces constringere, quo tempore 112. factionis socii (quos inter tres ejusdem fratres) capite plexi, dignus alioqui meliori sorte princeps, quippe qui de Deo & lege nostra optimè sentiebat, & ejus præconibus, suprà quàm dici potest, semper impensè faverat. Quòd autem immensis ejus opibus fisco addicendis inhiaret Tartarus, placuit Reguli patris necdum sepulti, sarcophagum recludere, ut explorarent, an habitu pileoque Sinico cadaver indutum foret, quod cùm comperissent Tartarico more vestitum, bona omnia, ad reliquos fratres, quos inter gener erat Imperatoris, aliosque affines transierunt.

Hoc item anno exeunte RR. PP. è sacrâ D. Augustini familiâ ex Philippinis Macaum appulsi, Sinam ingrediuntur.

Anno sequenti Regulus *Fokien* (de quo suprà) ob tyrannidem præcipuè in plurimos Præfectos sibi suspectos, dum rebellaret, exercitam, in aulâ coram omni populo in partes dissectus est, & canibus objectæ carnes: fratres tametsi insontes capite plexi. *Yun nan* provinciæ metropolis à Tartaro occupatur. *Hum hoa* Imperator spontaneo laqueo Tartaricum supplicium antevertit. *Vu sun quei* patris pridem defuncti ossa è tumulo eruta, & in curiam transportata, partim, ad terrorem cum infamiæ notâ variis locis affixa, partim in pulverem contusa, aëri & ventis in ludibrium dispersa sunt.

Hic quoque annus 1681. centesimus est propagatæ à Soc. Jesu in Sinâ Religionis Christianæ.

Anno Cycli 59. (1682.) extinctis jam tribus Regulis, & provinciis 15. feliciter debellatis, necnon pace per Imperium stabilitâ, Imperator natale solum & majorum suorum sepulchra statuit invi-

Digitized by Google

ſere. Iter iniit in Tartariam Orientalem die 23. Martii cum principe hærede declarato, tribus Reginis, & præcipuis Palatinis, & tribunalium Magiſtratibus & 70. circiter millium hominum comitatu, in quo comitem & ſibi ubique aſſiſtentem habere voluit Ferdinandum Verbieſt, *qui quòd iſthìc ſemina quædam Religionis Chriſtianæ comperiſſet, Tartaricam Grammaticam compoſuit, quæ nunc è regiâ Bibliothecâ in lucem prodit, & Deo aſpirante, uſui erit venturis in Tartariam Evangelii præconibus.*

Anno Cycli 60. & ultimo, imperantis verò *Cam hi* 22. (1683.) Imperator longè majori cum apparatu, & 70. millium equitum comitatu in Tartariam occidentalem iter inſtituit, tum ne otio & deliciis Sinicis diffluens valetudini minùs conſuleret, tum ut ſe & militiam duris aſſueſceret, & ut doceret eâ normâ & ordine adverſus hoſtes armatam procedere, quo ad tygrides inter venandum, & feras debellandas præludi jubebat, tum denique ut magnificentiam ſuam & majeſtatem oſtentans, ſacrum quemdam terrorem barbarorum Dynaſtis incuteret, quos proinde benignitate regiâ & clementiâ, nec non muneribus & dignitatum titulis adeò ſibi conciliavit, ut provincias omninò 40. clientelares & ſibi ultrò tributarias ſuaviter fortitérque reddiderit.

Conſule de utroque itinere binas Epiſtolas Ferdinandi, qui ſecundi itineris comitem habuit Philippum Grimaldi.

Hic finit Tabula noſtra Chronologica Sinicæ Monarchiæ per 60. annorum periodos, ſeu Cyclos 73. continuatæ, qui annos explent 4380. quibus ſi addideris annos 255. duorum gentis Sinicæ conditorum *Fo hi & Xin num*, ſummatim exiſtent anni 4635.

Errata, quæ hìc occurrent condonabit, uti ſpero, benevolus Lector. Emendabit ea conſtans & irrefragabilis ordo Cyclorum, ad quos calculi omnes, ſicubi aberraverint, revocandi ſunt, prout in Præfatione indicatum eſt.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

Digitized by Google

Extrait du Privilege du Roy.

LE Roy par ſes Lettres Patentes données à Paris le 18. jour de Fevrier 1663. ſignées, Par le Roy en ſon Conſeil, JUSTEL, & ſeellées du grand ſeau de cire jaune; a permis à Girard Garnier de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de l'obeïſſance de Sa Majeſté, *un Recueil de diverſes Relations de Voyages curieux, qui n'ont point eſté publiées, ou qui ont eſté traduites d'Harcluyt, de Purchas, & d'autres Voyageurs Anglois, Hollandois, Portugais, Allemands, Eſpagnols, & de quelques Perſans, Arabes, & autres Auteurs Orientaux:* Enrichies de figures de Plantes non décrites, d'Animaux qui n'ont point eſté veus, & de Cartes Geographiques de Païs dont on n'a point encore donné de Cartes, & ce conjointement ou ſeparément, en un ou pluſieurs volumes, en telles marges & caracteres, & autant de fois que bon luy ſemblera, durant l'eſpace de dix ans, à compter du jour que chaque volume ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois; Faiſant Sa Majeſté tres-expreſſes deffenſes à toutes perſonnes de quelque qualité qu'elles ſoient, d'en rien imprimer, vendre, ny diſtribuer, ny aucune carte ny figure, ſous aucun pretexte que ce ſoit, ſans le conſentement dudit Garnier, ou de ceux qui auront ſon droit, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, des caracteres, preſſes, & inſtruments qui auront ſervy auſdites impreſſions contrefaites, de tous dépens, dommages & intereſts, & de trois mille livres d'amande; A condition de fournir quatre Exemplaires dudit livre, ſelon qu'il eſt porté par leſdites Lettres, à l'Extrait deſquelles, mis au commencement ou à la fin de chaque volume, & aux copies collationnées par un Conſeiller & Secretaire de Sa Majeſté, Elle veut que foy y ſoit adjoûtée comme à l'Original, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, Clameur de Haro, Charte Normande, & toutes autres Lettres à ce contraires, comme le contient plus amplement ledit Privilege.

Regiſtré dans le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires le 23. Avril 1663. DU BRAY, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 28. May 1687.

Ledit ſieur Garnier a cedé ſon droit de Privilege pour le Confucius *ſeulement, à Daniel Horthemels Marchand Libraire à Paris, pour en joüir ſuivant l'accord fait entre eux.*

BIBLIOTECA NACIONAL MADRID

PARISIIS,
Ex Typographia Andreæ Cramoiſy Pariſienſis Typographi.

M. DC. LXXXVII.

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google